BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLIX
D
42
NAPOLI

XLIX
D
42

REOMAVS,
SEV
HISTORIA MONASTERII
S. IOANNIS REOMAENSIS,
IN TRACTV LINGONENSI.

Primariæ inter Gallica Cœnobia antiquitatis, ab anno Chriſti CCCCXXV.

COLLECTA ET ILLVSTRATA A P. PETRO ROVERIO E SOCIETATE IESV.

Ad Eminentiſſimum D. FRANCISCVM DE LA ROCHEFOVCAVLD *S. R. Eccleſiæ Cardinalem, Abbatem Reomaenſem.*



NAPOLI

PARISIIS,
Apud SEBASTIANVM CRAMOISY, Typographum Regium, viâ Iacobæâ, ſub Ciconiis.

M. DC. XXX VII.

CVM PRIVILEGIO REGIS CHRISTIANISS.

EMINENTISSIMO DOMINO

FRANCISCO CARDINALI DE LA ROCHEFOVCAVLD, ABBATI REOMAENSI.

CONCREDITVM mihi abs te, (CARDINALIS EMINENTISSIME) Reomaum multis nominibus tuum tardus, ſed, vt ſpero, non infidus debitor tibi repræſento. Cùm enim ea eſſet eius antiquitas, vt nullum tota Gallia quamlibet vetuſtiſsimum extaret Cœnobium, quod annis multò plus quàm ſeptuaginta eius anteuertiſſet primordia; tum ea erat antequam tu illi eſſes Præfectus obſcuritate, vt vix extra eos quos magnus olim Clodoueus illi cõſtituerat ditionis limites agnoſceretur. Sed fecit autoritas tua, ſolemniſque ilal locorum, quibus præes, curatio, vt mihi licitum fuerit, non ſolùm quod ad loci ſanctitatem attinuit, Joannem Reomaenſem, qui omnis eo in Mona-

ſterio ſanctitatis ac diſciplinæ fons fuit atque origo, Silueſtrum, Maiolum, Guillelmum, aliósque complures è ſitu ac tenebris in apertam lucem conferre; ſed etiam quod ſplendorem ei addidit Regis Francorum maximi filios duos, inſignium Eccleſiarum Epiſcopos nouem, & Romanæ Sedis Cardinales nouem, exquiſitis vndique rerum ab eis geſtarum emblematis illuſtrare. Quæ dum iuſſu tuo elaborantur, tu videlicet diuerſa parte, ne tenuibus tantùm litterarum apicibus Reomai tui conſtaret claritudo, maximo ſatagebas opere, vt diuini honores per temporum ſiue longinquitatem, ſiue iniquitatem nonnihil illic lapſi reſtaurarentur, templum præclara teſtudine tegeretur, locorum omnium ſarta tecta curarentur, auguſta ſanctorum, qui illic vixerant hominum oſſa argento conderentur, cultus denique ornatúſque omnis primigeniam religioſæ pietatis faciem, quaſi in oculos ſenſúſque hominum reuocaret. Nihilóque ſecius cùm probè intelligeres diuinum numen, quod aiebat Prudentius, templum mentis malle, quàm marmoris, nihil abeſſe paſſus es, quin ſpirantia ſanctitatis templa, viros aliquot antiquæ religionis de probatiſſimo S. Mauri Collegio illuc accerſeres, domi per illos diſciplinam, pietatem, modeſtiam reſtitueres, & foris iacentes circum populos ſuauiſſimo Chriſtianæ eruditionis, virtutiſque illorum

odore recreares. Quæ ſanè ſunt eiuſmodi, vt meritò poßit quilibet non facti magis tui, quàm iudicij admiratione teneri. Quàm enim perpenſum illud fuit ac conſultum, quòd ſanandæ Reomaenſis diſciplinæ labi non ab ipſa, quæ laborabat familia, ſed à colonia ſanißimi Collegij remedium expetiiſti? Sanè etſi nulla ad te quod ſciam eius rei eatenus fama perueniſſet, tamen iudicij ſolertiâ, & beneſaciendi ſtudio illud es aſſequutus, vt in veſtigia inſignium virorum, qui lapſo olim Reomao ſaluti fuere ſponte incurreres. Nam cùm annis ab eius conditu ducentis circiter triginta-quinque exſoleſcente ſenſim ſancti Ioannis exemplorum memoriâ, Regulæque Macarij, quam ille inuexerat, imminutâ reuerentiâ, plurimùm paſſa eſſet Reomai religio detrimenti, nihil ad eum reſtaurandum occurrit conſultius Bertoaldo Lingonenſi Epiſcopo, quàm vt de Luxouienſi ſancti Columbani Collegio Hunna Abbas collegæque aliquot Reomaum transferrentur. Amplexus eſt deceſſoris exemplum annis poſthac trecentis circiter viginti tribus Bruno Lotarij Regis Franciæ nepos inter Lingonenſes Epiſcopos celeberrimus, accitóque cum nonnullis Cluniacenſibus, ſancto Maiolo, ac ſubinde Guillelmo Abbate Diuionenſi ſitu ac ſenio fatiſcenti Reomao vires colorémque pietatis reſtituit. Tertius his acceßiſti,

(CARDINALIS EMINENTISSIME) *qui lapſis ſubinde annis quingentis quinquaginta duobus agro rurſus Reomao medicam manum porrigeres, & religionis tanto interuallo labefactata eadem qua deceſſores induſtria robur reparares. An eo conferat quidpiam poſſit, quam te authore euulgo, Reomaenſis hiſtoria, etſi ex tuo præiudicio fieri poteſt coniectura, tamen ex re quoque ipſa non temerè licet augurari. Omninò enim quæ viarum tuta ac lubrica monſtrant, quæ fortium conſtantiam laudant; quæ imbecillium lapſus notant, ea non poſſunt illis eſſe inutilia, qui eiſdem ſunt inceſſuri viis. Itaque dum in hac legetur hiſtoria vel egregiè conſtitutum Reomaum Ioannis ſanctitate, Hunnæ ſedulitate, Maioli manſuetudine, Guillelmi vigore; vel labefactatum partim ambitioſo delectu Præfectorum Samuelis, Carlomani, Hincmari, & conſimilium; partim facultatum communium in priuatos vſus, luxúſque deriuatione, quam Odo, Gaudricus, Regmundus, & ſuppares inuexere, partim neglectu diſciplinæ, præ immoderato rei familiaris, litium, ac negotiorum ſtudio, quæ fuit plurium temporum labes; tum profectò non deerunt quæ & eorum, qui tibi in reſtituendo Reomao collaborarunt animos mulcere, & poſterorum in egregiè ſuſcepta reſtitutione conſtantiam*

*poſſint prouocare. Hac me cum primis cogitatione, vt nihil apud te, (*CARDINALIS EMINENTISSIME*) diſſimulem, poſt iuſſa tua ſuſtentaui, dum hac ſiue colligerem, ſiue illuſtrarem, ratus nullâ ratione tibi à me ſatisfieri prolixiùs poſſe, quàm ſi hac in re diuinis tecum honoribus commodare conarer.*

EMINENTIÆ TVÆ

Seruus addictiſſimus
PETRVS ROVERIVS
è Societate IESV.

LECTORI.

POTVIT ſplendidiore facie, cultúque politiore ad te adire hæc Monaſtica Hiſtoria, ſi non ex variis, ac ferè incultis autoribus, tabulis, idiomatis compacta, ſed vel nouo & ſcilicet nitidiore ſtilo à me compoſita, vel dictione paſſim mutata, vocibúſque peregrini vſus expunctis eſſet expolita. Sed vt eam aliter inſtituerem, & tua & hiſtoriæ cauſa interfuit. Tua ne leui ſi fortè faſtidio, potiùs quàm labori tuo conſuluiſſe; Hiſtoriæ, ne interpolatâ potiùs veritate, quàm natiuâ eam euulgaſſe viderer. Fac enim me quæ hîc leguntur omnia meopte ſtilo expreſſiſſe, an tu eſſes tam credulus, vt tanto interuallo diſſita primulum euulganti ſine veteri teſtimonio fidem haberes? Quòd ſi ea quæ hîc prodo teſtimonia ſcriptioni meæ trunca inſeruiſſem, quis ea quæ alibi ferè non extarent ad fidem plenam non deſideraſſet integra? Sin autem integra vel hiſtoriæ indidiſſem, vel ad calcem reddidiſſem, certè & metuendum erat idem quod nunc faſtidium & geminato labore eadem ſemel in mea, ſemel in antiqua ſcriptione erant perlegenda. Iam ſi hæc ipſa monumenta vetera vocum inſolentiâ, & dictionis aſperitate mollitâ publicare voluiſſem, quis mihi ſpopondiſſet quidpiam eſſe in politiore literatura, quòd pro Abonnagio, Catallo, Chauagio, & id genus ſexcentis nullo veritatis, aut proprietatis diſpendio ſubſti-

tui

tui poſſet? aut quis violatâ ſemel antiquorum Scriptorum fide, non aliquid ſemper detractum, vel additum veritati ex oſcitantia, imperitia, alióve interpollatoris vitio ſuſpicatus eſſet. Vellem quàm meritò mihi feciſſe videor, vt ex his quaſi teſſellis authorum ac tabularum Monaſterij Reomaenſis hiſtoriam contexerem, tam facilè potuiſſem conſequi, vt plura de hominum Religioſorum, qui illic vixere virtutibus, pauciora de re familiari proferrem. Sed perinde ac ſi virtutum memoria cœlo potiùs deberetur, ita factum eſt vt in terreſtribus hiſce tabulariis terrena res familiaris potior eſſet. Has tamen tabulas pretium fuit non omittere, ſiue quia ſine eis Abbatum ætas, ac ſeries haberi non potuit, ſiue quia hæc ipſa rei familiaris ſolicitudo nonnullum eſt quandoque indicium vigentis diſciplinæ, cùm fe- fiat, vt eædem ſint Religioſis domibus commodorum, quæ diſciplinæ acceſſiones & deceſſiones, ſiue extremo quod veteres Monaſterij Religioniſque mores, familiæ pleræque nobiles, ac temporum nonnulla hiſtoria ex illis eruatur. Lege & agnoſces.

SYNOPSIS EORVM QVÆ HÎC INSVNT.

Ex Codicibus Monaſterij manuſcriptis.

LIBRI VI. de ſancto Ioanne Reomaenſi: duo Iona Abbatis, quatuor incertorum Authorum.
Res quædam S. Silueſtri, Mummoli, Leopardini Abbatum.
Annotationes de Abbatibus XVIII.

Ex antiquis Authoribus.

Res geſtæ Modoini, Berni I. Lotarij Caroli Calui filij, Hincmari Laudunenſis, Carolomanni Caroli item Calui filij, Abbatum.
Annotationes de Abbatibus IV.
Res geſtæ S. Maioli Abbatis.
Libri II. de Vuillelmo Diuionenſi Abbate, & Reomaenſi, vnus Glabri, alter Chronici Diuionenſis, & aliorum.
Res quædam Heldrici & Guidonis I. Abbatum.
Annotationes de V. Abbatibus.
Res Godefridi & Bernardi II. Abbatum.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Res Abbatum XV. in re familiari tutanda & augenda frequentiùs verſatæ. Id Tabularium & alia nobis communicauit Vir Religioſus Ioannes de Boucher.

Ex Hiſtoricis recentioribus.

Res Philiberti Hugoneti Cardinalis, & Epiſcopi Matiſconenſis.
Item Ioannis de Cuſsigny, Petri de Aligny, Sebaſtiani de Rabutin, Guillelmi de Machecot.
Petri de la Baume Cardinalis, & Archiepiſcopi Veſuntionenſis.
Franciſci de Turnone Cardinalis, & Archiepiſcopi Lugdunenſis.

Philiberti de la Bourdeſiere Cardinalis, & Epiſcopi Encoliſmenſis.
Philippi de Lenoncour Cardinalis, & Epiſcopi Autiſiodorenſis.
Oeconomi à Rege attributi.
Guillelmi Fouquet de la Varenne Epiſcopi Andegauenſis.
Caroli Mironis Archiepiſcopi Lugdunenſis.
Ludouici Gouſier poſteà Comitis de Carauas.
Armandi Ioannis du Pleſſis Cardinalis de Richelieu, Ducis ac Paris Franciæ.
Alphonſi du Pleſſis Cardinalis & Archiepiſcopi Lugdunenſis.
Franciſci de la Rochefoucauld Cardinalis, & Epiſcopi Siluanectenſis.
Ludouici de Rochechoüard J Coadiutoris Reomaenſis.

In Appendice.

Antiquus Catalogus Abbatum Reomaenſium.
Necrologium vetus Reomaenſe.
Nouus ac plenus Catalogus cum characteribus Præfecturæ Abbatum.
Notitia dignitatum & Eccleſiarum Reomaenſium.
Illuſtrationes Hiſtoriæ Reomaenſis.

Approbatio Reuerendi Patris Prouincialis.

STEPHANVS BINETVS Societatis IESV in Prouincia Franciæ Præpoſitus Prouincialis, cùm Religioſas haſce origines Monaſterij S. Ioannis Reomaenſis in Tractu Burgundico ab anno Chriſti CCCCXXV. repetitas, & à P. PETRO ROVERIO Societatis noſtræ Theologo illuſtratas, aliquot eiuſdem Societatis Theologi, quibus id commiſimus recognouerint, ac in lucem edi poſſe cenſuerint, nos quoque factâ nobis eius rei poteſtate à Reuerendo admodum Patre MVTIO VITELLESCO Societatis noſtræ Præpoſito Generali facultatem concedimus, vt typis mandentur. Pariſiis anno 1634. die 14. Decembris.

STEPHANVS BINETVS.

PRIVILEGIVM.

EGO STEPHANVS BINETVS Præpoſitus Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Franciæ, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis HENRICO III. 10. Maij 1583. HENRICO IV. 20. Decembris 1606. & LVDOVICO XIII. nunc regnante 14. Februarij 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur ne libros ab hominibus Societatis noſtræ compoſitos, abſque Superiorum eius permiſſione imprimant, permitto Sebaſtiano Cramoiſy Pariſienſi Bibliopolæ Iurato, & Typographo Regio, vt Librum qui inſcribitur, *Reomaus, ſeu Hiſtoria Monaſterij S. Ioannis Reomaenſi*, &c. *à Petro Rouerio Societatis* IESV. ad decem proximos annos imprimere ac libere diuendere poſſit. Datum Pariſiis 25. Martij, 1637.

Signatum, STEPHANVS BINETVS.

SANCTI

IOANNIS ABBATIS I.

ET INSTITVTORIS MONASTERII REOMAENSIS, RERVM GESTARVM LIBRI II.

Autore Iona Abbate S. Columbani ſectatore.

Ex Codice veteri Monaſterij Ms.

Annotatio Autoris de tempore & occaſione operis.

ANNO tertio regni Domini Clotarij Regis, ex iuſſu ipſius Principis, vel genitricis ſuæ præcelſæ Dominæ Baltichildis Reginæ, cùm ad vrbem Cabilonenſem mitteretur noni menſis ſecunda hebdomada Ionas Abbas diſciplinis beati Columbani eruditus, atque per Monaſterium S. Ioannis, quod vocatur Reomaus, præteriens paucis diebus inibi pro labore itineris quieuiſſet, ductus precibus Domini Hunnæ Abbatis fratrúmque ipſius Cœnobij; vt

Annus Chriſti. 663.

De ætate Ionæ & dignitate, Illuſt. n. 1. & 2.

De nomine Reomaus, n. 3.

Annus Chriſti. quæ per diſcipulos memorati Confeſſoris Chriſti, vel poſteros eorum veraciter comperta erant, conſcriberet, tandem articulum ſcribendi ita conuertit.

PROLOGVS.

PRÆCELLENTISSIMA Sanctorum exempla proſequentes, qui luce clariùs orbem tam ſermone docendo, quàm exemplo monſtrando illuminauere, prorſus declarare atque omnibus patefacere omni ſtudio, omniqùe conatu quæ comperta fuerint debemus; vt ſcilicet tam hominum cœleſti deſiderio innexorum, quàm etiam ſimplicium animos ad vitam prouocemus æternam. Vt dum præcedentium præſulum atque Patrum Monachorum labores, & ſtudia contritionum, mortificationúmque exempla trutinando mentis intentione penſamus, in eorum imitationem tam noſtra corda, quàm aliorum mentes erigamus, quatenus & doctrinæ ſolamina, & laborum ſupplementa Chriſto fauente ſtudeamus ſubire. Nec immeritò eorum virtutes ac geſta religioſa Chriſtiana laude fulciuntur, qui vno ſpiritu diuerſitate virtutum florentes, diuerſis quoque donorum muneribus adornantur, iuxta illud Eſaiæ dictum. *Qui ſunt iſti qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas.* Nulli quippe dubium eſt iuxta quod vas electionis ſupplementi donorum ſpiritualium, Spiritus ſancti tuba canente ac demonſtrante, formam patefecit, quin dum ſinguli in ſingulis, ex conditoris largitate, pro meritis dona capiendo, famulatum diuini nominis exercent, cumulum poſtea recipiant meritorum. Igitur venerandi viri, cultúque religionis imitandi beati Ioannis Monachi atque Abbatis vitam memoriæ commendandam ſtilo patefacere nitimur, quæ ſcilicet & quanta ſtuduerit ſubire certamina ſui laboris, & noſtri egregia exempla monſtrare, memoriam dimittere ſæclis Vt non ſolùm ille ſui laboris fructum reciperet, verùm etiam quoſque ad imitationem ſui certaminis poſtmodum traheret, qui iure eius glorioſos triumphos venerantes & imitantes, & peccatorum medicinam,

Cap. 60. v. 8.

1. Corint. 12. v. 4.

& vitæ æternæ caperent ſupplementa. Vnde his & talibus *Annus Chriſti.*
virtutibus ſublimatus, præuentus gratia & miſericordia
Dei, & in præceptis eius inoffenſo calle gradiens, non ſolùm in cœleſti regione promeruit triumphum, ſed & in De ætate S. Ioannis, Illuſt. n. 4.
præſenti ob ædificationem multorum longæuo manſit
tempore. Adeò vt à tempore Valentiniani Cæſaris, atque 425.
Martiani Imperatoris, qui poſt Theodoſium Iuniorem
Monarchiæ dignitatem obtinuit, vſque ad tempora Iuſtiniani Auguſti permaneret. Quo etiam tempore Franci cum De ortu
Clodoueo Rege, poſtpoſita Republica, militari manu ter- eius & obitu, n. 5.
minos Romanorum irrumpentes Galliam inuaſere. Sic-
queque vſque in tempora Theodorici Regis, qui filius extitit 545.
præfati Clodouei, & filij eius Theodoberti, perdurauit. His Ad annum
itaque omiſſis, ad ea quæ cepimus reuertamur. Vtile nam- Theodeberti xi.
que & gratum fore credimus, ſi illuc articulum ſcribendi n. 6.
conuertamus, vnde digreſſi ſumus. Igitur vitam ſancti Ioannis ſcribere exordiar, qui qualiter ſe ab ipſius infantiæ rudimentis Deo carum exhibuerit, ſilentio præterire nefandum eſſe cenſemus. Triplex tamen impeditáque nobis ineſt ratio cauendi. Primum, quòd ego tam iners támque elinguis, huiuſce materiæ molem ſyllabarum annotationibus memoriæ tradere præſumam. Secundum, ne quod fore arbitror meus ſermo incultus, & forſitan vitioſus, legentium aures inerti quodammodo mucrone confodiat. Tertium, quòd angor vndique, dum & cuncta Chriſti amore compulſus euoluere animus cupit, & rurſum vereor ne paginæ prolixitas, & geſtarum copia rerum in incredulorum corde faſtidium facilè generet. Sed, vt opinor, præmium habebit à Domino præparatum, non quicumque legerit, ſed quicumque crediderit, licet à quibuſdam non immerito præſumptuoſus iudicer, quòd audeam aggredi opus quod, vt dignum eſt, ferre non valeo, ac præcelſas virtutes imperito præſumam ſtilo differere. Sed cùm ego primitus ad ſcribendum animum adieciſſem, apud me ipſe decreui vt ne ſolœciſmos néve erubeſcerem abiectionem verborum, tantùm vt laudem eius ac virtutes, quas per eum Chriſtus operatus eſt, iam prope ſeneſcentes ab obliuione hominum

Annus Chriſti. atque ſilentio vindicarem. Et idcirco eas ſine ambitione propatulo cenſeo dilatandas, quia me quemquam non vereor poſſe refellere quidquam ſcriptitaſſe mendoſum. Chriſtum teſtor me vera eſſe dicturum, & ea de quibus, vt confido, nemo ambigit loquuturum. Nam ſi aliquatenus hæc abſque noſtro labore potuiſſent eſſe poſteris nota, minimè hoc mihi fortaſſe putaſſem elaborandum. Denique deberi hoc à me hominum ingeniis putaui, vt cùm etiam illius viuam nunc memoriam teneamus, hanc immortalem redderem ſi poſſem. Quod ecce aggrediar nullius me inuidia refellente, ſi virum ſingularem multorum, qui illum ſæpe viderunt, viuum ac præſentem memoria teſte commendem.

LIBER I.

Rerum geſtarum S. Ioannis Abbatis Reomaenſis.

CAPVT I.

De ortu & prima ætate S. Ioannis.

Ortus Diuione, Illuſt. n. 10.

VIR per cuncta prædicandus Ioannes, nullique ſuo tempore ſecundus, ortus ſub territorio Lingonicæ vrbis nobilitatem generis nobilitate adornauit mentis, eadem humo editus, eadem eſt moriendo ſepultus. Qui etiam generoſiſſimis parentibus eſt procreatus. Pater eius Hilarius nomine, mater verò Quieta vocitata eſt. Quorum animos cultus religionis catenatos, atque ſub omni deuotione Chriſtianus timor innexos tenebat. Quique etiam inter ipſa primordij rudimenta tam in pueritia, quàm in adoleſcentia ſub Chriſtiani cultu vigoris, atque religionis à parentibus alitus, atque enutritus eſt. Cùm adhuc in domo parentum indole ætatis frueretur, non laſciuiam ſectabatur, ſed Sanctorum veſtigia ſequebatur, non ſe cibis delicatioribus, aut quibuſque delectamentis paſſus eſt reſolui, vt illa

Parentibus Senatoriæ dignitatis. n. 7. 8.

ætas ſolet. Meditabatur autem in puerili ætate, quod poſtea, cùm in robur virile migraſſet, deuotus impleuit, literis namque apprimè eruditus eſt. Sed quàm fuerit memoriæ ſingularis capax, quáve erga condiſcipulos ſuos beneuolentia vſus ſit, non eſt noſtræ facultatis euoluere. *Annus Christi.*

Capvt II.

S. Ioannes vitam aggreditur ſolitariam.

Igitvr cùm eſſet annorum circiter viginti, & ad ſecretiora eum loca nullatenus parentum tam affectus amoris, quàm grauitas ſenectutis penetrare permitteret, ipſo tamen abruptis omnibus retinaculis ad Chriſtum ſe contulit. Sic igitur in remoto villæ propriis manibus ſibi cellam ſummo labore ædificauit, oratoriúmque conſtruxit, atque illic, adhibitis ſecum duobus tantùm pueris, ſoli Domino vacabat. Sub eodem namque tempore Gallias, ſub imperij iure Ioannes Conſul regebat. Tranſacto itaque aliquo temporis ſpatio, cùm ad perfectiora Chriſti miles animum tenderet, & huc atque illuc ad Sanctorum exempla imitanda ſpiritu feruenti ſuæ religionis fræna laxaret, in deſerto quod ſub axe Lingonico iacet, & à caſtro, cui Tornodoro nomen eſt, triginta fere millibus diſtat, prædictis ſecum pueris comitantibus nouus ſe condidit hoſpes. Vbi primum in paruo quodam tugurio cœpit habitare.

445. De prima eius Anachoreſi, Illuſt. n. 12.

448. Fuit Conſul Honorarius, Illuſt. n. 12. De ſecũda Anachoreſi, n. 13.

Capvt III.

Monachis collectis, è Galliæ Monaſteriis, leges petit ac mores.

Hinc paulò pòſt, confluentibus è diuerſis partibus hominum turbis, dux ipſe cæleſtis militiæ collocatur. Iam verò inibi monaſterio fidei firmitate conſtructo, regulæ inſtituta, patrúmque exempla, quorum ipſe extabat imitator, rudi & nouello adhuc monaſterio deeſſe non pati-

Annus Christi. tur. Denique ſtudio perfectionis accenſus laborem itineris ſubit intrepidus. Et animo feruenti Monaſteria circuire diſponens, nec longo terrarum ſpatio, nec præſentibus immanitatum periculis, qui erat fidei igneus torris aliquatenus potuit deterreri. Itaque Monaſteriis Galliæ viſitatis, deguſtatáque luminis veritate ſpiritalia condere cupiens, mella velut apis prudentiſſima diuinæ gratiæ floſculos decerpebat, vt intra pectoris ſui conclauium recondens ad ſummæ ſanctitatis dulcedinem atque perfectionis culmen enitebatur.

Quæ Monaſteria adire potuerit, Illuſt. n. 14.

Capvt IV.

Obediendi magis quàm regendi auidus ad Lirinenſes ignotus fugit, & cum eis velut nouitius degit.

Hinc iterum in inſulam marinam, quæ Lerinus nuncupatur, Monaſterium petiit, vbi tunc temporis & nunc vſque diſtrictio regularis & Patrum ſanctorum inſtituta inuiolata perdurant. Cauſa autem huius itineris laborem ſubeundi hæc fuit. Creſcente in ſuo cœnobio monachorum caterua cœpit anxio corde penſare quid melius foret, quidve ſalubrius mercedis cumulo obueniret, ſi plebi dominando præeſſet, aut ſubiectus aliis obediendo ſub obtentu religionis proficeret. Fuit tandem conſilij melius eſſe ſub vinculo mortificationis ſe ſubdere, quàm aliis imperando dominari. Denique illuc huius religionis gratia capeſſendæ, duobus ſecum comitantibus fratribus, denſiſſimas noctis tenebras captans aufugit. Vbi cùm fuiſſet exceptus, humilitatis cauſa ſui reticuit propoſiti dignitatem. Cúmque ibidem anno & ſex fere menſibus deliteſcens, per vniuerſam patriam quæreretur, à quodam tandem viſus eſt, qui de Galliæ partibus commearat; à quo vix potuit pro ſui habitus humilitate cognoſci. Cúmque eum intuens ſuper agnitione eius diutiſſima fuiſſet hæſitatione detentus, propius tandem accedens, & non ſolum vultum, ſed etiam vocis ſonum diligenter explorans, & ad pedes eius concitus

circa 504.

proruens. Nonne hic eſt, inquit venerabilis Ioannes, qui prælationem honorum fugiens ad hæc loca peruenit? Primùm quidem ſuper hoc ſtuporem videntibus ſummum incuſſit, poſt verò miraculo ſunt maiore perculſi, cùm eius nomen quod apud eos magna fuerat opinione compertum, protinus prodidiſſet. A quo vniuerſi fratres prioris ignorantiæ veniam poſtulant, quòd videlicet eum inter iuniores tanto tempore deputaſſent. Deinde iam vt decebat in honore maximo cœpit haberi, quia verax eſt ille qui dixit ciuitatem ſupra montem ſtatutam non poſſe abſcondi. Regreſſus itaque agnitor ineffabile gaudium de inuentione Ioannis patriæ reportauit. Qua Pontifex noſter Gregorius relatione comperta, qui tunc temporis Lingonicæ Eccleſiæ gubernacula retinebat, electis duobus fratribus duo paria epiſtolarum ſcripſit, vnam ad Patrem eiuſdem Monaſterij, alteram quoque eius proprio nomini editam tranſmiſit, deprecans vt rediret. Quòd ſi differret, ſciret ſe ante tribunal Chriſti, & pro deſolatione loci prædicti, & pro fratrum diſperſione ſecum cauſas eſſe dicturum. Quarum exemplaria litterarum dignum fuerat huic libello inſeri, ſi potuiſſent aliquatenus reperiri.

circa 506.

Erat tunc pater Lirinenſium Porcharius, aut Marinus, Illuſt.n.17.

CAPVT V.

Regreſſus in Monaſterium Reomaenſe, lapſam diſciplinam reſtituit.

IGITVR inuitum eum ac flentem, quòd non meruerit vitam ſuam in illa quam arripuerat ſubiectione finire, ad ſolum patrium reduxere. Regreſſúſque patriam, ac ciues omnes aduentus ſui gratia reddidit lætiores. Ingreſſus itaque Monaſterium comperit diſtrictionem regulæ, quam docuerat minimè ſeruari. Tum verò quaſi rudis, & adhuc nouelli Monaſterij inſtituta demum reformans, tandem aliquando ad ſtatum priſtinum reiordinem reuocauit. Nam quantum definitionis noſtræ iudicium penetrat, non inferior iudicandus eſt Ægyptiaco illo, de quo ſcriptor quidam

Annus Chriſti.

De inſtitutis renũciantium, lib. 4 c. 30.

eximius Caſſianus, in iis libellis, quos de hominum vitiis naturiſque eorum, atque remediis diſſeruit. Pinufium quendam referens Preſbyterum & Abbatem, qui cùm in illis locis omnium præcipuus haberetur, & ob hoc humilitatis virtutem minimè poſſet excolere, clam ſubiectionis deſiderio fugiens de Monaſterio quod ipſe fundauerat, ſeculari veſte aſſumpta Tabenneſiotarum Monaſterium fertur petiiſſe, quod ſciebat cunctis eſſe diſtrictius. Et multis precibus ac lachrymis petens, tandem vt ſuſciperetur obtinuit. Cúmque à ſuis per diuerſa diſcipulis quæreretur, à quodam ſimili modo cum viſum refert, qui de Ægypti partibus venerat. Qui & hic pro humilitate officij quod gerebat, atque habitus ſui vilitate agnoſci vix potuit, & ipſum operis laborem, quod gerebat, commemorat. Nam ſarculo, inquit, incuruus deorſum laxabat oleribus terram ac ſtercus propriis humeris aduectans eorum radicibus ingerebat. Denique Pinufius à quo viſus fuerat fratre inuitus, ad ſuum cœnobium reuocatus eſt. Sed redeundum nobis eſt ad ordinem cœpti operis, quia rectiùs iudicamus proprio ſermone prout ſufficit tenuitas ingenij noſtri, proprij patroni diſſerere laudem, quam de aliorum virtutibus aliorúmque ſcriptis texere volumen operis noſtri. Quia quamlibet ſimus idiotæ, omnique ex parte ſcientiæ paupertate conſtricti, vt tam ardua & in faſtigium ſublime porrecta, pro rerum magnitudine aſſequi nequeamus. Verùm ea ita nos aliquatenus poſſe explicare confidimus, ſi intercesſionibus ipſius ad nos quoque ille, qui per Iſaiam prolatus eſt,

Iſa. 45, v. 3.

ſermo Domini dirigatur. *Ego ante te ibo, & potentes terræ humiliabo, & portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam, & aperiam tibi theſauros abſconditos, & arcana ſecretorum.* Vt nos quoque verbum Domini præcedens primum potentes terræ humiliet, id eſt, noxias paſſiones dominationem ſibi tyrannicam ac ſæuiſſimam in noſtro mortali corpore vindicantes, eáſque faciat indagini expoſitionique noſtræ ſuccumbere, & ita nobis ignorantiæ portas effringens, ac vitiorum vectes excludentes nos à vera ſcientia conterens, ad ſecretorum arcana perducat.

CAPVT

Annus Chriſti.

CAPVT VI.

Necato precibus ſerpente ſalubres puteo aquas reſtituit.

IGITVR cùm, vt diximus, ſe primitus in deſerto Tornodorenſi condidiſſet, paucis adhuc ſecum commorantibus, nimiam aquæ penuriam patiebatur. Sed inquirentibus fratribus nunciatur puteus in eodem eſſe loco antiquitus immani profunditate conſtructus, quem incuria vulgaris & temporum prolixitas lapidum obrui permiſerat denſitate, vbi etiam peſſimus ſerpens baſiliſcus habitabat. Quod cùm beato viro fuiſſet compertum, non tam ſuæ neceſſitatis obtentu, quàm fratrum quos ibidem congregare cupiebat cura ſollicitus, fidei arma concutiens ad locum pergit pallentibus cunctis, & nihil aliud quàm ſolam beati viri mortem expectantibus. Interea Ioannes deſcendens in puteum oratione completa, aſſumptóque raſtro primus terræ foſſor acceſſit. Hinc hortatur vniuerſos, quo omnes adueniant, & operantibus ipſis putei immanitas aperitur. Ibi itaque inuenitur ſerpens prædictus diuini nominis inuocatione peremptus. Vicere ſuffragia orationum letalia venena ſerpentis. Tum eiecto ſerpente, ac puteo mundato, ibi vſque in hodiernum diem copia aquæ cognoſcitur emanare.

Baſiliſcus abuſu vocis dictus, Illuſt. n. 19.

CAPVT VII.

Regulam S. Macarij Monaſterio tradit, & matris aſpectum defugit.

REGRESSVS ergo, vt ſupra diximus, ad præfatum locum ſtuduit denuo ſalubria dogmata ſub regulari tenore, quem beatus Macarius Ægyptiorum indidit monachis, miniſtrare, atque educatam in melius plebem ad cæleſtia gaudia prouocare, annitente ſibi monacho Filomero nomine omni ſanctitati & religioni dedito. Cuius fultus auxilio

de Macarij Regula, Illuſt. n. 20, 37, 38, & ſeq.

B

Annus cæleſte præconium, tam monachis quam populo annuens
Chriſti. abſque dilatione conferebat.

Per idem tempus mater eius comperiens deſiderabilem aduentum venerabilis filij ad eum venire properat, vt tamdiu aſpectum eius à ſe ſegregatum tandem ouans cerneret, ſuiſque votis ſatisfaceret. Arrepto itaque itinere ad eum in eo loco quo vir poſitus erat aduenit, ac miniſtrorum depoſcit affectum, vt agerent qualiter deſideratam diu prolem ſuis obtutibus contemplari meruiſſet. Hoc ille audito abnuit, matriſque affectui fauere recuſauit reminiſcens
Matth.10. illud. *Qui non reliquerit patrem aut matrem non eſt me dignus.*
v.37. Sed tamen ne fidem matris quam in Chriſti amore & ti-
Vnde hoc more fixam nouerat, temere contemnendo perturbaret,
hauſerit S. tranſiens ante eam parumper obtutibus eius apparuit, vt
Ioannes, & deſiderium matris ſatiaret, & vigorem religionis ob
Illuſt. n.21. blandimenta matris non molliret. Hortatur namque eam per miniſtros aciem animæ medicinali mandatorum Dei obſeruatione polire, vt ſe poſſet in viſione intueri pacis, quia deinceps nunquam ſe vſurum eam in præſenti vita ſciret.

Capvt VIII.

Furem ad criminis confeſſionem arcana virtute adigit.

ALIO quoque tempore monachi ſanctorum Patrum inſtituta ſequi cupientes, quæ ſanciunt monachum
Cur opus iugi manuum operatione & contritione non modo corpo-
manuum
monachis ris, ſed etiam cordis adhibita perfectæ caſtimoniæ puritate
in vſu, Il- exerceri, hoc mandatum quaſi cælitus delatum ſeruabant.
luſt. n.22. Itaque loci vſus & neceſſitas exigebat, vt ſyluam quæ illi Monaſterio adiacet, infeſta extirpatione purgare deberent. Quod laboris opus ſummo conamine & maxima cum intentione agentes quadam die, ignoto quinam contigit caſus, vt ad Monaſterium regreſſi ſecures ſuas omnes in operis cœpti loco relinquerent. Veniens interea quidam ex loci ipſius incolis abſentibus fratribus omnium ſecures furti ſcelere deportauit. Fratres autem regreſſi damni de-

ceptionem patri nunciant. Tum ille, Orationi, inquit, lectionique, vacate, donec ego Domino adiuuante damnum commune vbicumque requiram. Egreſſus autem ad locum pergit. Tum oratione illo ſuo more completa, dum in animo volueret cur hoc Deus famulis ſuis fieri permiſiſſet vidit eminus rapidiſſimo curſu hominem ad ſe venientem, qui hoc ſcelus admiſerat. Dúmque hic accelerat, ille paululum remoratur. Breui adiunctus continuo ad pedes eius aduoluitur, & crimen quod commiſerat confitetur. Et nullam ſe arripere potuiſſe retulit copiam euadendi, niſi damnum ſeruorum Dei omnimodis reformaret. Paritérque veniam precabatur ſceleris recens admiſſi. Tum beatus Ioannes miſeratione commotus non ſolùm veniam verum etiam eulogias, cùm benedictione largitus eſt.

Eulogiæ cum benedictione quænam eſſent, Illuſt n. 25.

CAPVT IX.

Illecebras impudicæ mulieris fuga euitat.

ABSVRDVM verò eſt illarum inſignia præterire virtutum, quarum vt confido gratia decoratus hanc gloriam conſecutus ſit. Quæ inquantum interrogari potuit, non tam fuco iactantiæ quam ædificationis ſtudio proprio ſermone narrauit. Ad caſtrum cui Sinemuro nomen eſt caſu aduenerat ibi eadem nocte manſurus. Dúmque de Eccleſia reuerteretur, vbi fuerat orationis ſtudio profectus, die iam digreſſo nocte, vt ita dixerim iam ingreſſa quædam in eum irruit mulier & internis ſenſibus, & pudoris ornamento captiua immo decepta, ſuadens atque ambiens vt ſecum ſecretius ruris abdita penetraret, quo facilius eum illecebris ſceleribúſque ſuis diabolus & mulier inclinaret. Qua vir Deo plenus diaboli arte comperta, reſpuens atque renitens curſim aufugiſſe refertur. Tum illa conſcientiæ ſuæ pudoriſque reatu confuſa, & tempeſtate concupiſcentiæ ſuæ furoréque ſedato, tandem aliquando in ſe reuerſa ad diuerſorium redit. Quærebat autem Ioannes quatenus occultare poſſet dimicationis ſuæ victoriam.

Annus Christi. Sed quæ per famulos ſuos Chriſtus operatur, quanquam ea ſummo niſu celare contendant, velint nolint cuncta produntur.

CAPVT X.

Blaſphemum per nocturnam viſionem caſtigat.

AGRESTIVS quidam Magnimontenſium partium ciuis, vir bonis moribus, cùm ad Monaſterium S. Ioannis flagitandæ benedictionis obtentu die Dominico aduenisſet, expectans atque ambiens vt ab ore Ioannis corpus conſecratum Chriſti mereretur accipere, & ille vt ſibi moris erat ſecretius Miſſarum voluiſſet ſolemnia celebrare. Egredere, inquit Ioannes, Agreſti foras, dum modo ſecretius, vt Monaſterij vtilitas poſcit, ſacra myſteria peragamus. Illo rogante ne reſpueretur quippe, qui huius rei gratia maximè aduenisſet. Non ideo, inquit Ioannes, hæc facimus, quod execrari velimus tuæ charitatis præſentiam, ſed ne videamur ſanctorum Patrum irrita præcepta facere, néve præſumamus regularem laxare cenſuram. Tandem egreſſus eſt victus, vel ratione, vel precibus. Tum indignatione commotus blaſphemare auſus eſt, cur ei non licuerit intereſſe dum à ſancto viro ſunt ſancta myſteria celebrata. Inſequuta igitur nocte, cùm ſe ſopori dediſſet, ante locum ſtrati conſpicit per viſum ſtare Ioannem læta facie, vultu ſereno, & gemmam Euchariſtiæ dextra ferentem. Cerne, inquit Ioannes, Agreſti, quia ſi heſterno blaſphemare diſtuliſſes die, licet corporaliter non accepiſſes, tibi tamen ſpiritaliter largiretur. At verò nunc quia blaſphemare præſumpſiſti, ſpiritaliter tibi denegabitur. Et viſio ab oculis eius elapſa eſt. Euigilans autem culpam reatus ſui cognoſcit. Cúmque mundo fuiſſet redditus dies, regreſſus corde compuncto, conſternatúſque diuino metu veniam precabatur. Et ne quis hoc fabuloſum putet eſſe quod dicimus, referente viro venerabili Agrippino diacono, ipſius Agreſtij filio cognouimus.

Seculares ad Synaxin precum admittere olim non ſoliti monachi, Illuſt. n.

Seculares ad Euchariſtiæ communicationē non admiſere monachi, Illuſt. n. 24.

Capvt XI.

Eumqui Ioannis literas deſpuerat Dei vltio inſequitur.

Alio quoque tempore Clari cuiuſdam ſeruus ad Monaſterium Sancti Ioannis culpa compellente confugit, quam culpam minimè nobis iuſtum videtur euoluere, ne tragœdiam magis quàm hiſtoriam texere videamur. Ibique paucis diebus delitēſcens deprecatur, vt ad Clarum ſanctus epiſtolam Ioannes tranſmitteret, rogatoriam quatenus culpa donata ad Domini ſeruitium reuerteretur ſeruus excuſatus. Tum verò beatus Ioannes miſericordiæ & pietatis intuitu epiſtolam ſcripſit; quæ cùm fuiſſet ad Clarum delata, rei ordinem ob quam fuerat miſſa à portitore perquirit. Agnoſcit ob hoc eſſe tranſmiſſam, ne ſeruus ſuus à Dominicæ ſeruitutis officio diutiùs eſſe videretur exceptus. Quam epiſtolam manibus comprehenſam non ſolùm relegere dedignatur, verùm etiam de ſicco gutture excreationes ſine vlla flegmatis interpellatione pertractæ, ſupra Ipſius epiſtolæ ſignacula iaciuntur. Huius ergo temeritatis auſum vltio diuina ſubſequitur. Nam ex eo die quo hæc ſunt acta annis integris nouem, in os eius non ſolùm aliquid panis, ſed nec ipſius quidem Euchariſtiæ vſquam potuit ſanctificatio intromitti, vix vt ita dicam aliquid tenuiſſimi liquoris potuit deguſtari.

Seruos ad Eccleſiam confugientes licuit protegere, Illuſt. n. 15.

Sed intra breue tempus excuſatos oportuit remittere, ib.

Capvt XII.

Nicaſij ſeruum & ruſtici filium à dæmone liberat.

Iam affectat animus enarrare quanta in Ioanne, vſque ad obitum eius effugandorum dæmonum gratia perdurarit, ſi à nobis aliquatenus exequi complectique queat. Clariſſimus tunc erat Nicaſius vir feroeis ingenij, cui etiam Auallenſis oppidi regendæ reipublicæ fuerat cura commiſſa. Huius Nicaſij ſeruus cùm à dæmone obſeſſus dolendo cruciaretur exitu, ad Monaſterium Sancti Ioannis captus

De Nicaſio Auallonenſi Comite, Illuſt. n. 16.

Annus Chriſti.

catenatúſque adducitur ſpe recuperandæ ſalutis. Qui cùm fuiſſet S. Ioannis obtutibus præſentatus, deprecantibus cunctis, vt ſolitam erga inſanum purgationis curam impenderet, ſæuire miſer ac fremere dentibus cepit, ac rabidiores inſonare ſermones. Flammarum quoque inuiſibilium vndique incumbentibus globis exuritur, & huc illucque rotari miſerum cerneres, & cùm ingenti vociferatione clamare, ſe diutius non poſſe tolerare ſi Ioannes propius acceſſiſſet. Interea dæmoniacum ad ſe ſecretius iubet exhiberi, & celeri purgatione curatum ſecum paucis pòſt diebus iuſſit habitare. Quo facto & obſeſſus recipit ſoſpitatem, & ſeruus domino reformatur. Nec diſſimile huic fuit illud quod dicturus ſum. Quidam igitur de ruſticioribus perſonis paruulum ſecum filium exhibens rogaturus aduenit, vt per orationem ſancti Ioannis paruulo ſanitas redderetur, cui linguæ vſus labiorúmque officia negabantur, ita vt etiam amentem eum diabolus effeciſſet. Tnnc Ioannes reniti cœpit dicens ſuæ, non eſſe virtutis per quem Deus ſignum ſanitatis oſtenderet. Interea flens & eiulans pater tandem vt ſuſciperetur emeruit. Tranſacto itaque aliquo temporis ſpatio, diuino purgatur auxilio. Tum puerulus quaſi beneficium proſperitatis ſuæ retribuere cupiens, prouolutus pedibus ſancti Ioannis, vt Sanctorum fratrum aggregaretur numero, ipſis ſupplicantibus impetrauit. Ibi quoque Domino cupiens deſeruire, vbi non modò corporis ſalutem, ſed etiam animæ incolumitatem fuerat conſequutus.

De exaggeratione incendij dæmonum, Illuſt. n. 27.

Capvt XIII.

Virtutum S. Ioannis Epilogiſmus.

Nam in Ioanne illud mirabile fuit, quod nunquam obitu cuiuſquam afflictus eſt nec funere lætatus. Nihil in eo maleuolæ voluntatis fuit, nec bene poſſe defuit. Tranquilla poteſtas mens modulo contenta ſuo, nec vnquam turpi dedita lucro. Illecebras vicit corporeas, iocos

obſcœnáque dicta vitauit. Inuidus cuiquam fuit nunquam. Non ignarus ſed multis experimentis edoctus, quod ij ſibi mores perpetuam ſpondent ventura in ſecula vitam. Sed de plurimis pauca dixiſſe ſufficiat. Quia cui pauca non ſufficiunt ad credendum, plura non proderunt audiendo. Igitur libelli noſtri paginula, dum veretur ne à quibuſdam ſua prolixitate faſtidioſè ſuſcipiatur, finem iam poſtulat. Sane in volumine libelli tam prioris, quam ſubſequentis præmonitum volumus eſſe lectorem, vt res potius quam verba perpendat. Et quamlibet ſit ſenſus ſtili ſolœciſmorum diſcrepatione variatus, ne nobis in aliquo ſuccenſeat expoſcimus.

Annus Christi.

LIBER II.

Rerum geſtarum S. Ioannis Abbatis I. & inſtitutoris Monaſterij Reomaenſis.

Per Dialogiſmum inter Ionam & Lætum Diaconum.

PROLOGVS.

REVOLVENTI iterum mihi ac ſæpius prioris libelli corpuſculum ſuperuenit cariſſimus noſter Lætus Diaconus. Ad cuius ingreſſum valde gauiſus, conſalutatiſque nobis officioſiſſimè paululum conſedimus. Tum percontari à me cœpit, quaſi ignarus quidnam à me operis in cellula ageretur. At vbi ex reſponſione noſtra hoc nobis reperit laboris, quod ſuperius dixi multo lætior redditus, atque exoſculans mihi caput. Cùm te, inquit legentem dudum frater audiſſem, ſenſim ad conſcientiam meam tacitis cogitationibus meis recurrebam, vtrum nam quæ de Ioannis virtutibus noueram, in præſenti volumine teneres inſerta, ſed quia tibi forſitam minimè nota ſunt, me quæſo explicante conſcribas. In hunc ſermonem vtérque paulu-

Vnde ducta hæc ratio ſcriptionis dialogiſticæ, Illuſt. n. 18.

Annus Chriſti. lum conticuimus. Me tamen poſcente tandem ita exorſus eſt.

Capvt I.

Secundinus Patritius ob proculcatas S. Ioannis literas diuinitus plectitur.

Quis Patricius Secundinus, Illuſt. n. 29.

QVADAM die extitit cauſa, qua ad Secundinum Patritium epiſtolam S. Ioannis, pro quodam paupercu-lo deferebam. Quam epiſtolam Secundinus Patritius manibus comprehenſam, vt cognouit cuius cauſæ obtentu delata fuerat, pedibus conculcandam proiecit. Mihique minas conabatur intentare, ac tumenti ceruice rabidos intonare ſermones, ſcabellum pede ferire, palmáque collidere femur. Verè tibi fateor quia vidi hominem inſanire. At ego nec in totum Euangelici immemor, præcepti excuſſo puluere de pedibus meis abſceſſi. Continuóque pauore nimio, ac tremore Secundinus concutitur, ac tenebroſa quodammodo noctis caligine circundatur. Et velut vndique peracutis eſſet ſudibus circumactus, ita totum diuerſis modis partibuſque corpus illius cerneres contorqueri. Obſtupeſco rei miraculum. Quam citò commutati artus in vſum alterum tranſiérunt. Ita vt qui dudum nimio iactantiæ furore ſuccenſus ſcabellum pede ferierat, femúrque palma illiſerat, iam vt credo confidóque Angelo ingruente exterritus, immo nimio tremore contortus intellexit, ſe ob ſancti Ioannis epiſtolæ contemptum iſta perferre. Itaque per internuncios fidos veniam precabatur omnibus modis, ſe ſancti Ioannis iuſſionibus præbiturum aſſerens famulatum. Vniuerſa quoque quæ iuſſerat ſtatim decreuit eſſe complenda tantùm, vt pro ſe dominum precaretur. Quo facto & ille recepit ſoſpitatem, & hic quod rogauerat impetrauit.

CAPVT II.

Lætum Diaconum peſtilenti lue laborantem ſanat, cùm aquam putei Reomaenſis potaſſet.

AT ego, inquam, Læte, licèt iſta à te audiam, libentérque ſuſcipiam, illius tamen virtutis magnitudinem, vt referas quæſo quam ipſe, vt aſſeritur, perſenſiſti. Ita, inquit Lætus, planè faciam. Lue illa quam vtinam neſciretis 541.
noſtros irato Deo populos patriámque vaſtante dum Pariſiis, vbi tunc temporis dominabatur reuerterer, huius me morbi ſenſi contagione comprehenſum. At cùm vlceris ipſius grauamine oppreſſus, vix ad domum propriam perueniſſem, ibique præualeſcente incommodo penè iacerem exanimis, ac triſti mœrentis familiæ frequentárer officio, matérque mea propriis ſibi vnguibus faciem genáque decerperet miſeram ſe clamans, nullam ſibi per obitum meum ſpem vitæ dicebat remanſuram eſſe, vel exiguam portionem. At ego cupiens eam conſolari euaſurum me eſſe dicebam, tantùm ſi mihi de puteo Monaſterij S. Ioannis aqua fuiſſet bibituro exhibita: Cúmque fuiſſet aducta aqua, quæ erat ſancti Ioannis benedictione condita, vbi ebibi tanquam ſi in me celerrima ſanitas fuiſſet ingreſſa, ita, quod mihi antea rarò contingebat, ſomno quieui. Cúmque euigilaſſem, vlcus illud cuius tabo diuturno grauamine laborabam, crepuiſſe perſenſi. Ita ſenſim, paulatimque cum officiis ſuis cœperunt membra viueſcere, dònec confirmatis greſſibus, tam orationibus beati Ioannis quàm Domino auxiliante ſurrexi.

Illuſt. n. 30.

CAPVT III.

Fidamiolus Læti frater, & alij eximuntur morbo S. Ioannis eulogiis commanducatis.

NE c diſſimile huic fuit illud quod ſum referre paratus. Nam tempore quo Franci poſtpoſita republica, ſub-

Annus Chriſti.

De Italici belli ducibus ſub rege Theodeberto, n 31.

latóque imperij iure propria dominabantur poteſtate, Theodebertus filius Theodorici, Clodouci quondam filij Italiæ clauſtris diſruptis bellum Auſoniis intulit. Qui celerrimè reuerſus dimiſſo duce cui ſummam bellorum commiſerat nomine Buccelleno, alium etiam nomine Mummulenum in auxilium ei direxit, & ſic ad propria repedauit. Latere neminem ſuſpicor qualis quantúſque peſtifer morbus illis diebus latè longéque populos patriámve depopulatus ſit. Huius morbi infeſtatione germanus meus Fidamiolus, quem tu frater optime noſti, longo iam tempore quartano tabeſcebat incommodo. At cùm mihi compertum eſſet eum, abſque vlla ſpe vitæ iacere præmortuum, continuo ad notum recurrens præſidium, nec aliter ad Ioannem quam ad cæleſtia præſidia pro re peritura iam iámque feſtinaui deuotus. Statimque eulogiarum munus acceptum ſanè lautiſſimum vnum paximatium, & quinque pomula noctu tranſcurrens languido deportabam. Dúmque adhuc procul abeſſem, non tam meum quàm ſanitatis ſuæ aduentum ſenſit ægrotus, ac percontari à circunſtantibus cœpit vbi eſſem, meóque me nomine vocans paximatium illud quod deferebam, quaſi præſentem aſpiceret, depoſcebat. Paulò pòſt ego veniens plangentis turbæ ſum exceptus officio. Atque ita ingreſſus domum in qua æger iacebat, vt vidi germanum meum, iamiámque præcipitanter rapi in mortem, in apertos ſingultus lachrymáſque prorumpens munus illud quod exhibueram protuli. Igitur tres particulas benedicti panis, vini infuſione madefactas in os illius ipſe inferui, ſtatimque corroboratis artubus in ſtratum reſedit ac reſpirauit. Dein paulatim huius edulij perceptione corroborari, atque ad vſum ſuum cœperunt membra reuerti, donec incolumitati priſtinæ redditus turba omni inſpectante ſurrexit. Nam nec hoc prætereundum videtur, quod amico ſuo imo parenti periclitanti valetudine huius morbi cuius ſe nouerat ægritudine laboraſſe, partem illius muneris per quod ſanus effectus fuerat, ſimilem ſibi efficere cupiens detulit. Quo & ipſe accepto proſperitati nuper amiſſæ reſtituitur. Nam &

harum eulogiarum munuſcula ſancti Ioannis benedictio- *Annus*
ne ſanctificata crebras ſuper infirmantes egere ſanitates. *Chriſti.*

CAPVT IV.

Mendicum impreſſo pectori eius ſigno crucis, ex inerti laborioſum & copioſum reddit.

CVM QVE ſolito per ſaltum more athletarum antiquorum oratione & ieiuniis exerceretur, reperit quendam pauperem ſeminudum neceſſaria alimenta fructúſque, quos ſaltus gignere ſolet omni ſtudio inueſtigare, vt carnis famem poſſet cibo ſuperare. Illo inquirente quid quæreret, illatam miſeriam oris confeſſione deprompſit. At ille, Vtinam te, inquit, ſola carnis fames vrgeret, & non fames, vel ſitis animæ, quæ omni ſine dape manet, cruciaret. Aut certè ſi ea te pauperies, de qua Dominus præcinens dixit beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum, & beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam quoniam ipſi ſaturabuntur, poſſidet, nulla dapum copia indigeres. Sed dabo quodcumque potero modò conſilium, vt ſpem non perdas. Multi enim ex inſperato temporis vſu euaſerunt. Pone in Domino ſpem tuam, & ipſe te enutriet. Et arripe laboris ſtudium iuxta Apoſtolum quod bonum eſt, vt habeas vnde tuo vſui, & egentum præbeas neceſſaria. Factoque in pectore eius Crucis ſigno ire ad propria imperat. Ille imperio viri Dei obtemperans tantam copiam laboris ſuſcepit, vt nequaquam deinceps quæ ei neceſſaria erant deeſſent. Vis ſigni crucis ad animum immutandum. n 34

CAPVT V.

Frumentum egenis deſtinatum multiplicat mirabiliter.

QVODAM etiam tempore loca circumadiacentia fames torquebat ita vehemens, vt nec ſpes viuendi pleriſque foret. Cùm ergo ad virum Dei ob alimonias quæ-

Annus Chriſti.

rendas properarent, ille prophetici præconij dictum ante oculos ferens, quo ait frange eſurienti panem, & omni petenti te tribue, quoſcumque aduenire cerneret, neceſſaria eis miniſtrabat. Cúmque iam vndique egentum plebs crebrius adueniret, ille adſuetum opus impendens omnibus miniſtrabat. Tum vnus è ſubditis ad patrem accedens, ait ſe tantam farris copiam non habere, quantam egentum poſcebant cohortes. Ille gemens popoſcit vas ſegregari, ad ſubleuandam petentium pauperum indigentiam. Móxque ad imperium pij patris vas farcitur capiens ferè modios quinquies quinos, vt cætera ad vſum fratrum proficerent. Cùm ergo turbæ egentium per aliquot temporis ſpatium, ex eo vaſe aleretur euenit, vt quidam iuxta morem ſibi dari neceſſaria poſceret. Ille menſuram conſuetam dari iubet egenti. Tum miniſter, nequaquam, inquit, vel parum in vaſe remanſit, ſed totum imperiis tuis pauperibus eſt erogatum. Quo audito oculos ad cœlum attollit, genúque flexo largitorem omnium Deum implorat. Peractáque oratione miniſtro iubet. Vade, inquit, cum fidei adminiculo defer alimenta egeno. Pergèns miniſter reperit vas plenum, ſumptáque menſura pauperi tribuit. Deinde Patri nuntianda credit. Sed ille ſilendum eſſe imperat ne elationis macula cumulum gratiæ tollat.

Caput VI.

S. Sequanum in hoſpitium & diſciplinam admittit.

Vir quidam nobili intentione præuentus Sequanus nomine, comperta famuli Dei Ioannis fama in obſeruatione inſtituti priorum patrum, quam & ipſe flagranti ſitiebat amore, quadam nocte à partibus Magnimontenſium inter denſa tenebrarum adueniens baſilicam latenter introiit communem Dominum orationibus pulſans. Quod diuinitus viro Dei reuelatum eſt. Citóque miniſtro imperat, vt concito gradu pergat, tactóque ſigno ſodales excitet, quia frater communis Sequanus abſconditè fores

Cur S. Ioānem adiret in tenebris S. Sequanus, n. 33.

Eccleſiæ penetrans Dominum orationibus pulſat. Quod ita eſſe citiſſima eſt inuentione compertum, & venerando famulo Dei per plurimum ardentiſſima fratrum charitas officium debitum hoſpitalitatis perſoluit. Quanta quámque ſublimia miraculorum Domini in Sanctis ſuis redoleant exempla, finibus Eccleſiæ in orbe terrarum diffuſæ perſonuit, atque elucubrata luce veritatis fidelibus notum eſt. *Annus Chriſti.*

Capvt VII.

Monachum de obiecta viſione gaudentem ſalutariter reprimit.

CVM eo in tempore ſegetes annua maturitate confectæ ad præcidendum in ſupradicto cœnobio fuiſſent paratæ, concio fratrum ad ſegetem præcidendam cateruatim properauit. Opúſque per totius diei metas peractum aduentus tetræ noctis prohibuit. Cúmque omnes ad cœnobium remeaſſent, imperio ſeniorum vnus è fratribus Claudius nomine ad frugem cuſtodiendam remanſit. Qui cùm ſomnum caperet, atque intempeſta nocte euigilans mentis ardorem ad cœlum tolleret, iuxta illud, *Ego dormio, & cor meum vigilat*, cœpit cogitare ne feſſi artus ſodalium nimio indulgerent ſopori, neglectóque orationis vſu in auroræ aduentum conſuetum officij curſum differrent. Cúmque hæc anxio animo volueret, vidit ſubitò cœlos apertos, & micantem globum totum luſtrare mundum. Móxque dum mirandi facti mens pauefacta pulſaretur euentu, aliger gallus ſolitam vocem attollens mundo venturam lucem prænuntiauit. Signóque tacto omnis concio fratrum ad orationem cantúſque peragendos Eccleſiam penetrauit. Ouans ille priuſquam lux dedita mundo fuit, patri de induſtria quid viderit nuntiauit. Ille ne fortè ſtimulo elationis frater corruptus mentem pollueret, increpans ait, Nequaquam talia te corde tumido vidiſſe præſumas narrare. Quid enim? Num fas eſt vt homo ſub fragilitate car-

Cant. 5. v. 2.

Curſus officij ferè nocte peractus Reomai, n. 34.

Annus Chriſti. nis poſitus, & contagione peccatorum maculatus audeat de contemplatione cœleſti gloriari?

Caput VIII.

De veneratione ac virtutibus Sancti Ioannis ad extremam ætatem.

QVANTO iam honore ac veneratione regum Francorum, atque nobilium fulciretur virorum ambigit nemo, qui beneficia à prædictis regibus præſtita per præcepta chartarum quæ vſque nunc in publicis archiuis prædicti condita ſunt Monaſterij, relegere cupit. Inerat in eo, vt opinor, iure dicam omnium virtutum fragrantia, corporis caſtigatio, ieiunia & orationes æquè vt iuuenili ætate tulerat, eo modo & ſenili portabat. Exemplo ſubditos edocens vt caſtrimargiæ, id eſt gulæ, cœnodoxiæ id eſt elationis, arrogantiæ, id eſt ſuperbiæ vitia maxima per quæ compererat Adam in paradiſo deceptum, omnibus modis cauerent. Ne ſicut Adam his tribus vitiis delapſus, atque à gaudiis paradiſi ſegregatus & deiectus eſt, ſimili modo imitatores eius dum ventris ingluuiei gulæ obediendo ſuccumbunt, dum elationis ſtimulo imbecillitate animi perturbantur; dum ſuperbiæ malo animæ Deo dicatæ vulnerantur à conſortio iuſtorum abſciſſæ, & omni gaudio perpetuæ lucis priuatæ æterno cruciatu damnarentur. Ipſe verò ieiuniis & vigiliis vacans, omnibus illecebris eliſis, pullulantibus virtutibus fauebat, animique vigore corporis voluptates prohibebat, vtpote ignitus illius ignis amore, de quo Dominus ait,
Lucæ 12, v. 49. *Ignem veni mittere in terram, & quam volo vt ardeat?* Vt omnium virtutum fructus adtraheret, hoc verbum ſemper
Pſal. 118. v. 20. corde & ore proferens, *Concupiuit anima mea deſiderare iuſti-*
Pſal 118. v. 127. *ficationes tuas in omni tempore.* Et item, *Ideo dilexi mandata tua ſuper aurum & topazion.* Et fratres cohortans vultu hila-
Pſ 94 v. 1. ri læta facie monebat dicens: *Venite exultemus Domino, iubilemus Deo ſalutari noſtro, præoccupemus faciem eius in confeſſione, & in pſalmis iubilemus ei. Venite adoremus & procidamus*

ante Dominum,& ploremus ante Dominum qui fecit nos,quia ipſe eſt Deus noſter. Opere piiſſimo corde & corpore Deo vacans memor erat S. Paulum præcepiſſe ſi quis non laboraſſet, panem ſine periculo non poſſe ſumere. Et requirens inſtituta ſanctorum Patrum, inter multas collationes præcipuè ſancti Iſaac Abbatis Scitæ doctrinã meditans pro Chriſti dilectione ſe coarctauit, & Crucem Domini noſtri Ieſu Chriſti non erubuit, ſed portauit ſempérque habens profundæ humilitatis inconcuſſa fundamina, ab omni lubricæ impulſionis incurſu animum inhibuit, & ita paulatim ex contemplatione diuina, ac ſpiritali intuitu meruit ſublimari. Sollicitudinem rerum carnalium præter certas neceſſitates generaliter abſcidit, & nullius negotij cauſæve non ſolùm curam, ſed ne memoriam quidem penitus admiſit. Detractionem, vaniloquia ſeu multiloquia & ſcurrilitates pariter amputauit. Summóque conamine ſatagebat, vt his imbuerentur diſciplinis, in quibus ipſe ab ineunte ætate exercitatus ad culmen perfectionis euaſerat. Nec verò quanquam fatiſcentibus artubus à prædicationis ceſſabat officio, quin ea quibus diſcipuli erudirentur, infatigabiliter ac ſalubriter prædicaret.

Annus Christi.

Quis fuerit Iſaac Abbas Scitæ, n.35.

CAPVT IX.

De obitu ſancti Ioannis.

OBIIT ergo circiter centum viginti annorum v Kal. Februarij plenus ætate corporis, & decore religionis. Non oculis caligauit. Non damna dentium ſenſit. Memoriæ vigorem tenaciter retinens, & vt in pleriſque fieri ſolet, nequaquam ætas decrepita omiſſo largitatis vſu auaritiæ vnquam ſuccubuit. Sed omnibus rebus bonis quibus ætas iuuenilis incubuerat, æquè & ſenectus pollebat. Sepultúſque eſt haud procul à cœnobio infra terminos Monaſterij in loco quem ipſe prædixerat, anno Domini quingenteſimo duodecimo, iuxta quod in ciclo beati Victurij epiſcopi numeratur.

Sepultus in Eccleſia corporis ſancti, n.36.

Annus Chriſti.

LIBER III.

Defenſio Regulæ Macarij, n.37.

Rerum S. Ioannis prætermiſſarum à Iona.

CAPVT I.

Cuius Macarij mores exprimat, n.38.

Regula B. Macarij qui ſub ſua diſpoſitione habuit V.M. Monachorum; à S. Ioanne conſtituendo interius Monaſterio adhibita.

Ex Codice Ms. Beccenſi.

I.

In concordia Regularum, c. 7. Marc. 12. Nihil differt hæc Regula ab antiqua Macarij, n 39.

MILITES Chriſti ſic debent componere greſſus ſuos. Charitatem in ſe perfectiſſimam continentes, *Deum ex tota anima diligere, & ex tota mente, & ex toto corde, & ex tota virtute ſua.*

II.

In Conc. c.7. In virtutibus internis, n.40.

Inuicem perfectiſſimam ſectantes obedientiam, pacifici, mites, moderati, non ſuperbi, non iniurioſi, non ſuſurrones, non irriſores, non verboſi, non præſumptuoſi, non ſibi placentes, ſed cui militant Chriſto, non blaſphemiam ſectantes, nec dicentes quidquam præter quod bonum eſt, ad obſequium non pigri, ad orationem parati, in humilitate perfecti, in obedientia præcincti, in vigiliis inſtantes, in ieiunio hilares.

III.

In Conc. c.7.

Nullus alio ſe iuſtiorem arbitretur, ſed vnuſquiſque omnibus ſe inferiorem contendat, quia qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur.

IV.

Ibid. S. Hieron. ep. 4.

Præceptum ſenioris vt ſalutem ſuſcipias, non murmurando vllam operam facias, non reſponſionem contra præceptum vſurpes.

V.

Annus Chriſti.

V.

Non te extollas aut magnifices vtilem aliquam operam feciſſe, non in aquirendo aliquid lucri congaudeas, aut in damno contriſteris. In Conc. c.7.

VI.

Non te familiaritas vlla ſæcularis trahat, ſed tota dilectio tua in cellula demoretur. Cellam vt paradiſum habeas, fratres tuos ſpirituales vt æternos confidas habere parentes. In Conc. c.7. S. Hieron. ep.4.

VII.

Præpoſitum Monaſterij timeas vt dominum, diligas vt parentem. Similiter quoque & omnes te oportet diligere fratres, cum quibus te confidis videre gloriam Chriſti. In Conc. c.7. S. Hieron. ep.4.

VIII.

Non oderis laborioſa opera, otium quoque ne ſecteris. In vigiliis confectus, in opere iuſto affectus, ambulans quaſi dormitans laſſus ad ſtratum venias, & cum Chriſto requieſcere te credas. In Conc. c.7. Eccl.7. S.Hieron. ep.4.

IX.

Curſum Monaſterij ſuper omnia diligas, qui verò ſæpiùs orare voluerit, vberiorem inueniet miſericordiam Chriſti. In manuum opere & precatione, n.41. In Conc. c.7.

X.

Matutino dicto ita meditationem habeant fratres vſque ad horam ſecundam, ſi tamen nulla cauſa extiterit, qua neceſſe ſit etiam prætermiſſa meditatione aliquid fieri in commune.

XI.

Poſt horam verò ſecundam vnuſquiſque ad opus ſuum paratus ſit vſque ad horam nonam, vt quod iniunctum fuerit ſine murmuratione perficiat, ſicut docet Apoſtolus.

XII.

Si quis autem murmurauerit, vel contentioſus extiterit, aut recedens in aliquo contraria voluntate præceptis, dignè corripiatur ſecundum arbitrium ſenioris, vel quemadmodum qualitas popoſcerit, vt cùm ſe pœnitendo humiliauerit, vel emendauerit, ita correptus frater, non audeat vſque recidere. In caſtigatione delictorum, n.42.

Annus Chriſti.

XIII.

Si quis verò de fratribus, vel qui in oratorio ſunt, vel qui per cellulas conſiſtunt, eius errori conſenſerit, culpabilis erit.

XIV.

Ad horam verò orationis dato ſigno, qui non ſtatim prætermiſſo omni opere quod agit venerit, quia nihil orationi præponendum eſt, foris excludatur, vt erubeſcat.

XV.

Operam verò dabunt ſinguli fratres, quòd tempore quo Miſſæ fiunt in vigiliis obſeruandum eſt, vt quando omnes conueniunt, quicumque grauatur ſomno exeat foras, nec ſe fabulis occupet, ſed ſtatim redeat ad opus ad quod conuenitur. In congregatione autem ipſa, vbi legitur, aurem ſemper ad ſcripturas habeant, & ſilentium obſeruent omnes.

XVI.

Hoc etiam addendum fuit, vt frater, qui pro qualibet culpa arguitur, vel increpatur, patientiam habeat, & non reſpondeat arguenti ſe, ſed humiliet ſe in omnibus ſecun-
Iacob 4. v.6. Matth.13. v.12. dum præceptum Domini dicentis, quia *Deus humilibus dat gratiam, ſuperbis autem reſiſtit*, & *qui ſe humiliat exaltabitur.*

XVII.

In Conc. c.37. Smarag. c.28. Qui verò ſæpiùs correptus non ſe emendat, nouiſſimus in ordine ſtare iubeatur. Qui ſe ne ſic quidem emendauerit, extraneus habeatur, ſicut Dominus dixit. *Sit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* Matth.18. v.17.

XVIII.

In ſilentio, n.43. Ad menſam autem ſpecialiter nullus loquatur, niſi qui præeſt, vel qui interrogatus fuerit.

XIX.

In Conc. c.60. Smarag. c.53. Nullus ſe in ſua peritia, vel in voce exaltet, ſed humilitate & obedientia lætetur in Domino.

XX.

In hoſpitalitate & conuictu, n.44. Hoſpitalitatem ſectans per omnia, ne auertas oculos inanem relinquens pauperem, ne fortè Dominus in hoſpite, aut in paupere ad te veniat, & videat te hæſitantem, &

condemneris: ſed omnibus te hilarem oſtende, & fideliter age. *Annus Chriſti.*

XXI.

Paſſus iniuriam taceas, iniuriam facere non noſce, ſed factam poſſe tolerare. Non te inania ſeducant conſilia, ſed magis te ſemper in Chriſto confirma. Non tibi vllos æſtimes eſſe proximiores parentes, quàm qui tecum ſunt tui in cellula fratres. In Conc. c.14. S.Hieron. ep.4.

XXII.

Ad neceſſaria quærenda à cellula bini egrediantur, vel terni fratres, & ita illi, quibus credendum eſt, non qui verboſitatem, aut gulam ſectantur.

XXIII.

Ergo ſi de ſæculo quis in Monaſterio conuerti voluerit, Regula ei introeunti legatur, & omnes actus Monaſterij illi pateſiant. Quòd ſi omnia aptè ſuſtinuerit, ſic dignè à fratribus in cellula ſuſcipiatur. In Conc. c.65. In abrenunciando ſæculo & diuitiis, n. 45.

XXIV.

Nam ſi aliquam in cellulam voluerit inferre ſubſtantiam, in menſa ponatur coram omnibus fratribus, velut Regula continet. Quòd ſi ſuſceptus fuerit, non ſolùm de ſubſtantia quam intulit, ſed etiam nec de ſeipſo ab illa iudicabit hora. Nam ſi aliquid prius erogauit pauperibus, aut veniens in cellulam aliquid intulit fratribus, ipſi tamen non eſt licitum, vt aliquid habeat in ſua poteſtate. In Conc. c.65. Apoſtolica Act.4.

XXV.

Etſi ex qualibet cauſa ſcandali poſt tertium diem exire inde voluerit, nihil penitus niſi veſtem in qua venit accipiat. Quod ſi caſu tranſierit, nullus hæreditatem eius adire debet. Quòd ſi impulſare quis voluerit, Regula ei legatur, & confundatur turpiter, & diſcedat confuſus, quia & illi à quo repetit fuerat recitata. In Conc. c.65.

XXVI.

Ergo ex qualibet cauſa quis peccauerit frater, ab oratione ſuſpendatur, & ieiuniis diſtringatur. Quòd ſi coram omnibus fratribus proſtratus veniam petierit, dimittatur illi. In Conc. c.37.

Annus Christi.

XXVII.

In Conc. c.37. Nam ſi in ſua voluerit perſeuerare nequitia & ſuperbia, & dicat. Hîc ego durare non poſſum, ſed accipiam cauſulam meam, & eam vbi voluerit Dominus. Qui de fratribus hoc eum dixiſſe primus audierit, referat Præpoſito, & Præpoſitus Abbati. Abbas coram omnibus fratribus reſideat, & eum exhiberi iubeat virgis emendatum, & oratio fiat, & ſic ad communionem recipiatur. Vt ſi quis ſanè non emendatur doctrina, virgis purgetur.

XXVIII.

In Conc. c.37. Quòd ſi caſu quis frater de Monaſterio exire voluerit, nihil penitus accipiat niſi annotata ſua veſtimenta, & extra communionem infidelis diſcedat. Nam quieti & pacifici excelſum diripiunt regnum, & filij computantur altiſſimi, & pretioſas ſplendidáſque accipiunt coronas. Filij autem tenebrarum in exteriora ibunt tormenta. Eſaiæ 66. v.2. *Super quem requieſcam, dicit Dominus, niſi ſuper humilem, & quietum, & trementem ſermones meos.*

XXIX.

In ieiunio, n.46. Ita & hoc obſeruandum eſt, quòd quarta & ſexta feria, qui infringunt ieiunium, grauem ſibi pœnam aquirunt.

XXX.

In Conc. c.64. Illud etiam addendum fuit, vt intra Monaſterium artificium non faciat vllus, niſi ille cuius fides probata fuerit, qui ad vtilitatem & neceſſitatem Monaſterij faciat quod facere poterit.

CAPVT II.

Præceptum Clodouei I. Francorum Regis, quo S. Ioannes exterius Monaſterij immunitati prouidit.

Ex Codice Ms. Reomaenſi.

Priuilegia Monaſterijs, & Eccleſiis dare ſolitus Clodoueus, n.47. CLODOVEVS Rex Francorum vir inluſtris. Seruos Dei quorum virtutibus gloriamur, & orationibus defenſamur, ſi nobis amicos aquirimus, honoribus ſublimamus,

Annus Christi.

atque obſequiis veneramur, ſtatum regni noſtri perpetuo augere credimus, & ſæculi gloriam, atque cœleſtis regni patriam adipiſci confidimus. Quapropter notum ſit omnibus Epiſcopis, Abbatibus, & inluſtribus viris, magnificis Ducibus, Comitibus, Domeſticis, Vicariis, Graphionibus, Centenariis, & omnibus curam Sanctæ Dei Eccleſiæ gerentibus per noſtrum regnum diſcurrentibus, tam præſentibus quàm futuris. Quia Dominus Ioannes clarus virtutibus locellum ſuum in pago Tornotrinſe, ſub Regula Beati Macarij ad habitationem Monachorum conſtructum, qui Reomaus vocatur, primo noſtro ſuſceptæ Chriſtianitatis,
atque ſubiugationis Gallorum anno noſtræ celſitudini tra- 497.
didit, & commendauit, vt ſub noſtra emunitate & mundiburdio, noſtrorúmque ſucceſſorum Regum, ſemper maneat. Propterea & nos ipſum peculiarem patronum noſtrum, cuius meritò omnes hoſtes noſtros vincere credimus taliter honorauimus, vt quantumcumque ſuo aſino ſedens vna die circa locum ſuum nobis traditum, & commendatum de noſtris fiſcis circuiſſet, perpetuò per noſtram regalem munificentiam habeat, & quod ipſe nobis, nóſque illi contulimus iure hæreditario tam nos, quàm noſtri ſucceſſores Reges teneant in omni defenſione, reclamatione, aduocatione, & immunitate, nullique vnquam dignitati, nullique Eccleſiæ propter meritum tanti patris ſubdatur, & conferatur. Monachis verò ibidem per diuerſas cellulas manentibus ſeu manſuris omnia neceſſaria ſecundum numerum quo fuerint à nobis, & ſucceſſoribus noſtris Regibus ex noſtro cenſu Regio præbeantur. Ideóque has literas manu noſtra firmatas ipſi noſtro Patrono Domino Ioanni dedimus. Id omnino vos rogamus, atque decernimus, vt nec nos, noſtrique ſucceſſores Reges, neque vos, veſtrique minores, nec vllus quilibet de iudiciaria poteſtate, de vernes curtes, vel rebus ipſius Monaſterij, in quibuſlibet pagis, vel territoriis in regno Deo propitio noſtro, noſtrorúmque ſucceſſorum Regum, futuróque bono ipſius Monaſterij, quod vel ab ipſo Patrono Ioanne, vel à nobis eſt conceſſum, ſeu à ſuis progenitoribus ipſi, & no-

Præcepta hæc Regũ magiſtratui Eccleſiæ deſtinata, n. 48.

Et magiſtratui politico, cuius poteſtas varia diſtinguitur, n. 49. 50. 51.

Gallorum voce qui hîc capiendi, n. 52.

Patronum ſuum S. Ioannem, licèt ſuperſtitem ex more vocat, n. 53.

Quid eſſet commendatio iſta, n. 54.

Quid reclamatio, ibid.

Quid vernes curtes, ibid.

Annus Christi.

bis datum, & hæreditate, vel iudicio fuerit delegatum, tam ex munere noſtro, quàm de paterno & proprio, vel in reliquum de comparato, aut de conlato populi, ſeu de quolibet adtracto, aliquid auferre præſumat. Et pro ipſa caſa Dei, aut ipſo patrono noſtro tam ciues, quàm coloni, ac Gaſindi ſuſcepti, ſi aliquid violenter rapuerint, Dei noſtrorúmque terrore percuſſi ad integrum reddant. Et nemo prædictas res eorum inquietare audeat, nec in eorum vicos, vel villas, & curtes ad cauſas audiendas, nec ad manſiones faciendas, nec freda exactanda, nec vllas functiones requirendas ingredi præſumat. Sed ſub noſtra noſtrorúmque Regum ſucceſſorum tuitione, & mundiburdio prædictum Monaſterium propter meritum tanti patroni permaneat, & quieſcat. Et quod à nobis circa ipſum peculiarem noſtrum Patronum Dominum Ioannem conceditur, & conſeruatur, hoc à noſtris ſucceſſoribus Regibus pro ipſo patrono noſtro, ac pro ipſo loco ſancto ad ſucceſſores ſuos, quos ex ſuis elegerint, ſemper ſit conſeruatum, nec vllas requiſitiones, nec repetitiones, nec vllum impedimentum à iudicibus publicis pertimeſcant. Vnde ipſa congregatio pro tempore tanti Patroni, eiúſque ſucceſſorum, pro ſtabilitate regni noſtri & ſalute patriæ Domini miſericordiam iugiter debeat exorare. Et vt hoc præceptum firmius habeatur, & per omnia tempora conſeruetur, manus noſtræ ſignaculo ſubter illud decreuimus roborare, ac ſigno crucis quo ſacramur auctorauimus.

Quid attractum, ibid.

Qui Gaſindi, ibid.

Manſiones freda functiones que, ibid.

De manus firmatione per ſignum crucis, n. 35.

✠ Signum Clodouei fortiſſimi Regis.
datum ſub die IIII. Kalendas Ianuarias, Indictione v.
Actum Remis ciuitate in Dei nomine feliciter ✠.
Ego Anachalus obtuli anno Magni Clodouei XVI.

De hac ſubſcriptione, n. 36.

Annus Christi.

Capvt III.

Mores ſancti Sequani Abbatis Segeſtrenſis nominatiſsimi, S. Ioannis per initia diſcipuli.

Ex Codice Ms. Reomaenſi.

PROLOGVS.

QVAMQVAM beatiſſimorum vita virorum, quæ atteſtante Domino ſpiritali articulo immortali libro conſcribitur, mortalium monimentis non egeat literarum, eſt tamen operæ pretium voluminibus eam quoque commendare chartarum. Iucundiſſimum enim vetuſtatis inuentum eſt ſtilo & opere literarum actus prætereuntium perſonarum oculis neſcientium offerre, vt ſi fides adſit ſcriptis, id ſit legere, quod videre.

De prima S. Sequani ætate.

Sequanus itaque vir moribus probatiſſimus, Dei gratia priuſquam in materno vtero formaretur præuentus, ab ipſis autem cunabulis penè vniuerſis populis fructuoſis operibus cognitus, Magnimontenſi oppido ortus, atque ibidem à Chriſtianis eſt parentibus educatus. Diuinæ ergo prouidentiæ inflammatus ardore infantili adhuc impeditus ætate robuſtiſſimè intra ſui receſſus pectoris præcepta complebat Domini Saluatoris. Poſtquam autem annos infantiles excedens ad puerilem gradum prouectus eſt, ſic Pſalterium omne obſequente ei memoria tenaciſſimè adeptus eſt, vt ſimilis ei in recitatione minimè poſſet quiſpiam reperiri, parentes verò eius eo quod vnicum habebant tenere diligebant eum, & ſperantes per eum ſuæ ſtirpis mortalia germina pullulare, à Clericatus officio prohibebant. Verùm ille per quem Deus ſplendidiſſimæ ſobolis palmites propagaturus erat ſpirituales, videns ſuis votis vota parentum

Annus Chriſti.

De ſeptis Anachoretarum, Illuſt. n. 57.

oppoſita ſecedens paululum à communi habitatione in villa, cui nomen eſt Valeriaco, ſepta ſibi viliſſima, ſanctitati tamen atque vtilitati congrua manu propria conſtruxit, cœpitque intra ea continuatis momentis votiua orationum libamina Chriſto offerre, & abſtinentiis impuberes artus ac molle adhuc corpuſculum macerare. Neque enim priùs cibum ſumebat, quam Pſalterium totum in oratione perſeuerans recitaſſet. Gerebat autem ſub hiſpido habitu laici mores leniſſimi monachi, & ſub intonſi capitis crine, tonſi pectoris frugem. Cùm ſe ergo ſaluberrimis ieiuniis, & fructuoſis parcitatibus per tres ferè annos oblectaret, ad tantam corporis fœditate & macie perductus eſt necem, vt contracta atque arida cutis eius vix oſſibus hæreret.

De eius Tonſura.

Quodam igitur die, dum eum parentes viribus effœtum, & mortali pallore aſpicerent circumſeptum, cum eiulatu nimio prorumpentes dixerunt. Si tonſuram deſideras, & ob hanc cauſam tui vigorem corporis amiſiſti, ipſi te nunc horum crinium, vt putas, onere ſubleuamus. Tunc quidam è vicinis, qui eorum comitatui adhærebat procax, ac temerarius forcipem rapiens nitebatur cæſariem ſacratiſſimi viri manibus reſecare. Sed cùm vibratis forcipibus ſuæ palmæ digitos ſuper verticem antefati viri extenderet, illico ſinuoſis anfractibus præcordij eius egelidus timor illapſus tremore quoque forcipes de manu eius excuſſit. Tunc verò parentes illius nouo ſtupore attoniti ſacerdotem deuouerunt accerſiri, qui præmiſſa benedictione cæſariem reuerentiſſimi iuuenis incideret. Erat autem tunc temporis in Magnimontenſi oppido Preſbyter moribus & ætate, nomine Euſtadius, vir Deo dignus atque ſanctiſſimus, quem parentes beatiſſimi Sequani ad tondendum eum adduxerunt cum lætitia. Qui cùm veniſſet, & preces Deo profudiſſet, eius capitis verticem diuino charactere ſignatum totondit, & poſt detonſionem caſta oſcula capiti, atque labiis eius infigens benedixit eum dicens. Adſit tibi fili noſtri potentiæ

Tonſura clericalis olim à Preſbyteris facta, n. 58.

tentiæ creatoris, cuius te iam præuentum video, ac munitum maieſtate. Admoneo te dilectiſſime, vt paululum abſtinentiæ parcas, & obediens Apoſtolicis præceptis modico vino propter ſtomachum tuum, & frequentes infirmitates vtaris. Cibis quoque qui poſſint exile corpus tuum reparare indulge. Ex eo igitur tempore cœpit religioſiſſimus Sequanus Euſtadio Preſbytero morigerari, & pediſſequus eius in Dei gratia fieri. *Annus Chriſti.*

Diaconus ac ſubinde Presbyter conſecratur.

Inſiſtentibus ergo illis frequentiſſimè in excubiis Domini & orationibus atque ieiuniis reuelatum eſt ſanctiſſimo Euſtadio, quod pater futurus eſſet Sequanus populorum multorum ad requiem prædeſtinatorum. Denique conuocatis populis eiuſdem Eccleſiæ, quoniam & ipſi experti fuerant tantæ ſanctitatis, atque abſtinentiæ cultus in Sequano, leuitico eum miniſterio ante annos ætatis ſuæ conſecrauerunt ſuis apud Epiſcopum teſtimoniis. Erat autem beatiſſimus Sequanus quando leuiticam adeptus eſt dignitatem annos fere quindecim natus, qui ita honoris ſui diſpenſare cœpit ſine offenſione dignitatem, vt nullarum querimoniarum ætatis immaturæ occaſionem quærentibus hominibus præſtaret. Senioribus reuerenter obſequi, ſui gradus ſodalibus caritatis affectum, populis verò deuotiſſimæ humilitatis reddere non deſinebat officium, ita omnibus ſe omnia exhibebat, vt & ſe ſanctitatis reſpectu ornaret, & ad exemplum ſui totius ordinis atque omnis ætatis pectora prouocaret. In illo procul dubio ſermo propheticus impletus eſt dicens. *Vt erudiret principes ſuos ſicut ſeipſum, & ſeniores ſuos prudentiam doceret.* Geſſit autem Leuiticum officium annis quinque, deinde poſt actum quinquennium propter ſuæ humilitatis ac continentiæ fulgidum decus ad Preſbyterij gratiam promouetur. Tunc quidam clericorum Magnimontenſis oppidi ætate primi, moribus tamen vltimi, videntes ſibi præponi ſecundi ſacerdotem honoris Sequanum, contra eum muſſitare cœperunt, & obliquis

De ordinatione per ſaltū, n. 59. De conſecratione ante ætatem, n. 60.

Pſal. 104. v. 22.

Annus Chriſti.

eum obtutibus intuentes quaſi canonum tranſgreſſorem redarguere nitebantur. Sed ille vir bonus, atque ſinceræ caritatis doctrina cœlitus eruditus, non ſolùm illis mal[illegible] pro malis non reddidit, verùm etiam pro malis b[illegible]na retribuit.

A ſancto Joanne Reomaenſi Religioſ[illegible]ges addiſcit.

Ferè in diebus illis quibus hæc acta ſunt beatus Euſtadius de terris migrauit ad cœlum, tunc Deo placitus Sequanus decreuit Eccleſiaſticum officium derelinquere, & monaſticam vitam ſilentio amicam arripere. Sed quoniam monachorum exſpers erat Regularium, vota ipſius ſunt paulìſper à diſpoſitione propria remorata. Per dies itaque ſingulos ſagaci indagatione Archimandritam quærebat, qui eum monaſticam vitam doceret, & ſanctiſſimorum Patrum collationibus, atque inſtitutionibus magis ac magis erudiret. Erat autem in diebus illis in Tornodorenſi Monaſterio, cognominato Reomaus, Abba Ioannes vocabulo, cuius ſingularis ſanctitas vniuerſas prouincias peragrarat. Ad eum illius opinionis comperta fama Sequanus ſanctiſſimus declinat. Quem cum ſumma lætitia ſuſceptum, puro mentis affectu regulari ſolertia ita breui tempore imbuit, & in eius cordis intimo lumen veritatis infudit, vt ſpeculum eſſet benè viuentibus, qui ad eum tota mentis deuotione tetendit Sequanus vir venerabilis.

Regulam Macarij tradit S. Ioannes S. Sequano, n. 61.

Locum Monaſterio perquirit.

Poſtquam igitur ſe vidit omnino diuinarum ſcripturarum dogmatibus inſtructum, & Monaſterij laudabili diligentia eruditum, locum fabricando Monaſterio aptum frequentiſſimè ſcrutabatur; cúmque per momenta ſingula circumiret confinia loca, & ad amicos ſuos voluntatis ſuæ notitiam perduceret, quidam propinquorum ſuorum Thiolaiphus nomine, dixit ei. Quia ſciſcitatus es de me, & conſilia tua ſunt mihi ſinceriter depalata, pandam ſanctiſſimè

[illegible] locum, atque oſtendam in quo poteris conſiſtere, ſi Dei [illegible]dore inita ſunt quæ præparas adimplere. Eſt denique lo[illegible]s hæreditario tibi, ni fallor, iure perdebitus. Sed loci illius ma[illegible]imi beſtiarum more cædibus humanis ac cruoribus paſcuntur. Ita v[illegible] nulli ſit facilis trames per eos, niſi multitudine ſtipati [illegible]eritatmatorum. Ad quem beatus Sequanus: Tu tantu[illegible] cognitum locum demonſtra, & ſi diuinitatis inſtinctu mea ſint vota concepta omnis ferocitas eorum in columbæ ſimplicitatem delinita conuertetur. Aſſumptis ergo ſecum comitibus profecti peruenerunt ad locum, de quo conloquuti fuerant. Erat autem ſylua longum nunquam violata per æuum, cuius arborum ſummitas pænè nubes pulſabat. Tunc requirentibus illis aditus, quibus poſſent ſyluæ penetrare ſecretum, callis quidam arctus eorum refulſit obtutibus tam anguſtus ac ſentoſus, vt difficilè poſſent plantæ vniuſcuiuſque per eum æquiparo gradu incedere, ſed prolatum vix pedem exſequebatur impediens denſitas ramorum. Et licèt non ſine labore, neque ſine veſtimentorum diſcerptione, in aſperrimæ tamen ſyluæ penetralia peruenerunt. Tunc curuantes ſe ſolo tenus perſpicuo viſu tenebroſa latibula inueſtigare cœperunt, & in vno obtutu diutius inhærentes aſpexerunt ſpecus cuiuſdam anguſtiſſimas fauces labruſcis & filicibus obumbratas. Deſuper autem ita implicitas inter ſe ramorum frondes vt rami tenebroſam redderent ſpecum, & illius formidarent acceſſum. Erat quippe ſpelunca latronum, & latibulum ſpirituum immundorum. Cúmque ad eam adpropiarent, Sequanus vir Deo amabilis, in eius ingreſſu curuatis poplitibus, & toto corpore vepribus ſuperiacens, lacrimabiles preces Deo effudit dicens, Domine qui feciſti cœlum & terram, & omnia quæ in eis ſunt, qui das votum optandi, & benedicis annos iuſti, à quo eſt omne bonum principium, & ſine quo vacua ſunt, ad quæ humana temeritas nititur, ſi iubes me in eremo hac conuerſari, oſtende quæſo obtutibus famuli tui, mancipans deuotioni meæ à te mihi conceſſum exordium. Perfecta autem oratione ſurrexit, & oculorum aciem lacrymis humectatam cum palmis ad cœlũ extendit.

Annus Chriſti.

De loco Segeſtij, n. 62.

Annus Christi.

Cellam in ſylua, ac deinceps Monaſterium extruit.

Cognoſcens ergo ſe duce potentia Saluatoris ad ſqualidam hanc ſyluam fuiſſe delatum benedictione præmiſſa extemplo paruæ cellulæ in loco, in quo genua ad orationem fixerat fundamenta locare molitus eſt. Cuius aduentus rumore pennigero ad aures eſt delatu circumhabitantium poſſeſſorum, qui adhortantes ſe certatim mutu diuino impulſi profecti ſunt ad eum, quo viſo cominus ita ex lupis manſuetiſſimæ oues effecti ſunt, vt qui erant dudum cauſa erroris illico fierent miniſtri iuuaminis. Factus eſt autem ille locus ex eodem tempore habitaculum innocentium, qui fuerat diuerſorium ſæuientium dæmonum atque latronum. Stabant adiutores operis ij, qui aduenerant finitimi, pars fundaminis conſolidare iuncturas, pars parietes erigere, pars autem vmbroſæ ſyluæ nemora deruncinare, & futuris monachis habitaculum præparare. Non poſt multum temporis ſpatium multitudo ad locum congregata eſt monachorum, opinione Sequani viri prudentiſſimi à quatuor electa partibus mundi. Ille autem probatiſſimus vir ſapientiæ munere ſingularis, ita breui tempore venientem ad ſe monachorum multitudinem erudiebat, vt Præpoſiti, eorum continentiam atque obedientiam, ſacratúmque literarum augmentum, & cæteram in eius Monaſterio vtilitatem mirarentur.

Ægris & Energumenis opitulatur.

Facta eſt autem celeberrima in omnibus Galliæ finibus viri ſanctiſſimi fama. Qui vario morbo vel languoribus tenebantur afflicti, aut pedibus ſe ſuis portantes, aut aliorum euecti ceruicibus viri beatiſſimi Monaſterium appetebant, quos luctuoſis gemitibus nomine Domini inuocato, & vexillo crucis in fronte eorum infixo, oleo ſanctificato perungens ſanitati priſtinæ reformabat. Si quando ad eum ſpiritibus immundis vexati veniebant, vſque eò ſe ſaluberri-

Quodnam hoc oleum ſanctificatum, n. 63.

miſ abſtinentiis, atque ieiuniis, necnon & orationibus affligebat, quouſque incentorum malorum excluderet peſtem, & quod erat habitaculum dæmonis templum faceret Christi glorioſiſſimi redemptoris. Quidam autem eorum qui ſanitatem recipiebant regrediebantur, quidam verò orationi inſtantes ibidem Chriſto per cuius gratiam ſanabantur perpetuò ſeruituri monachorum conſortio iungebantur. *Annus Chriſti.*

Cæco viſum reſtituit.

Quodam igitur die quidam temporali caſſatus lumine, dieique huius priuatus fulgore illius præſentatur obtutibus, quem viſum interrogauit dicens. Quid vis vt faciam tibi? cæcus autem reſpondit bonæ opinionis tuæ meis naribus odor fragrauit, propterea huc delatus ſum, vt per tuas orationes lumen recipiam. His auditis ſe illico vir beatiſſimus ſolo proſternens his verbis Chriſto orationem effudit. Deus qui ob hoc te mundo aſpiciendum viſibiliter præbuiſti, vt aperires oculos cæcorũ, & educeres vinctos de tenebris ad lucem, & eis qui in vmbra mortis conſtituti fuerant, fugatis vmbris ſplendorem redderes claritatis, da quæſo huic lumine priuato per inuocationem nominis tui viſum recipere, & imaginem tuam, quam in celebri parte niſum eſt vitium deformare, perſpicua viſionis pulcritudine lucem fac ſæculi huius aſpicere, cúmque hæc & his ſimilia die ac nocte iugiter Domino effudiſſet, infrà breuiſsimum tempus viſum, qui non videbat recepit, decreuitque pro tanti luminis munere in eodem Monaſterio in ſeruitium ſe exhibere, tunc laici habitu cum moribus commutato cateruis monachorum eſt ſociatus.

Sanat Paralyticum.

Paralyticus quoque comperta fama beatiſsimi Sequani, & ſanitatum miraculis, quæ per eum Dominus noſter Ieſus Chriſtus frequentiſsimè operabatur, deprecatus eſt eos quibus conſanguineus erat, vt eum ad Sequanum ſanctiſ-

Annus Chriſti.

ſimum deportarent, qui acquieſcentes precibus eius ad præfatum virum virtutibus cunctis præcipuum eum adduxerunt. Erat autem quando ad eum delatus eſt dies vigiliarum Sancti Paſchatis. Vir autem beatiſſimus Sequanus, tam pro ſolemnitate diei, quàm pro Paralytico fidentiſſimè ſibi allato, in orationibus atque excubiis Domini tota nocte perſeuerauit: & quemadmodum Deo fretus cæterorum languentium, ſanctificati olei liquore ad ſecludendam valetudinem perungebat, ita Paralytici artus ſingulos inuocato Chriſti nomine perunxit. Peractis autem nocturnis, & diei feſti radiante fulgore vir beatiſſimus libamina certo diei tempore Deo obtulit. Erat autem coram altaribus toto ſacrificij tempore, hic quem diximus Paralyticus ſupplici mente proſtratus. Conſummato itaque ſacrificiorum officio Euchariſtiam Dominici corporis, atque cruoris laici more iacenti Paralytico Sequanus beatiſſimus perrogauit, & poſt perceptionem corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſurſum vir ſanctiſſimus oculos erigens, ſignum crucis impoſuit ſuper membra iacentis, cuius vigor ita in eius oſſa penetrauit, vt ſe nunquam putaret ægritudinis impeditum prolixitate. Statim autem vt crucis ſignaculum ægrotus recepit feſſo vires, medulla oſsibus, neruis coniunctio reſtituitur, contracta cutis extenditur, plantarum baſes conſolidantur, verus vultui color ſecluſo pallore redditur, & membrorum omnium vſus ad antiqua officia reparatur, & qui portitorum manibus ad ſanctum delatus fuerat Sequanum, veſtigiis propriis nitens cum Dei laudibus ad ſuos penates reuertitur.

Quo oleo vnctus à S. Sequano Paralyticus, n. 64.

Ventorum turbinem ſedat.

Nec illud iuſtum eſſe reor præterire miraculum, quod non impari Dei munere cætera ſunt munera propagata. Cùm iam temporis qualitate fœnum in pratis matureſceret, & ad metendum ſe ſua quodammodo maturitate manus mortalium inuitaret, proficiſcitur vna cum ſuis monachis ad metendum fœnum vir laudabilis Sequanus. Pa-

riter ergo pergentes ad pratum quo tendebant venerunt, túncque de more laborantium extenſis vncis falcibus rotato ictu fœni ſegetem cùm ad terram deiicerent, ecce ſubito turbinis modo acta tempeſtas irruit, & vertigine ferociſſima terram feriens, fenique manipulos per aërem ſpargens, cominus poſitos meſſores exanimauit, & ad quandam vitæ deſperationem perduxit. Cùm autem ad locum procellæ procacitas deueniſſet, in quo Monachi pariter cum præfato viro labori operam dabant, ſicco aëre, nubibus deſiſtentibus, mirabile dictu, in imbrem tempeſtas conuerſa eſt. Qui verò adfuerunt vicini pectora tundentes, videntes hæc ſigna obſtupuerunt admirantes. Poſtea autem in ſe conuerſi dixerunt. Verè hic vir eſt ſanctiſsimus. Cui enim aliquando talia conceſſa ſunt, vt ſæuientium tempeſtatum vertigines in liquidiſsimam pluuiam commutaret. Cepit ex illo famoſiſsimus eſſe & diuulgari creberrimis miraculis magis quàm fuerat. Ac multa quidem alia in conſpectu populi ſui ſanitatum perfecit miracula, ſed quæ vidimus ſuccinctæ breuitati ſufficere, ea in hoc curauimus digerere volumine. Præ cunctis verò quæ ad Monaſterij vſum atque vtilitatem Sequanus vir ſanctiſsimus inſtituit, Eccleſiam quoque laboribus propriis fabricauit, in qua eius nunc oſſa pacificè requieſcunt, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus in ſæcula. *Annus Chriſti.*

Eiuſdem S. Sequani Elogium ex S. Gregorio Turonenſi de gloria Confeſſorum, *Cap.* 88.

Magnæ autem virtutis fuit & ille Sequanus. Lingonici Abbas territorij, qui viuens ſæpè homines vinculis diabolici nexus abſoluit, & poſt obitum ad ſepulcrum ſuum ergaſtulari catena reuinctos, liberos meritis ſuis abire permiſit. Denique Guntramnus rex cornu, cuius voce vel moloſſos colligere, vel illa cornutorum arboreorum armenta effugare conſueuerat, furto ablatum perdidit. Quæ res multos in vincula coniecit, & nonnullos facultate priua-

Annus Chriſti. uit, ex quibus tres viri memorati Confeſſoris monumentum petierunt. Quo Rex comperto iuſsit eos catenis atque compedibus necti, factúmque eſt ita. Media verò noctè lux in Baſilica humana luce clarior oritur, diſsiliunt ferrearum compedum repagula, catenarúmque diſruptis baſibus vincti laxantur. Quo audito Rex exterritus eos liberi arbitrij poteſtate donauit.

LIBER IV.

Miraculorum & Tranſlationum Sancti Ioannis Reomaenſis.

Autore incerto, ex Codice Ms. Reomaenſi.

Capvt I.

A Leopardino transferri corpus ſuum, ante ieiunium non ſinit, poſt illud iubet.

circa 580. *De anno Præfecturæ Leopardini, n. 65.* POST primariam Ioannis beatiſsimi ſepulturam ſacrum corpus eius à Leopardino, qui quartus poſt ipſum Abbas loci eius ſuffectus eſt, venerabiliter noſcitur tranſmutatum. Vbi quid diuinæ euidentiæ fuerit demonſtratum ad auctoris laudem fideli putatur relatione condignum. Nam cùm ſepulcrum illud à loco in quo poſitum erat auellere ac commutare voluiſſent, & ſublata humo vndique, nequaquam tamen ſarcophagum mouere poſſent, triduani ieiunij ſubire laborem conſilium fuit. Cúmque iam tertius dies ieiunij illuxiſſet (erat enim decimus Kalendas Octobris, quo die veneranda feſtiuitas beati Mauritij Martyris, cum ſociis ſuis mundo clara niteſcit) & feſſa iam ieiunio membra poſt matutinorum cantus rurſum in ſopore quieſcerent, quidam ſenex Eccleſiam introiens cernit beatos ſenes, vt ſibi videbatur, Ioannem & Silueſtrum, qui ei

in regimine loci ſucceſſerat ante ſepulcrum ſtare, atque his, qui cum eis erant albis veſtiti ſtolis, imperare vt ſepulcrum mouentes in locum perducerent deſtinatum. Cúmque ille audaci animo cerneret quid ageretur, à Ioanne, vt ipſe arbitrabatur, increpatus eſt. Cur, inquit, auſus es Eccleſiam introire? Sed quia ſimplici corde tuum cognoui introitum, vade, inquit, & cōcito gradu tam Leopardinum quàm ſodales excitato, vt cœptum opus peragant. Feſtinus ille frater ad Leopardinum Abbatem cucurrit, ac rei geſtæ cauſam deprompſit. Ille cum ſuis ouans ſurrexit, & agnita voluntate ſancti viri, atque permiſſu propriæ deuotionis, ſurgentes & ſepulcrum amouentes in locum deſtinatum illud commutarunt. Vbi & ſanctum altarium cum conſilio Epiſcoporum ſtruxerunt, quo Chriſti hoſtiæ litantur, atque orationum officia perſoluuntur, vbi & remedia ægris, & quorumcumque votis ſolamina beneficiorum attribuuntur.

Annus Chriſti.

Cur ſuprà S Ioannis corpus excitatum altare, n. 66.

Capvt II.

Becco Epiſcopus Lingonenſis corpus eius iterum transfert, & Gerardus Archidiaconus manu mirabiliter contrita ſanatus redit.

POst annos aliquot ab Epiſcopo vrbis Lingonicæ cui Becco nomen erat præfatum venerandi Ioannis ſepulcrum ab eo loco in alium cognoſcitur eſſe tranſlatum, non abſque diuinitatis in loco manifeſtata præſentia. Nam quidam archidiaconus nomine Gerardus, cùm iuxta illud ſepulcrum videndi cauſa incautius fortè accederet, genúque flexo manum ſuper ora ſarcophagi irreuerenter teneret, cooperculum ſarcophagi ſe paululum erigens, quia pronum in terra iacebat, validiſſimè corruit, digitóſque ipſius maxima confractione contriuit, ita vt omnia oſſa digitorum eius minutatim confringeret. Qui grauiſſima fracturæ ipſius cœpit moleſtia fatigari, ita vt ne ad os quidem adducere non ſolùm digitos, verùm etiam brachium dolo-

De anno 2. tranſlationis S Ioannis, n. 67.

circa 792.

Annus Christi. re arcente valeret. Qui cùm tota die ad ſepulchrum ſancti Ioannis mœſtus & anxius reſideret, ſubitò virtute omnipotentis Dei ſanus effectus eſt, atque in propriam naturam manu reparata reuerſus ad veſperam ſedentibus fratribus iam ad menſam ſubitò cœpit miniſtrare, & cunctis poculum vini porrigere. Gauiſi omnes qui aderant, ita ſanum brachium digitóſque repeterunt, ac ſi nihil vnquam tanti languoris habuiſſet.

Capvt III.

Leproſum emundat.

AD ſancti memoriam Confeſſoris innumera patrata miracula præcipuum beati corporis meritum atteſtantur, operante Deo mira per mortuum, qui poteſtatis ſuæ dederat documenta per viuum. E plurimis pauca perſtringimus, vt miraculorum multitudini electa paucitas atteſtetur. Leproſo cuidam ex territorio Turonico in ſomnis reuelatum eſt, vt ſi ſoſpitatis recuperandæ teneretur deſiderio, famoſiſſimi Confeſſoris Ioannis ſepulchrum inſtanter exquireret. Quò ille multis licèt difficultatibus niſu quo potuit poſt temporis aliquantum peruenit. Receptus hoſpitalitatis ritu, humanitatiſque recreatus officio, in partem Eccleſiæ remotiùs collocatur deformitati ſuæ remedium vti fuerat præmonitus obnoxiis excubiis precaturus. Et ne diuini beneficij diu dilatione torqueretur, id tantùm moratum fuit dum fratres ad veſpertinæ officium laudis peragendum ex more confluerent. Quod dum ſolemniter impleretur, miſera membra vſquequaque ſudore collapſa ceperunt diuinam, quæ iam è veſtigio inſtabat, prætendere medicinam. Vniuerſi gaudio ſtupefacti, elatis in excelſum vocibus cœptum in infelicis curatione miraculum à diuinitate inſtantiùs fieri poſtulabant. Adhibitis primò balneis, ſqualidiſſimæ cutis ſordes, horrendum viſu, totam aquæ ſuperficiem infecerunt. Secundò lymphis immerſus omni ſqualore depoſito, ita toto corpore

Sudor & Balneum ſanandæ lepræ vſurpata, n. 68.

immaculatus apparuit, vt cunctis eſſet euidentiſſimum hoc ſupra humanam diligentiam per venerandi Ioannis merita ſuperna fuiſſe virtute curatum. Is ipſe poſtmodum loco aliquandiu remoratur, dehinc ad ſolum proprium decorem receptæ ſecum retulit ſoſpitatis. *Annus Chriſti.*

Capvt IV.

Lingua Theuberto exciſa reſtituitur.

Illvd certè obliuione obſoleſcere prophaniſſimum iudicatur, quod ad patris noſtri ſingulare meritum declarandum mirabili diuinitatis efficacia ipſi vidimus perpetrari. Paſtorales quidam pueri alendis pecoribus occupati diu latentem pecuniam in abditis terræ partibus repererunt. Veritique proditionem vni è collegis Theuberto nomine, pariter crudeles pari conniuentia linguam ferro impiiſſimo, dictante auaritia, abſciderunt. Is quòd eſſet ætate puerulus, negotium poſſe prodere putabatur. Erat ſanè Magnimontenſium partibus oriundus, & graui calamitate confectus, dum quæritandæ ſtipis gratia loca ſingula peragraret, ad cœnobium ſe tandem venerandi contulit Confeſſoris. Ibi victitandi facultate captata aliquandiu moras duxit. Accidit autem vigilia feſtiuitatis eiuſdem ſanctiſſimi Confeſſoris, dum ſigna veſpertini conuentus prænuncia à ſacrorum cuſtodibus more Eccleſiaſtico quaterentur, ipſum quoque intereſſe, atque vnius ſonum ſuæ manus officio temperare. Id dum ſedulè ageretur vidit, vt ipſe poſtmodum referebat, igniculum quendam inſtar ardentis ſtellæ, tanquam à ſepulcro beati Patris Ioannis prodeuntem, clauſtrum ſui oris ictu validiſſimo perculiſſe. Qua re immodicè affectus iamque exanimi ſimillimus in terram collapſus eſt. Adſtantes Monaſterio caducæ paſſionis acceſſu eum eliſum argumentati elatum manibus lecto componunt. Ille per noctem quiete ſoporifera reparatus, ita poſt Gallicinium loquelæ reſumpſit officium, vt vniuerſos nocturnæ ſtationis vigilias expetentes, quod eſt

Flamma plerunque index futuri miraculi, n. 69.

Annus Chriſti. dictu mirabile, acutiſsimè affaretur. Denique intimas oris partes diligentius explorantes linguæ calamum integerrimè repererunt reformatum, magnificantes diuinam in ſancto Ioanne potentiam, cuius præcellentiſsimis meritis & elinguem conſtat neceſſario officio redditum, & populum cæleſtia opera intuentem in fidei robore ſolidatum.

Capvt V.

Viro Aquitanico contractio pedum ex parte adimitur.

PRo meriti perfectione iugiter prædicanda de multis pauca quædam ſubiicimus, ne poſteris profutura ſubtrahere videamur. Quendam Aquitanicum genere, ita à puero membrorum detrimenta damnauerant, vt poplites genibus & calcanei natibus cohærentes melioribus priuatum officiis, & inualidum effecerint & deformem. Is dum obtentu poſtulandæ alimoniæ vſuali vehiculo circumquaque ferretur, ad reuerendiſsimi Ioannis cœnobium fortè deuectus, miſeratione religioſorum fratrum per tempus non modicum, deſtinato ſibi quotidiani victus diario alebatur. Erat illis ſpei ſanctæ non improbanda fiducia, quòd ſæpe experti erant præcellentiſsimum Dei Confeſſorem, ex animo flagitatum è veſtigio curationis talibus conferre remedium. Factum eſt in vna feſtiuitatum eius, dum fratres vigiliis ſacris ex more inſiſterent, cœperunt infelicis nerui eatenus, vt diximus, imbecilles, magna reſolui violentia, atque diu negatam gradiendi copiam quibus erat poſsibile niſibus moliri. Magnus diu adſtantium clamor inſonuit Chriſti laudes, & beati Ioannis merita paribus animis iiſdem vocibus conclamantium. Sed quia plenam fidem cumulata ſemper remuneratio comitatur, (nam ex fide iuſtum viuere, & abſque ea quemque mortuum eſſe veriſsimum eſt) colligimus hunc non integræ fuiſſe fidei, qui medicinis initiatus cæleſtibus parte reualuit, iners parte remanſit. Id vigoris ſolummodo conſequutus eſt, vt qui arte tantùm eatenus externa vehebatur, hinc proprij niſu corporis debilis adhuc licet abſcederet.

An à Deo imperfectæ ſanationes, n 70.

Annus Chriſti.

CAPVT VI.

Cuidam ferreum brachiorum vinculum repente diffringitur.

OB admiſſum facinus quidam ferri pondere, vtriſque brachiis acerrimè coartatus, dum diuerſa Sanctorum perluſtrat domicilia, vnius vinculo promeruit releuari. Cúmque alterius acri diutiſsimè dolore torqueretur, iámque infelicis ærumnam pietas diuina miſerari decerneret, ſomno monitus eſt, id quod reſtabat leuaminis, ad venerandi Ioannis ſacroſanctum corpus eſſe perquirendum, eius meritis plenitudinem huius reſeruatam eſſe ſalutis. Eo comperto ad Sancti cœnobium anxius tetendit. Quo cum peruentum eſſet, orationem lachrymæ, lachrymas remedia mox proſequuta ſunt. Ita namque nexus vinculorum eatenus inſolubiles ab hominis corpore quã celerrimè reciderunt, vt diuinum id fuiſſe opus nemini dubitare licuerit. Eúmque vt nexibus exemptum corporeis, perinde quoque beati viri obtentu noxiis animi reatibus abſolutum palam fuit aduertere, ſuperna vtrumque operante prouidentia, cui familiariſsimum eſt cùm corporum, tum animarum quoque propenſius curare ſalutem.

Genere quodam pœnitẽtiæ onuſti olim rei magnorum criminum circulis ferreis, n.71.

CAPVT VII.

Mulieri cæca viſum reparat ad ſepulchrum ſuum oranti.

FEREBATVR interea per populos opinio virtutum eius rumore percelebri, quod ad ſacri lectum corporis fide digna ſe nemo contulerat, qui non votorum ſummam ſe fuerit reportaſſe gauiſus. Fiebat languentium magnus ad templum viri Dei concurſus. Itaque ob remeantes ſanos, & ægrotantium multitudinem confluentem, ampla viarum capacitas interdum arctiſsima cernebatur.

Annus Christi.

Factum eſt vt irruentibus multis mulier quoque luminibus, ex longo tempore priuata pariter introiret. Nam quia translatio precioſi corporis nuper celebrata fuerat, ipſa rei nouitate ſexus vterque promiſcuè ingredi permittebatur Eccleſiam. Ingreſſa mulier totáque ſtrage corporis in terrā proſtrata, mox vt orationem expleuit Dominicam, depulſis cæcitatis tenebris clariſſimum luminis recepit diem, oculorum munus in reliquum vitæ ſuæ tempus beati Ioannis gratia perfunctura. Proceſſu temporis eius loci fratres religioſo ſanciuere conſilio atrium cœnobij à frequentia fœminarum perpetuò coercere, regulari profeſſioni non integrum fore arbitrantes muliebri frequenter, vel aſpectui inſueſcere, vel alloquio implicari.

Mulieres ſeptis & Eccleſiis Monaſteriorum excluſæ, n. 72.

Capvt VIII.

Alteri procul poſitæ idem beneficium tribuit.

QVÆDAM itaque eiuſdem pagi mulier, & ipſa oculorum officiis deſtituta, cùm per dies quamplures limina venerandi Ioannis inexplebiliter optaret contingere, idque eſſe poſſibile à multis interdiceretur, moras non ferens vlteriùs ductore vſa puerulo ire ad Monaſterium obnixè contendit. Cúmque ſyluam cœnobio circumiacentem peragrans eò vſque progreſſa fuiſſet, vnde in totum locum intuenti facilis proſpectus patet, mirum in modum mox excedentibus tenebris lumen adepta ſplendidiſsimum, plenum ſuæ fidei commercium læta reuexit, experta Ioannem beatiſsimum abſentum quoque vota, ſi rata fuerint, beneficiorum impenſa placidiſsimè proſequi.

Capvt IX.

Dæmoniacum curat.

PERVASVM quemdam à dæmone ferreis toto corpore arctatum loris parentes cum amicis ad ſancti me-

moriam perduxerunt, ibi per triduum non ſine violentia vix retentus diros à ſpiritu maligno compellebatur clamores effundere, qui ſe beati viri meritis domicilij ſui poteſtate è veſtigio priuari ferebat ægerrimè. Triduo expleto dum fratres ex more publicis ſacramentorum functionibus intereſſent, extemplo ita diuina virtute curatur, curatúſque in reliquum perſeuerat, ac ſi nunquam aut hoſtis antiqui violentia impetitus, aut ſenſus intimi fuerit detrimenta perpeſſus. Reparationis ſuæ ſanè gaudia in templo ſublimiſsimi Confeſſoris per dies multos votiuis frequentans excubiis, deinceps cum gratiarum actione validus corpore, & animo integer ad propria remeauit. Ineffabile eſt certè apud Dominum præcellentiſsimi Patris noſtri beati Ioannis meritum, cui inter reliquas virtutum dotes id priuilegij ſpecialius cernitur eſſe collatum, vt nunquam quiſquam dæmoniaca obſeſſus peſte, ad eum ſe conferens redierit incuratus.

Annus Chriſti.

Priuilegiũ ſanandi energumenos in S. Ioanne inſigne, n.73.

LIBER V.

Miraculorum & Tranſlationum ſancti Ioannis Reomaenſis.

Autore incerto ex Codice Ms. Reomaenſi.

PROLOGVS.

QVIA vniuerſum cernimus ad procliue tendere mundum, nec ſemper quod videtur diuinum relatui cedere poſſe, fas eſt dum viuitur eius laudem appetere, quem omnium noſtrorum interuentui abſque dilatione, apud Dominum credimus adeſſe. Etſi necdum ad calcem peruenitur propalandi, ſaltem in affectu permaneat, vt quæ reſtant diuino ſecundentur auxilio. Etenim beati Patris noſtri opera Ioannis ab oratoribus ingenuè prætermiſſa,

Annus Chriſti.

miſeratione ipſius qui nobis adhuc rudibus concedere dignatur, quæ credimus fieri poſſe, cunctarum verbo linguarum non decerneremus indigna.

Capvt I.

Guandelberto claudo reſtituitur inceſſus.

SANE cùm nobis iugiter præſens adſit, quodam tempore cùm ſe fratres ſacrarum vigiliarum dediſſent ſolemniis, quatenus ſanctam Dei genitricem cælis aſſumptam celebrare gauderent, annuatim & ex more ille clariſſimus exordiretur hymnus, quo Deum dignè laudamus, & dominum debitè confitemur, repente quidam claudus nomine Guandelbertus, poſt chorum pſallentium ſtans voces cœpit emittere, & manibus genua contundere, ſeſéque pauimento ſuperſternere, atque huc illúcque volutare. Quo conſpecto omnis fratrum frequentia gaudio compunctionis perculſi ſunt, cúmque loco quo erat amouentes ante Sancti corporis præſentiam ſuſtulerunt. Interea dum matutina complerentur officia, cuncta eius membra vibrantia videres, & nexibus ſoluta artatim complodere. Eximitur pauliſper virium ab eo fortitudo, vt ne quidem ad ſtatum ſufficeret, & valentius iterum priſtina recipitur ſalus, vt omnibus pateſceret intemeratam Dei genitricem ſuo hæc ſacerdoti obtinuiſſe magnalia. Et quanquam in ſolemnitate præfata hoc actum nouerimus, præcipuè tamen illius hoc extitiſſe meritis credimus, cuius miracula quondam in ipſo eodémque homine patrata cognoſcimus. Quem enim immunem ceperat, & per omnia deformem, & parum officioſum, & reddiderat commendabilem, nunc ſuper eo proprios conſolatur ſeruos, vt illum integerrimè vigentem veri illius ſermonis in exemplum traderet, qui non inchoationem, ſed boni operis executionem, conſecuturam fore laudem prædixerat.

Augentur dolores interdum, vt ſanentur, a. 74.

Capvt

Annus Christi.

Caput II.

Effringuntur ad eius ſepulcrum circuli ferrei fratricidæ circumiecti.

QVENDAM etiam fratricidam vidimus, ob huiuſmodi flagitij immanitatem, in colli & brachiorum, pectoris quoque & lumborum circuitu, in pœnitentiæ munere circulos habentem ferreos. Qui cùm ideo multa Sanctorum peragraſſet loca, duo qui erant adhærentes circuli collo, & pectori eius meritis eorum ceciderant. Tandem Romam cùm perueniſſet, diuinámque ſuper hoc diu præſtolaretur clementiam nihil hæſitans, cæleſti meruit conſolari reſponſo, quærere Confeſſoris Chriſti Ioannis locum ſibi præcipiente, & ſub quo territorio eum reperire quiuiſſet innoteſcente, liberationémque ab eo promereri ſpondente a tanti ponderis pœnitentiæ enormitate, cui & ille nimis reſiſtebat. Peruenit ergo illuc, & dum adeſſet ſuper hac re gratulabundus, interuentu ipſius reſidui qui erant in brachiis & lumbis circuli, ſubito diruti apparuerunt. Quamobrem non eſt ambigendum eum ipſorum cœtui aggregatum, quibus ligandi atque ſoluendi indita eſt poteſtas.

De circulis ferreis pœnitentium, n.75.

Peregrinatio pœnitentibus indicta, n.76.

Caput III.

Dæmonem multorum corporibus abigit.

QVOT in dæmoniacis denique noſtro in tempore perfulſerit ſignis inexplicabile eſt. Id enim vt ſolito teneret vſu obtinuit. Erat namque plurimos virorum ſeu mulierum ipſius hoſtis dominio ſubiugatos, erutos videre circumpoſitis eorum collis eiuſdem venerandis catenarum lotis, quibus ſerpentem ignitum à puteo exemerat, populúmque ſuper eo vicina morte pallentem ſalutis gratia donauerat.

De catenis S. Ioannis, n.77.

CAPVT IV.

Gozberto ex febre amenti reſtituit ſanitatem.

AMENTIVM denique plures eius obtentu ad proprium mentis ſtatum reuocari conſpeximus. Quos nimirum non ſolùm vicinorum locorum, imò incolas aliarum partium longè remotarum cognouimus. Denique cùm ob noſtrorum ſcelerum immenſitatem diuina diſpoſuiſſet vltio Normannicam feritatem à Francia, in qua
888. longè latéque abſque vlla repugnantia ſæuiebat, in Gallias deuenire, & inſatiabili cæde huc illúcque debacchari, ac per hoc vniuerſos oportuiſſet tuta feſtinare ad loca, expediuit ipſam ſancti corporis glebam ad caſtrum Sinemurum à ſuis deferri, quod dum aduiueret ſolitus fuerat ad orationum munus perluſtrare, ſicut in vita eiuſdem propalatum eſſe. Quo cùm neceſſitate cogente in tentoriis ſub duro hyemis rigore locatus adeſſet, tandem cum nimia laboris difficultate locellum obtinuit tugurarium. Igitur exhibita ſunt illic per diuerſa annorum tempora, donec ibidem peregrinatus eſt in multis miracula, quorum perpauca tamen viſa tangimus. Cùm denique idem oppidulum à quodam viro nomine Gozberto, antiſtite
circa 890. tunc temporis Adalgario illius dominante, regeretur, immenſitate febris adeo contortus eſt, vt omnia eius penitus membra diſſoluerentur, & omni prorſus virtute effæta redderentur. Eſus nulla ſumptio, & potus, totum eum inualidum effecerat & deformem. Cuius vita cùm in ancipiti penderet, defertur prædicti patris pietati. Sed languore incaleſcente, quaſi deſperatus & amens in redeundo domum ternum ſubduxit tempus, ſemper ipſius baſilicam repetens. Hoc autem triduo peracto poſtremo ante eum quaſi exanimis factus eſt. Quod cùm ita crederetur ab omnibus, repente eius quod petierat glorioſiſſimum perſenſit munus. Sicque reuertitur ad propria ſanus & incolumis, laudans & benedicens eum, cuius dono tam euidens percepit corporis emolumentum.

De tempore exilij corporis S. Ioannis, n. 78.

CAPVT V.

Idipſum præſtat fratri eius Letaldo.

NEc diſparem proprium fratrem eius nomine Letaldum incurriſſe ægrimoniam contemplati ſumus, ita vt ante ipſum peregrinis omnino deferretur pedibus, vbi diutiſſimè tabeſcens nil diarij prorſus ſumebat. Vicina ergo palleſcit morte, vt nemini daretur ſpes ad vitam eum reducendi. Tunc explentes miniſtri id quod diuinæ erat ſeruitutis, peractis more ſolito horarum officiis prandere eos è re fuit. At ille quærens quid acturi eſſent, ſe velle cùm eis pergere fatetur, delatus autem cum magna vi ad eos cœpit percontari, quid eſſent comeſturi. Verùm illi ſtupore repleti in vertiginem eum cecidiſſe dolebant. Reſpondentibus autem, pro ratione loci, quid (etenim pro eiuſdem congruitate leguminum lebeta ad ignem poſita erat) petiit inde ſibi dari. Hinc continuo cœpit epulari, vt nequaquam illi fas eſſet ex alio edere cibo, qui antè infirmitatis tempus hunc vſum minimè habuerat. Lætique omnes hac cauſa facti, permoti Domino ſunt gratulati, qui per beatum patrem tanta impertiebat ſuis. Receſſit itaque ad ſua, ceu tunc temporis nil languoris habuiſſet.

CAPVT VI.

Febre item eximit Adalardum, Berengarium & Aldricum.

ALIA denuo tempeſtate, prædicti paulo antè viri commilito quidam nomine Adalardus eadem impulſione coactus, qua omnibus patefieret ipſum cunctarum virium eſſe expertem, & penè in vltimo iam verſantem, ad eundem deuolutus eſt locum. Ibique cùm acerrimè torqueretur, ſuique, ſexu vtroque, illi indifferenter famularen-

Annus Chriſti. tur, affuit, quidam adſtantium monachorum inter cætera leuaminis verba illi innoteſcens, qualiter ſanctus vir in præſenti vita mulierum horruiſſet ſpeciem, vt genitricem propriam valde eum inuiſere inhiantem, nec ſaltem in tranſeundo recta acie oculorum contueri vellet. Qua gratia nec ſe vtiliſſimum iudicare, addit, hanc fœminarum ſeruitutem illo in loco ei fieri, nedum canum latratus, & diuerſorum animalium inquietudinem, quæ propter domicilium beati viri diſponebantur. Super quo hic perterritus ſe domum referri præcepit. Tunc ingruente magna corporis valitudine, quaſi præ oculis obitum tenens, ad patris auxilium reuertitur portitoribus tantùm famulantibus; cæteris verò abſentibus. Redditur interea ſanitati priſtinæ, ſeſéque aliquantulum conualeſcere perſentiens archiatrum accelerat adeſſe phlebotomandi neceſſitudine. Non benè autem venæ inciſione ſequuta ægritudinis rurſus fremeſcit moleſtia. Aſt in ſe reuerſus vocibus intentis ingemuit, quare cæleſti medicinæ medicamen aliud prætuliſſet proterua mente. Quamobrem cùm plures dies id inferendo toleraret, nihilque eſſe recuperationis ex eo certum erga alios haberetur, optatam ſibi gauiſus eſt recepiſſe ſalutem, & ad ſua Domino reddens gratias regreſſus. Huius militis armiger nomine Berengarius, eiúſque nepos Aldricus, defectu prædicto correpti ad ſanctum Patrem perducuntur, & eius celeri interuentu ſanitate citiſſima fruuntur.

Quis armiger, n. 79.

Caput VII.

Clementem ruſticum dæmone inceſſore liberat.

Silere non eſt beatum Ioannum locupletiſſima circa obſeſſos exhibere munia, præſertim cum hoc antiqua teſtentur ſcripturarum obſignia. Quendam igitur ruſticum Clementem Auallēſis oppidi indigenam alius mercede conductum, quum maturiori pulli cantu ob boum cuſtodiam à zoeta propria proſilire contingeret, earúmque

Quid obſignia, n. 80.

Quid zoeta, ibid.

paſcua ſolertius perluſtrare, conſpicit, nigerrimum ex-templo monſtrum validiſſimo ictu percutere armentum. Arripitur itaque ab eodem nefandiſſimo, & cæco carpitur efferatus animo. Iámque clauditur noctis vmbra, diei vibrante aurora. Porrò illo ſole digna proſciſſione tranſacto, reuertitur non modò ipſe patrisfamilias ad propria, ſed & ille ſpurciſſimæ ſodalitatis monſtruoſus. Cùm inter omnium denique cœnam, & ipſe præfatus pernix cœnare deberet, repentè incœnatus aſſurgit, flagellum excuſſorium rapit, paſſimque interdicto noctis ſpatio excutere, velut in area cœpit. Mox cùm ſoror eius contigua retinere eum, ceu amentem, vellet, omiſſo flagro quod tenebat, ſubito in eam inſaniuit, & niſi protinus erueretur, acerbiter dentibus ab eo diſcerperetur. Vinctus itaque poſt tergum manibus adducitur ſancto Ioanni, cùm ſemper in aliis cladibus, tum crebrius in hac omnibus exſecratiſſima medenti. Cuius ingrediens baſilicam voces inauditas, & corporis informia emittere cogitur. Vnde cùm collo eius ſtatim hærerent, pro more, excluſores dæmonum ferri præfati patris, ita agitatur, vt exenteratim eum diſrumpi, & penitus diſſolui cerneres. His tam diris vexatur vulneribus quoad veniret poſtridie toti orbi veneranda omnium Sanctorum feſtiuitas. Tunc miſerante Deo, & ipſorum patrocinio ſuccurrente, & ab heri ac nudiuſtertius paulatim, & vehementius ipſorum nocte, ita ab eo dæmonum legio diſpungitur, vt omnibus pateret ad iſtius ægerrimi auxilium, illum omnes Sanctorum cœtus aduocaſſe, cuius miſericordiam nouimus primùm eundem infelicem quæſiſſe.

Annus Christi.

Quid mõſtruoſus, ibid.

Quid pernix, ibid.

CAPVT VIII.

Bertrudem item energumenam ſanat.

QVANDAM etiam conſpeximus fœminam nomine Bertrudem, à Borbonienſium partibus prodeuntem, non modica dæmonum vexatione, iam ferè menſibus quinque incredibiliter, atque inremediabiliter tortam.

Annus Christi.

Cadauerũ contactus impotens dæmonis inuaſioni viã aperit, n. 81.

Porrò inuaſionis diabolicæ illius ſeminarium fuit, quod tribus quondam potita fratribus, cùm eſſet ſoboles licito procreata connubio, quadam audiret die quodam accidente caſu vnum ex ipſis tribus fratribus interemptum. Quo non tam celerrima adiit, quàm feſtina ſuper eum incubuit. Nimióque ex eo confecta dolore, vt mœſtitiam cordis ex fratre leniret, oſculari corpus cepit. In cuius amplexu mox peruaſa eſt à plenitudine dæmonum, pluribus in huiuſcemodi amentia diebus perſiſtens, vt opinaretur id alterius eſſe infirmitatis, quo euidentiſſimum fieret dæmonem eam decipere iſtiuſmodi aſtu velle. Hac autem re cognita relinquitur à marito, omnibúſque propinquis, & vni fratrum ſuorum ad deducendum committitur. Sacra interea circumeunt loca, vſque dum ad beatiſsimum, Germanum perueniunt Antiſſiodorenſem Epiſcopum eius ſuper hoc benigniſſimum præſtolantes auxilium. Vbi cùm diutiſſimè fatigaretur, & acerrima laniatione torreretur, glorioſiſſimis præfati Germani Pontificis meritis malignorum ſpirituum pars ab ea eximitur, pars occulto Dei iudicio inibi omittitur. Aliquandiu pòſt ibidem remorata cùm quadam rurſus die prædicti Antiſtitis baſilicam vellet ingredi, ſicut ipſa poſtmodum ſæpè retulit, à quodam ſene pulcherrimo virgam manu ferente, ne ei domum penetrare liceret eſt prohibita, locúmque S. Ioannis Confeſſoris Tornotrenſis exquirere eſt admonita. Huius ergo iterum opus illis fuit laborem itineris ſubire, quanquam longas adhibuerint moras ignari viarum, diuerſa Sanctorum domicilia peragrantes. Quo dum perueniſſent qui geſtus corporis, quæue antiqui hoſtis voces ab ea proſilierint ineffabile eſt. Nullum itaque intra ambitum ipſorum Eccleſiæ remedium, nullúmque vitæ deſiderium eidem miſeræ fuit, ſed ſola mortis proclamatio. Beatiſſimo denique Confeſſori Ioanni ſiſtitur, probatiſsimis ipſius ferri catenulis arctatur, in quibus ſe nefandiſsimus hoſtis ardere cum magno cruciatu profitetur. Et cùm per horarum ſigna laudis Chriſti præconia fierent, hæc ampliùs mira & ſtupenda ore & corpo-

re confingebat. Interea cùm quarto aduentus ſui luſtraretur ſole, omniſque fraternitas cum non modico turbarum comitatu ſacratiſſimũ ageret ſolemne, pro more Chriſtiano in ramorum & palmarum officiis oſanna omnibus perſonantibus, hæc ineffabilibus agitabatur malis. Tandem ergo dum veſpertina à fratribus perſoluerentur ſuffragia, ipſaque ad ſancti Michaëlis Archangeli fuiſſet oraculum illata, dæmon cœpit clamare ab eodem Archangelo ſe concatenari, & valentius ignibus cremari. Sputa quoque mixta pariter cum ſanguine ab ea efferuntur, vt ipſam introrſus grauiſsimè diſcerpi crederes, & penè mortuam agnoſceres. Ex quo gratia Domini leuius habere viſa eſt, donec mirabili præfati Confeſſoris Ioannis munere integræ ſaluti reſtituta eſt. Sicque remeans ad propria voto ſe obligat Domino, qui ſaluat omnes ſperantes in ſe. *Annus Christi.*

CAPVT IX.

Dodila eius interuentu dæmonem excutit.

ET paruo temporis interſtitio, rurſus ab eiſdem partibus quædam cum viro ſuo fœmina nomine Dodila inſaniſſimo occupata, ſpiritu prædicti S. Ioannis locellum quamuis coacta viſitauit. Quæ cùm Sanctorum multa peragraſſet loca, partimque ex eis Domino miſerante eruta fuiſſet, etiam in omnium principum aſpectu, quorum primatu regnum Burgundiæ tunc temporis roborabatur, id laudis ſemper profeſſa erat, vt nunquam mereretur mederi, donec beati Ioannis ſubuentu potiretur. Quo dum perueniſſet rapidiſſimo perflata dæmone, cùm à pluribus arctaretur, & nefandiſsima verba effaretur, beatiſsimo patri oblata eſt. Inter quæ illud proloquuta eſt mirandum, quod ab octonis diebus beata Dei genitrix, & præfatus Confeſſor egregius pro ſe dominum indefeſsè interpellarent. Quorum precibus non ampliùs poſſe ſe illic demorari, quia iam natiuitatem eiuſdem Dei genitricis nouerat adpropinquare. Factum eſt id dum fratres veſpertina perſoluerent prædictæ feſtiuitatis munia, ſicut ipſe im-

Cur apud quemlibet Sanctorum quilibet non curantur, n. 82.

Annus Chriſti. mundus prædixerat ſpiritus. Cum magnis enim exiit clamoribus, ſuperficiémque pauimenti ex parte repleuit eadem mulier ſputis ſanguineis. In quo cernimus dæmones quanquam coactos nonnunquam veritatem proſequi, velut in multis ſanctarum locis Scripturarum reperimus.

CAPVT XI.

Dum corpus eius ſine muro refertur Aualendem Lemouicenſem à dæmone expurgat.

NEc illud eſt prætereundum quod omnibus eſt patefactum. Cùm enim paganorum plurima ferocitas Francorum regna peragraret, eorúmque vaſtationi adeò inſiſteret, vt cruentiſſima cæde omnia deleret, & penè ad nihilum redigeret, tandem eorum partibus tranſitis Galliarum fines inuaſit, Autiſſiodorenſium vſque finitima perluſtrans. Quo cùm nefandiſſima depopulatione crebreſceret, & diuturnis calamitatibus Chriſtianorum vitam infeſtaret, contigit præfatum Chriſti Confeſſorem Ioannem propria deſerere, & aliena cum ſuis petere. Nam locum quem fundauerat relinquens caſtrum, cui Sinemuro nomen eſt, inuiſit, & ſua viſitatione illuſtrauit. Vbi dum ab vniuerſis frequentaretur, omnéſque eius protectione gauderent, miſertus dominus, populum coire fecit Chri-
911. ſtianum circa barbariem paganorum, eorúmque ſæuitiam ſi fieri poſſet impediendo pernoctare. Quibus dum famis & ſitis nimietas valida incubuiſſet, & lugubris ſub diuo vis algoris inhorruiſſet, paganorum aſtutia in fugam vertitur quouſque noto ſibi præſidio tueretur. Quo peracto prædictus pater cuius natalitium è veſtigio celebrandum erat, à prænominato caſtello cum ſuis & non modica populorum turba ad propria regredi dignatur. Interea pro itineris fatigatione cùm iam eius deſiderabilis inſtaret exceptio, pauliſper repauſandum fuit. Dúmq; ſui præceſsiſſent vt Eccleſiaſtico more ornati tanto ſeniori celeberrimè obuiarent, repente quædam Lemouicenſis fœmina nomine Aualendis

De relatione corporis S. Ioannis Sinemuro, Illuſt. n. 83.

diſ iam ferè ſex ab annis dæmoniaco redacta ſpiritu, dum *Annus Chriſti.* multorum loca Sanctorum peragraſſet, ante ſacrum eius corpus adducitur, vt eius interuentu glorioſo potiretur. Adeſt ſiquidem innumeroſitas turbarum, dum illa infeliciſſimè torqueretur. Præſtolantur cuncti eius miſericordiam, dum vident miſeram intemediabiliter cruciatam. Quorum vt credimus precibus piiſſimus pater motus, vt locum ſuum mirabili illuſtratione clareſcere faceret, & ſuos clariſſima viſitatione roboraret, ſubitò adſtrictæ miſerrimè obtinuit libertatem vitæ. Ergo cum magnis omnium laudibus loco ſuo reſtituitur, vbi Domino fauente multimodis quotidie coruſcat miraculis, & diuinis obſecundatur officiis ei qui viuit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

LIBER VI.

Encomiorum S. Ioannis Reomaenſis.

CAPVT I.

Elogium eius ex S. Gregorio Turonenſi de gloria Confeſſorum, cap. 87.

FVIT in Tornodorenſi pago in Parochia Lingonicenſi vir ſanctitate præcipuus Ioannes Abbas, iuxta ſui nominis etymologiam diuina gratia præuentus. Denique fertur, quia cùm Monaſterium ædificare vellet, quod Reomaus nuncupatur, & Fratres nimiam aquæ penuriam paterentur, reperit puteum immani profunditate altum, vbi peſſimus ſerpens baſiliſcus habitabat. Hic itaque diuina inuocatione perempto ſerpente, ac mundato puteo, potabilem puteum Fratribus reddidit. De qua aqua & nos, dum Lugdunum pergeremus, à fratribus illius Monaſterij benignè ſuſcepti cauſa miraculi hauſimus, cuius etiam

Annus Chriſti.

hauſtu plurimi frigoritici curantur. Fertur & de præfato viro tale miraculum. Quidam fratricida pro enormitate criminis ferreis vinculis alligatus præceptum habuit, vt ſeptem annis loca Sanctorum peragrando circuiret. Hic cùm Romam veniſſet reuelatione diuina comperit, non aliter ſe poſſe abſolui, niſi ad ſancti corporis reliquias Ioannis Reomenſis Abbatis perueniret. Hic ergo paſſim luſtrando loca, tandem peruenit ad Baſilicam, vbi haud longè à Monaſterio ſacratiſſimum corpus eius locatum eſt, ibique orationibus, ac vigiliis incubans vinculis omnibus abſolutus eſt. Vixit vir hic iuſtus, & vir religioſus, ſicut Legiſlator Moyſes, centum viginti annos, cuius nec oculus caligauit, nec dens motus eſt. Fuit autem inſtitutor viri memorabilis, de quo vicino loco narrabimus. *Is eſt S. Sequanus de quo proximè agit.*

CAPVT II.

Sermo Autoris incerti in die depoſitionis ſancti Ioannis v. Cal. Februarij.

Ex Codice Ms. Reomaenſi.

RECOLITIS diem, dilectiſſimi, publicis Eccleſiæ gaudiis dedicatum, cuius ſplendorem etſi ſermo taceat, religioſorum tamen conuentus & deuotio clamat. Tam honeſtis enim ſtudiis, tam conſpirantibus votis in huius diei cultum, & lætitiam conueniſtis, vt feſtiuitatis magnificentia ſuis per ſe titulis ſatis emineat, tametſi ab eius laude officioſitas præconis abſiſtat. Tantorum igitur cauſam, & fomitem gaudiorum crebris immò continuis lectionibus didiciſtis, vóſque ea intentis excepiſſe animis non obſcuro iudicio declaraſtis, dum miraculorum cæleſtium maieſtatem ſacris paginis intonantem internis ſuſpiriis, & perſpicuo ad ſingula honoraſtis affectu. Hodie enim pretioſus Ioannes ille quondam huius Eccleſiæ paſtor præcipuus, nunc autem totius quoque orbis apud Deum protector eximius, glorioſo tranſitu terras deſerens cælos penetrans, præſentiæ Domini redditus eſt. Quid dico quod

terras deſeruit, cuius iuxta Apoſtolum conuerſatio in cæleſtibus fuit? Quid? quod præſentiæ Domini redditus eſt, qui cum Elia ſanctiſſimo conſpectui Dei viuentis perpetuo aſtitit indefeſſus? Dicam equidem de illo aliquid ſi non ſatis propriè, at non nimis ineptè; ſi minus audaciter, ſatis certè veraciter. Dicam inquam hunc eſſe beatiſſimi Ioannis diem non funebrem, ſed celebrem; non lugubrem, ſed ſalubrem, in quo longo finem imponens certamini calcato mundo, proſtrato diabolo glorioſus victor emicuit, & tanquam alter Elias curru peruectus angelico cœleſte Capitolium athleta triumphalis aſcēdit. Iure etenim huic Eliæ triumphus aſcribitur, cui omnibus ſanctitatis, & virtutum inſignibus ex æquo reſpondere probatur. Nam vt omittam cætera, in quibus ſe ſancti homines in æmulatione, æmula pietate præueniunt. In illo certè ſingularis vel abſtinentiæ, vel continentiæ priuilegio alterum præferre alteri non ſatis liberaliter audeo. Vtrumque enim ſanctiſſimum, vtrumque abſtinentiſsimum non contemnenda teſtatur autoritas. Quamquam nec illud mente excidit, quod Prophetæ famem panes mane, carnes veſpere, coruis miniſtrantibus temperabant. Paſtoris verò noſtri inediam poſt longam temporis diuturnitatem, panis ſolitarius recreabat. In illo ieiunij continuationem dies quadrageſimus ſoluit, in iſto abſtinentiæ profeſsionem annus centeſimus clauſit. Elias ſubcineritij panis edulio confortatus vſque ad montem Dei Oreb ieiunium traxit, Ioannes omnipotentis ſpiritus gratia roboratus ieiunando & orando arcem ſupernæ ciuitatis aſcendit. In illo tranſacti laboris moleſtias mulieris viduæ liberalitas releuauit, in iſto familiares natalium diuitiarum opulentias crux quotidiana conſumpſit. Elias furores perſequentium declinans aliquandiu inter beſtias ſolitarius vixit, Ioannes cuius hodie memoria paſcimur, fauores ſe ſequentium fugiens, quod non tam rarum quàm mirum eſt, in populis Eremita permanſit. Atque vt à laboribus ad laborum præmia veniamus. Eliam curru raptum igneo paradiſus terrenus abduxit ſuo tempore moriturum; Ioannem Angelico fultum

Annus Chriſti.

Annus Chriſti.

cuncto ſidereus thronus excepit, adiudicādum quandoque orbem cum Apoſtolis in gloria ſurrecturum. Non immerito itaque mater Eccleſia huius exultat triumphis, cuius ſingularibus ornatur exemplis. Et vniuerſaliter quidem in omnium commemoratione Sanctorum exultandum nobis ratio perſuadet, ſed in huius patris excellentia copioſius meritò gloriandum, qui noſtro paſtor in loco, toto doctor in orbe, in corpore illo cui caput Chriſtus eſt, tantum dignitatis obtinuit, vt inter eius membra præcipua, & nomine & merito cenſeretur. Quanquam itaque eius eximia ſanctitas celebrem toto terrarum orbe promeruerit claritatem, apud nos tamen, & à nobis propenſius eſt venerandus, quos ſacri corporis præſentia ſanctificat, beneficiis gratificat, intercesſione conſeruat. Iſte enim iſte eſt vir, per quem lumen religionis tibi Gallia coruſcauit, in quo & per quem ſanctitatis & miraculorum tibi iubar effulſit. Hic tuus pater, hic proprius paſtor eſt, qui rudem tuæ religionis infantiam verbo aluit, exemplo formauit, protexit in aduerſis, prouexit in proſperis, diuina concilians, humana componens. Multas pro te & graues ſibi expeditiones gratia ſummi in te amoris indixit. Non ceſſit laboribus, non pepercit ſudoribus, oblitus imbecillitatis corporeæ, oblitus longæuitatis annoſæ. Pro ſalute pro pace tua corpus ſuum ad deprecandum Deum continuis ſubiecit anguſtiis, amori tuo poſt Deum nihil prætulit, pro quo & in quo extrema certè omnia pati conſenſit. Et quamquam illum aliæ orbis partes certatim cuperent, quippe in quo & ex quo maximè per id temporis ſalus omnium & vota pendebant, te tamen omnibus prætulit, vtilitates tuas publicas & priuatas paterno ſemper affectu curauit. Tu reuertentem excipiebas, feſſum fouebas. Tu releuatio itineris, tu eras quies blanda laboris. Itaque etſi aliis non, tibi certè Apoſtolus eſt. Signa enim Apoſtolatus eius nos ſumus omnes in Domino. Interea Chriſtus adeſt, oſtendit ituro paradiſum perpetuum, ad Angelorum epulas inuitat amicum. Mixta luctibus gaudia indiſcretè feruntur, dum morituro lacrymæ impenduntur.

De quo primum editus hic ſermo, Illuſt. n. 85.

Sed Ioannes cœlo ſpiritum refundebat, & caris ſubditis ſalubria prouidebat. Itaque Galliã moriens illuſtrauit, Galliam mortuus viſitauit. Sed poſt mortem non viſitaret, niſi & mortuus viueret. Viuit inquam mortuus, qui omnipotentis Chriſti milites ſibi ſociauerat viuus. Mortuus conſecrauit nobis diem hodiernum, qui ſi ritè à nobis colatur obtinebit æternum. Videte igitur quàm bene de nobis eſt meritus, quibus tantopere voluit eſſe patronus. Cui cùm vos debitæ venerationis cultum impenditis, vſuram vobis multiplicem fructuoſo fœnore præparatis, quam per præſentiam ſacri corporis plus accipitis, quàm præſtatis. De cuius gloria, quia nihil dignum dicere poſſumus, iam nunc ad eum & voces & vota vertamus, ſanctitatem eius ſummiſſis animis, fœcundis precibus ambiamus. Memento pater ſanctiſſime, memento tuorum per ſæcula filiorum; nec obliuiſcatur gregis, peruigil cura paſtoris. Credimus te ad tribunal Altiſſimi incoinquinatum aſſiſtere. Ne ergo abnuas fragilitatem noſtram immanium criminum ſqualoribus releuare. Potes equidem ſpatium nobis pœnitentiæ à manſuetiſſimo iudice impetrare, qui dignus habitus es in conſpectu agni canticum nouum cantare, tantum illi cuius meruiſti eſſe pediſſequus, nobis digneris eſſe patronus. Orationum quas ad ſepulcrum tuum fundimus interpres ante Deum eſto fidiſſimus. Quique nobis extitiſti ſtrenuiſſimus prædicator, eſto nihilominus pro noſtris calamitatibus ſuffragator. Poſce correctionem moribus, tranquillitatem temporibus, cunctorum veniam peccaminum, æternorum compendia gaudiorum. Facilè quod popoſceris obtinebis, quandoquidem ita te tuo conuinctum credimus potentiſſimo imperatori, vt nec poſſis velle quod ille noluerit, nec velis quidpiam deprecari quo illum non cognoueris delectari.

Annus Chriſti.

Annus Chriſti.

CAPVT III.

Sermo in depoſitione eadem.

Ex Codice Ms. Reomaenſi.

SANCTORVM virtus & gloria ſpecialis non tam ad gloriam, quàm ad virtutem prouocat omnes qui recto ſunt corde. Non recti planè, ſed peruerſi eſt animi antè requirere gloriam, quàm exercere virtutem, & velle coronari, qui legitimè non certauit. Quæ enim ſine virtute eſt gloria profectò indebita venit, præpropere affectatur, periculosè captatur. Virtus gradus eſt ad gloriam, virtus mater eſt gloriæ. Fallax gloria & vana eſt pulcritudo, quam illa non parturiuit. Sola eſt cui gloria & iure debetur, & ſecurè impenditur. Sancto Ioanni nec virtus nec gloria deeſt, pugnauit fortiter qui viriliter ſuperauit, & ſic demum gloria & honore eſt coronatus. Quamquam ne in die quidem virtutis ſuæ ſine gloria fuit, ſignis & prodigiis admirandus. Habemus dilectiſſimi in vita viri ſancti, & quod dignè miremur, & quod ſalubriter imitemur. Tutius tamen æmulamur ſolidiora quàm ſublimiora, & quæ magis virtutem redoleant, gloriam minus. Studeamus proinde moribus conformari, cui in mirabilibus aſſimilari, & ſi volumus non valemus. Æmulemur in viro ſancto ſobrium victum, deuotúmque affectum. Æmulemur manſuetudinem ſpiritus, caſtimoniam corporis, oris cuſtodiam, animi puritatem, ponere frænum iræ, & modum linguæ, dormire parcius, orare frequentius, commonere noſmetipſos Pſalmis, Hymnis & Canticis ſpiritualibus; diebus iungere noctes, & diuinis laudibus occupare. Æmulemur Chariſmata meliora, diſcamus ab ipſo quòd mitis & humilis corde fuit. Æmulemur, inquam, quòd extitit liberalis in pauperes, iucundus ad hoſpites, patiens ad peccantes, benignus ad omnes. Primum & maximum miraculum, quod ſanctus dedit, ipſe erat. Vt enim taceamus interiorem hominem eius, cuius pulcritudinem, fortitudinem, puritatem ſatis indicabant mores ipſius & vita, ipſum exteriorem ita vno-

ſemper modo ipſóque modeſtiſſimo & decentiſſimo geſſit, vt nihil prorſus appareret in eo quod poſſet offendere intuentes, quandoquidem qui non offendit in verbo, ille perfectus eſt vir. At verò in ſancto viro quis vnquam, etiamſi curioſius obſeruauerit, deprehendit otioſum non dico verbum, ſed nutum? Quis manum, pedémque mouentem fruſtra? immo quid non ædificans in eius aſpectu, habitu, vultu? denique vultus hilaritatem, nec fuſcauit mœror, nec leuem fecit riſus. Totum in eo diſciplinatum, totum inſigne virtutis, perfectionis forma. Per omnia ſerius, ſed non auſterus, remiſſus interdum, diſſolutus nunquam, negligens nihil, etſi pro tempore multa diſsimulans, quietus ſæpe, ſed minimè aliquando otioſus. In his forma eſt cui imprimamur, in miraculis gloria quam miremur. Illa lætificent, illa ædificent, moueant iſta, illa promoueant. Gaudete in Domino dilectiſsimi, qui inter continua ſuæ pietatis beneficia hominem indulſit mundo, cuius multi ſaluarentur exemplo. Iterum dico gaudete, quòd factus de medio appropiauit Deo, vt multo plures eius intercesſione ſaluentur. In terris viſus eſt, vt eſſet exemplo, in cœlum leuatus eſt, vt ſit patrocinio, hic informat ad vitam, illic inuitat ad gloriam. Hæc dies glorioſæ migrationis eius, dies lætitiæ cordis eius, exultemus & lætemur in ea. Hodie ſanctus iſte poſito corpore, quo ſolo præpediri ab introitu gloriæ videbatur, tanto alacrior, quanto expeditior penetrauit in ſancta, ſimilis factus in gloria Sanctorum. Hodie de nouiſsimo loco, quem ſibi ex conſilio Saluatoris elegerat, ipſo ſummo patrefamilias euocante verus amicus aſcendit ſuperius, & eſt illi gloria coram ſimul diſcumbentibus. Hodie deſpecto mundo, & mundi principe triumphato ſupra mundum mundi victor aſcendit, accipiens de manu Domini coronam gloriæ. Aſcendit autem clarus triumphis, miraculis glorioſus. Pauſat miles emeritus, & poſt labores, ſudoréſque ſacræ & peractæ militiæ, locatur feliciter, ſublimiter coronatur, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor & gloria cum Patre & Spiritu ſancto, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Annus Chriſti.

Annus Chriſti.

CAPVT IV.

Sermo in exceptione eius tempore quadrageſimæ.

Ex Codice Ms. Reomaenſi.

QVID prodeſt homini ſi totum mundum lucretur, animæ autem ſuæ detrimentum patiatur. Non retardauit illecebra ſæculi feſtinantes, tranſitura migrantes. Quantumlibet & quomodolibet fulgens felicitas hîc dimittenda, & ad aliam vitam non transferenda; aliquando hîc etiam à viuentibus relinquenda. Contemnite ergo ſæculum Chriſtiani, contempſerunt Martyres, contempſerunt Apoſtoli, contempſit beatus Ioannes, cuius exceptionem hodie celebramus Fuit enim in eo ſicut conſpectum habemus, & contra errores diaboli ſpiritalis ſapientiæ plenitudo, & aduerſus perſequutiones mundi Chriſtiani pectoris infatigata conſtantia. Quis non eiuſmodi virum quantis valet præconiis proſequatur? cuius eloquentia inſpirata diuinitus, & Eccleſias docuit, & ſæculum confutauit. Verè hic mirabilis, atque omnium vbique ſtudiis celebrandus, quem ſanctitas ſacerdotem, peritia Doctorem, fides religioſum conſecrauit. Pretioſa, inquit Dauid, in conſpectu Domini mors Sanctorum eius. Videte, cariſsimi, quantum venerabilis ſacerdos Prophetarum ſupergreſſus ſit laudem, cuius in conſpectu Domini non ſolùm mors, ſed & vita extitit pretioſa. Quid hoc clarius ſacerdote, qui inter hominum turbas cæleſti conuerſatione emicuit, atque inter Angelorum cœtus, & ſua factus eſt & aliorum morte conſpicuus. Iuſtiſsimè hic cum Patriarcha Dauid cantauit Domino Deo ſuo dicens. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deo viuo. Exultauit vtique cor eius in Deo viuo, cùm morientis, & morituri ſæculi vanitate deſpecta totum ſe diuinis mancipauit obſequiis, exultauit & caro eius in Domino, quæ de hoc mundo non miſeri corruptione languoris confecta, ſed piis pro religione ſuppliciis conſecrata migrauit. Hic eſt ille Euangelicus paterfamilias proferens de theſauro ſuo noua & vetera,

tera, qui veteris nouique teſtamenti vnum atque idipſum myſterium prædicans Eccleſias Chriſti locupletiſsima diſputatione ditauit. Incorruptibilis atque indefectus illius eſt hodiéque theſaurus, pecuniam Domini ſui nummulariis fœnerans quotidie in corde fidelium cæleſtium diuitiarum ſanctam conquirit vſuram. Quid igitur fratres tanto ſpecioſius viro, cuius hæc fuit regula & menſura ſermonis, vt inter varias hominum cauſas motus diuerſos conciperet, & nunc affectione patris, nunc autoritate Doctoris conſolaretur humiles, ſuperbos comprimeret, negligentes argueret, increparet infideles. Tanto denique decore ſacerdotium vitámque ſuam vir fideliſsimus adornauit, vt doctrinam ſuam ſubſequentibus confirmaret operibus Dominicam illam ſententiam tenens. Qui docuerit & fecerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Multos adhæc promiſcui ſexus quos membrorum debilitas miſeranda contraxerat, vſibus reſtitutis virtus medicantis indiſcreta ſoluebat. Crebrius etiam oculorum captis lumine purgatis tenebris præſidiũ contemplationis indulſit, & rediuiuæ lucis compendia deſerto habitaculo reſtaurauit. Multa quoque immo innumera virtutum inſignia, quæ diebus ſingulis ex more ſuccreſcunt relatio noſtra præteriit, vt nec lateret ſilentio magnitudo operis, nec diei conſumeret ſpatium tanta prolixitas dictionis. Illi laus, illi gloria Domino Deo noſtro regi ſæculorum creatori ac recreatori hominum, qui ſuo tali ſacerdote ditauit Eccleſiam, & tam ſancto corpore huius loci amplitudinem conſecrauit. Illi laus, illi gloria, qui dignatus eſt illum virum prædeſtinare inter ſanctos ſuos ante tempora, creare inter homines opportuno tempore, vocare errantem, mundare ſordentem, firmare credentem, docere obedientem, regere docentem, adiuuare pugnantem, coronare vincentem. Illi laus, illi gloria, qui talem hunc fecit, in quo maximè oſtenderet Eccleſiæ ſuæ, quantis malis opponenda, & quantis eſſet caritas bonis præponenda, & quàm nulla eſſet caritas Chriſtiani, à quo non cuſtodiretur vnitas Chriſti. Quàm ſic ille dilexit, vt & malis pro caritate non par-

Annus Chriſti.

Annus Chriſti.

ceret, & malos pro pace toleraret, liber in dicendo quod ipſe ſentiret, & pacificus in audiendo quod fratres ſentire cognoſceret, meritò in Eccleſia Catholica tanti honoris celſitudinem meruit, cuius concordiſsimum vinculum tanta humilitate ſeruauit. Tantis itaque per beatiſsimi Ioannis Confeſſoris merita beneficiis cumulati gratias inexplicabiles omnipotenti Domino & agimus & habemus, qui nobis ſibi famulantibus noſtræ gentis, noſtri ordinis peculiarem dignatus eſt præparare patronum, qui loci iſtius & à fundamentis propagator exiſteret, & ſua illum habitatione proueheret, exemplis beatiſsimis illuſtraret, obitu ſanctiſsimo conſecraret. Quique viuens ſignorum dote refulſerat, mortuus immo immortalis locum ſuum & præſentia lætificaret, & patrocinio protegeret, & miraculis indeficientibus perornaret. Horum omnium autore, auſpice, & cooperatore immortali Deo cui perpes gloria, infinita victoria, maieſtas & dignitas ſempiterna ex tunc & nunc, & in omnia ſæculorum ſæcula, Amen.

Caput V.

Sermo in tranſlatione S. Ioannis.

Ex Codice Ms. Reomaenſi.

Sermonem à nobis debitum auribus cordibúſque veſtris exigit grata & religioſa ſolemnitas, qua tranſlationem corporis beati Ioannis Confeſſoris celebramus. Sanctiſsimus & ſolemniſsimus dies, atque huic Eccleſiæ ornamento familiarior & præclarior lætificandis nobis hodie illuxit, gaudeamus dilectiſsimi fratres in Domino, & ſpiritali iucunditate lætemur, qui nobis talis vitæ donauit patronum, qui nos in hoc ſacratiſsimum ouile congregaret, & pietatis magiſterio erudiret. Nullus dubitet in fide, nec de veniæ largitione hæſitet, nec de piæ petitionis fluctuet effectu. Qui talem nobis patronum conceſsit illius nos precibus concedit exaudiri, quia quanto fidentius deprecamur, tanto citius exaudimur. Fides enim omnia impetrat, ſicuti ab hoc ſanctiſsimo viro cuius hodie feſtiuam

celebramus diem certiſſima ante oculos habemus exem- *Annus Chriſti.*
pla. Qui mox ab infantia ſua per fidem Deo placere contendit, patriam, cognationem, & amicos feruente fide pro amore Dei dereliquit, terrena contempſit, vt cœleſtia acquireret, in pace quieuit, qui in ſpe laborauit, vitam inuenit æternam, qui temporalem contempſit, nobis ablatus & Angelis ſociatus. O beatiſſime Chriſti ſacerdos ne nos relinquas in terris laborantes, ſed precibus de cœlis adiuuare non ceſſes. Vita tua apud homines ſemper probata fuit pro Deo, ſint preces tuæ apud Deum ſemper intentæ pro hominibus. Meditatio tua fuit in lege Domini die ac nocte, & ſicut palma floruiſti in domo Domini. Sicut cedrus Libani multiplicaſti filios tuos, qui ad te tota mentis intentione clamant, tu illos pia attentionè adiuuare digneris. Sentiamus tuum nobis adeſſe auxilium, qui tuis deuotiſſimè inſtamus officiis. Felix anima quæ ſæculi labores reliquiſti, & cœleſtem cum multiplici ſudoris fructu requiem intraſti, talenta tibi commiſſa multiplicaſti, præmia promiſſa accepiſti. In pauca fuiſti fidelis in terris, ſupra multa conſtitutus gloriaris in cœlis. Gaudia Dei tui quæ ſemper optaſti, ſemel habere cepiſti. Te continuis ô Pater proſequimur laudibus, tu nobis aſſiduis auxiliare precibus. Credimus te in præſentia Domini tui omnia poſſe impetrare, quæ poſcis, qui tanta potuiſti in præſentia noſtra per eius gratiam miracula perpetrare. Tu modò ciuis Angelorum, tu ſocius Sanctorum, tu lætus cum illis canticum nouum cantas. Sicut audiuimus, ita & vidimus, beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæculum ſæculi laudabunt te. Videte, fratres cariſſimi, quanta ſit gloria Deum ſequi. Iſte pro amore Dei patriam contempſit, peregrinationem elegit, diuitias ſæculi paruipendit, paupertatem voluntariam amauit. Et cognouimus qualem poſtea honorem habuerit inter homines. Sed melior eſt gloria, quam æternaliter poſſidet inter Angelos. Huius nos Doctoris exempla ab ignauiæ torpore ſuſcitent, faciant nos forti animo pro vita decertare cœleſti, temporalia deſpicere, & æterna deſiderare, vt quod in illo prædicamus,

Annus Christi. impleamus in nobis. Agones laboris illius laudamus, vias noſtras in veſtigia eius corrigamus, quatenus qui ſanctitatis eius ſequemur exempla, beatitudinis ſociemur & præmiis.

CAPVT VI.

Hymnus de S. Ioanne.

Cuiuſmodi fuerint hi hymni & proſæ, Illuſt.n. 86.

EXVLTEMVS & lætemur,
Et in ipſo gloriemur
Communi lætitia,
Qui Ioannem Confeſſorē,
Almū noſtrum ſuſceptorē,
Coronauit gloria.
Læti ergo decantemus,
Decantando enarremus
Ioannis magnalia.
Claro ortus hic genere,
Deo vero adhærere
Cepit ab infantia.
Quem tum Deus exaltauit,
Cum Cœnobium fundauit,
Cuius rexit munia.
In qua luce emicuit,
Vel quali vita clatuit,
Teſtantur ſequentia.
Anguem primò interfecit,
Et de loco aquam iecit
Diuina potentia,
Quæ nunc vſque epotatur,
Et in Chriſto reformatur
Sitiens familia.
Qui cū ſignis crebreſceret,
Vita verbo inſtrueret,
Suos plenus gratia,
Multo melius ſubeſſe
Cenſet ille, quàm præeſſe
Vitans mundi gaudia.
Ceſſit loco, quem coluit,
Apud Lirinum latuit,
Sed Dei clementia
Tandem gregem viſitauit,
Et paſtorem reſtaurauit,
Cum magna lætitia.
Quæ per eum declarare
Cepit Deus, enarrare
Nequimus miracula.
Cæci viſu decorantur,
Aures tuſæ reſerantur,
Soluuntur & vincula,
Mutus verbo renouatur,
Lingua cæſa reparatur,
Fugantur dæmonia,
Claudus greſſu hilaratur,
Lepra preſſus emundatur,
Per eius ſuffragia,
Omne genus infirmantum,
Piè petens patrem ſanctum
Recipit ſalubria,
Iure debent honorari,
Et à cunctis exaltari,
Tanta natalicia,
Ergo paterglorioſe
Vallis huius ærumnoſæ
Nos deme miſeria.
Vt lætemur triumphantes,
Te paſtorem venerantes
In cæleſti curia.

Annus Chriſti.

CAPVT VI.

Proſa de S. Ioanne in Tranſlatione.

AVE ſtella glorioſa, gemma Sanctorum pretioſa,
Ioannes pater ſpes vnica, adeſt nũc tibi plebs deuota,
Adeſto famulis, & cantica fac Deo digna noſtra.
Iubilat caterua palliata, dulces alternat cantus,
Sonora coniungit & organa. O te Regum Rex bone
Nos vna benedicimus ſemper trinitas alma, mente
Deuota. Quam præclara & pulcra munera nobis ſacra
Das tui Ioannis membra. Tibi gloria. Cœlica &
Terrea plaudite. Symphonia plaudat & canora, &
Hymnizet nectarea diateſſaron cum diapente
Sua iuncta, diapaſſon deinde clara ex his facta.
Surge tinnula, dulcis melodia & ſuauis ede
Carmina. Nunc te ô Ioannes dilecta precatur turma
Vbique nos guberna. In Angelica curia, noſtra
Opera excuſa fragilia, poſt te nos trahe manu
Ter beata ad æterni regis regna illa ſuperna.
Illic albeſcunt lilia, rubet & roſa, redoléntque
Mira balſama, felix patria Ieſus qua ſua gaudet
Cum ſponſa, eius ſola ſumma gratia. Laus melliflua
Illi per cuncta ſæculorum nunc & in ſæcula amen.
Clamemus voce magna ſalue ô cœleſtis margarita.

CAPVT VII.

Altera de eodem Proſa, in Octaua.

ADEST ecce dies alma, & magno gaudio plena,
In qua ſancta Deo grata congaudet hæc Eccleſia.
Hodie cæleſtis lætatur turba, quæ gloriam cantat
In excelſis voce dulciſſima, cum ſymphonia clara.
Hodie polorum ſancta agmina collaudant regem
Deum natum ex virgine. Aue inclite confeſſor

Annus Chriſti. Chriſti Ioannes flos pulcherrime, tu veſtigia Chriſti
Sequutus es fide deuota æterni regis adeptus
Regna, iam gratularis in domo ſuperna poſſidens
Sedes almas. Iam poſtulamus & depoſcimus vna.
Adiuuent nos tua ſuffragia, conſona voce noſtra.
O beate, ô ſancte Ioannes ſalua cateruam iſtam.
O beate, ô ſancte Ioannes ſit tibi gloria.
Nos vna mereamur ſancta Polorum altaria
Poſſidere læti, cernentes alma gaudia quàm ſint plena.
Sit Deo laus, honor, & iubilatio caſta, qui regnat
Per omnia ſæculorum ſæcula. Amen dicant omnia.

S. SILVESTRI ABBATIS II. REOMAENSIS.

Rerum geſtarum excerpta ex variis.

CAPVT I.

Vitæ S. Silueſtri Epitome.

Ex Codice Ms. Reomaenſi.

POST obitum glorioſiſſimum Domni Ioannis ſuffectus eſt in locum eius Abbas, Silueſter nomine, quem ipſe antea viuens fratrum cœtui præeſſe præceperat, qui &
537. De anno creationis S. Silueſtri, Ill. n. 87. religionis forma & Regulæ tenore per veſtigia magiſtri gradiens longæuo floruit tempore. Diligebatur autem à Clotario atque Childeberto Chriſtianiſſimis Regibus Francorum, ob meritum eius ſanctitatis. Miracula autem ab eo acta non amplius legimus, niſi in vno tantummodo clerico, quem contractio neruorum, & debilitas manuum totum reddiderat inofficioſum, qui ad venerabilem Silueſtrum adminiculo vehiculi eſt delatus, & ab ipſo ſanctificati olei liquore perunctus. Mox omnis contractio neruorum, atque incuruatio poplitum extenta, & plantæ pedum eius ſolidatæ ſunt, ſanitatique eſt reſtitutus. A debilitate verò manuum per beatum Germanum Pariſiacæ ciuitatis

Epiſcopum poſtea meruit curari. Scriptum in geſtis habetur præfati beati Germani. Quieuit igitur venerabilis Silueſter ſeptimo decimo Calendas Maij, & ſepultus eſt in Eccleſia S. Ioannis regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui viuit & regnat in ſæcula.

Annus Chriſti. circa 572.

De anno mortis S. Silueſtri, Illuſt. n. 88.

CAPVT II.

Miraculum à S. Silueſtro editum.

Ex Venantio Fortunato in S. Germano Pariſienſi.

QVIDAM Clericus de iuxta Monaſterium B. Silueſtri in Tornodorenſi, cùm die Dominica, vt loquimur ex conſuetudine caligas circinaſſet, debilitatem manuum ac pedum incurrit. Sed per beatum Silueſtrum greſſuum recepit officium. Deinde per ſoporem admonitus occurrit Pariſiis S. Germano, poſcens reliquum ſalutis compendium. A quo interrogatus, cauſam culpæ confeſſus eſt. Tunc imperat ſanctus Clericum clamare per populum. Ne quis temere die Dominico operaretur, cui quinto die tranſacto ſuperfuſo oleo palma erigitur, & ſic ad propria cum libertate eundi dimittitur.

CAPVT III.

Præceptum Chlotarij Regis Francorum.

CHLOTARIVS Rex Francorum vir inluſtris. Omnibus Epiſcopis, Abbatibus, & illuſtribus viris, magnificis Ducibus, Comitibus, Domeſticis, Vicariis, Grafionibus, Centenariis, vel omnibus Iunioribus veſtris, tam præſentibus, quàm & futuris. Si petitionibus Sacerdotum, quod ad profectum Eccleſiarum pertinet, auditum mente deuota præſtamus, retributorem omnium bonorum Ieſum Chriſtum ex hoc nos habere confidimus. Igitur notum ſit omnibus, quoniam diuæ memoriæ genitor noſter

Qui iuniores Iudicũ, n. 89.

Annus Chriſti.

Clodoueus Monaſterium Domini noſtri Ioannis ex don. ipſius ſub ſua emunitate recepit, tenuit, & honorauit, ſuiſque poſteris Regibus per præceptum hæreditarium reliquit. Ita & nos venerabilem Siluestrum Abbatem ipſius loci, & Domini Ioannis noſtri generis peculiaris patroni, & oratoris diſcipulum, ac ſucceſſorem ſub noſtra & noſtrorum ſucceſſorum Regum emunitate, & defenſione recipimus, & reuocamus, decernentes vt ſemper ſub nobis & Regibus noſtris ſucceſſoribus tam Abbas, quàm Monachi, quámque omnes qui pro ipſa caſa Dei, aut ipſo Abbate ſpectare videntur, ſeu in reliquum eſſe debent, ſemper maneant, & ex ſuis Abbatem conſtituant. Nulláſque requiſitiones nec nos, nec publici iudices ab ipſo loco, vel à dominis eiuſdem Monaſterij requiramus. Sumptus verò quos genitor noſter monachis ad veſtiendum, calciandúmque, & victum, præbuit, ſimiliter & nos noſtrique ſucceſſores Reges ex noſtra camera, vel fiſcalibus reditibus Abbati Siluestro, eiúſque Monachis & ſucceſſoribus liberaliter conferemus, vt pro nobis, noſtróque progenitore & Regno Dominum iugiter exorent.

(Cur S. Ioãnes orator, n. 90.)

✠ Signum incliti Regis CHLOTARII.

N. Ego attuli obtuli & ſubſcripſi. Datum ſub die VIII. Kal. Maij anno v. Regni noſtri Actum Sueſſionis.

537.

MVMMOLI ABBATIS III.

Rerum geſtarum excerptum.

circa 573.

Ex S. Gregorio Turonenſi Hiſtoriarum, Lib. V.

Inſignis fuit in omni virtute.

(Cur Mummolus bonus dictus, n. 91.)

MVMMOLVS Abbas quem Bonum cognomento vocant Epiſcopus ſubſtituitur, quem multi magnis lau-

laudibus proſequuntur. Eſſe eum caſtum, ſobrium, moderatum, ac in omni bonitate promptiſſimum, amantem iuſtitiam, charitatem omni intentione diligentem. Qui accepto Epiſcopatu cognoſcens, quòd Lampadius multum de rebus fraudaſſet Eccleſiæ, ac de ſpoliis pauperum agros, vineáſque, vel mancipia congregaſſet eum ab omni re nudatum à præſentia ſua iuſſit abigi. *Annus Chriſti.*

LEOPARDINI ABBATIS IV.

Rerum geſtarum excerptum.

Ex Libro I. Miraculorum ſancti Ioannis.

Tranſtulit corpus S. Ioannis.

POST primariam Ioannis beatiſſimi ſepulturam ſacrum corpus eius à Leopardino, qui quartus poſt ipſum Abbas loci eius ſuffectus eſt venerabiliter noſcitur tranſmutatum, vbi quid diuinæ euidentiæ fuerit demonſtratum ad autoris laudem fideli putatur relatione condignum. Nam cùm ſepulcrum illud à loco in quo poſitum erat auellere, ac commutare voluiſſent, & ſublata humo vndique, nequaquam tamen ſarcophagum mouere poſſent, triduani ieiunij ſubire laborem conſilium fuit. Cúmque iam tertius dies ieiunij illuxiſſet, (erat enim decimus Calend. Octobris, quo die veneranda feſtiuitas B. Mauritij Martyris cum ſociis ſuis mundo clara niteſcit) & feſſa iam ieiunio membra, poſt matutinorum cantus rurſum ſopore quieſcerent, quidam ſenex Eccleſiam introiens cernit beatos ſenes, vt ſibi videbatur, Ioannem & Silueſtrum, qui ei in regimine loci ſucceſſerat, ante ſepulcrum ſtare; atque iis, qui cum eis erant albis veſtiti ſtolis, imperare vt ſepulcrum mouentes in locum perducerent deſtinatum. Cúmque ille audaci animo cerneret quid ageretur, à Ioanne, vt ipſe arbitrabatur, increpatus eſt. Cur, inquit, auſus es Eccleſiam introire? Sed quia ſimplici corde tuum co-

Annus Chriſti. gnoui introitum. Vade, inquit, & concito gradu tam Leopardinum quàm ſodales excitato, vt cœptum opus peragant. Feſtinus ille frater ad Leopardinum Abbatem cucurrit, ac rei geſtæ cauſam deprompſit. Ille cum ſuis ouans ſurrexit, & agnita voluntate ſancti viri, atque permiſſu propriæ deuotionis, ſurgentes & ſepulcrum amouentes in locum deſtinatum illud commutarunt, vbi & ſanctum altarium cum conſilio Epiſcoporum ſtruxerunt, quo Chriſti hoſtiæ litantur, atque orationum officia perſoluuntur, vbi & remedia ægris, & quorumcumque votis ſolamina beneficiorum attribuuntur.

SICHARII ABBATIS V.

Rerum Annotatio.

Hunc Abbatem ſoli Catalogo Reomaenſi debemus, cùm nulla eius alibi occurrat mentio. Vixere circa huius tempora alij Sicharij, vt is cuius funeſtam cladem recitat Gregorius Turonicus Hiſtoriæ lib. 7. & 9. Sed quid ille habeat cum hoc Abbate commune non liquet, vt pote vir terrenis planè rebus, ac vitiis addictus. Alius apud Lugdunum Epiſcopus hoc nomine donatur in Martyrologio Vſuardi Aprilis vndecimo, quem ad iſta tempora quidam reuocant. Sed an illi quoque aliquid ſit rei cum iſto obſcurum manet.

BOBONIS ABBATIS VI.

Rerum Annotatio.

Scribitur hic diſtinctè in vetere Catalogo ſextus Abbas huius Monaſterij. Et in Tabulis funerariis menſe Iunio ſic legitur. Obierunt Bouo & Robertus noſtræ congregationis. Nec de eo vſquam plura occurrere hactenus.

Annus Chriſti.

HVNNÆ ABBATIS VII.

Rerum geſtarum excerpta.

Capvt I.

Ex Lib. I. Ionæ de ſancto Ioanne.

CVm ad vrbem Cabilonenſem mitteretur noni menſis ſecunda hebdomada Ionas Abbas diſciplinis beati Columbani eruditus, atque per Monaſterium S. Ioannis quod vocatur Reomaus præteriens paucis diebus inibi pro labore itineris quieuiſſet, ductus precibus Domni Hunnæ Abbatis fratrúmque ipſius Cœnobij, vt quæ per diſcipulos memorati Confeſſoris Chriſti, vel poſteros eorum veraciter comperta erant conſcriberet, tandem articulum ſcribendi ita conuertit.

Capvt II.

Ex Catalogi veteris Abbatum Notis Chronicis.

HVnna fuit de diſcipulis ſancti Columbani Monaſterij Luxouienſis, & præſidebat anno Domini ſexcenteſimo ſexageſimo quarto, tempore Clotarij ſecundi (melius tertij) Regis Francorum.

CELSI ABBATIS VIII.

Rerum Annotatio.

Octauum in præfectura Reomaenſi locum tenuiſſe Celſum Catalogus teſtatur, nec de eo alibi vlla eſt mentio.

MASCHARÆ ABBATIS IX.

Rerum Annotatio.

Ad huius vel ſuperioris Abbatis tempora ſpectare exiſtimo Priuilegium à Sigoaldo Lingonenſi Epiſcopo in Mo-

Annus Chriſti. naſterij huiuſce gratiam latum, de quo longè poſtea Guillencus ſucceſſor eius ita meminit. Priuilegium Sigoaldi de conſecratione Abbatis, de Fraterna dilectione, de charitatiua fratrum caſtigatione & emendatione.

DEODATI ABBATIS X.
Rerum Annotatio.

De hoc præter nomen & ordinem nihil memoriæ proditum ſeſe obtulit.

SAMVELIS ABBATIS XI.
Rerum Annotatio.

Cur cuſtos Regius dictus, n. 93. 691. Catalogus Abbatum cuſtodis illi Regij munus tribuit, nihilóque ſecius præſediſſe velut Abbatem ſcribit tempore Dagoberti (ſcrib. Childeberti aut Clodouei) Regis Francorum circa annum Domini ſexcenteſimum nonageſimum primum.

EVSTORGII ABBATIS XII. ET EPISCOPI LINGONENSIS.
Rerum Annotatio.

Aſtoricum ex Euſtorgio fecit vulgaris vocum corruptela, quæ etiam in Catalogos Epiſcoporum Lingonenſium
710. irrepſit. Habuit enim in eis locum ſuum Euſtorgius, in illam ſedem ex Reomaenſi præfectura traductus poſt annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum.

CHRISTIANI ABBATIS XIII.
Rerum Annotatio.

720. Chriſtiani præfecturam decennio poſteriorem illa quæ præceſſit Euſtorgij tenemus, ex Catalogi Abbatum notis Chronicis, ſed illius finem præcisè non licet aſſignare,

multo minus res ab eo geſtas, niſi quod ſedis incompertæ Epiſcopatu eſt functus. *Annus Chriſti.*

MAVRELLI ABBATIS XIV.

Rerum Annotatio.

Maurelli & Chriſtiani præfecturæ nullis quidem inter ſe limitibus ſecernuntur, ſed vtrinque anno ſeptingenteſimo decimo, & ſeptingenteſimo quinquageſimo primo circunſcribuntur, vt ſingulis liceat attribuere annos pluſquam viginti, ſi nullius alterius nomen eo interuallo excidit, ſed vt prioris, ita & poſterioris res geſtas obliuio ſepeliuit.

VALDONIS ABBATIS XV.

Rerum Annotatio.

Cùm rei familiaris anguſtiis monaſticæ diſciplinæ, ac ordinis incrementa præpedirentur, primus inter huius Monaſterij Abbates Valdo eam rationem excogitauit rei familiaris amplificandæ, quæ apud poſteros ſubinde impendio eſt propagata, vt nec Principis fiſco, quod ad ſancti Ioannis & Silueſtri tempora factum docent Præcepta Clodouei & Clotarij, nec Epiſcopis, oneroſa eſſet monachorum multiplicatio. Eccleſias enim in agris, vel conditas à monachis, vel excultas, Monaſterio in perpetuum attribui depopoſcit, ratus, quod euentus docuit, populum exemplis, ac virtutibus Monachorum pellectum copioſius illuc ſuas, ſeu decimas, ſeu dona alia conuecturum, laxatiſque anguſtiis plures ad Dei cultum, & Eccleſiarum ſubſidium conuolaturos. Placuit tum vulgo id inuentum Epiſcopis. Itaque Valdoni vt ſuſpicor primus è Lingonenſibus Epiſcopis Guidricus, quem alij Gualdricum, aut Valdricum efferunt, tres Eccleſias Aſiaci, Similiaci, & apud vineas, ad monachorum ſuſtentationem addixit.

Annus Chriſti.

HEIRARDI ADALARDI DVCIS FILII ABBATIS XVI.

Rerum geſtarum excerpta.

CAPVT I.

Ex Catalogo Abbatum Reomaenſium.

Heirardus Adalardi filius.

796. HEIRARDVS præſidebat tempore Leonis Papæ tertij, circa annum Domini ſeptingenteſimum nonageſimum ſextum, fuitque filius Adalardi Ducis Burgundiæ.

CAPVT II.

Ex Annalibus Fuldenſibus Sigeberto, aliis.

Vaifarius Dux Aquitaniæ ab Adalardo cæditur.

Anno DCCLXI. VAIFARIVS iuramenta mentitus Pipino moleſtus efficitur, & ferro & igne cuncta vaſtando Cabillonem vſque peruenit. *Annales*. Chilpingus Aruernenſis & Amingus Pictauenſis Comites congreſſi, cum militibus Pipini perimuntur cum multis. *Sigebertus*. Adalardus Comes & Auſtradius Vaifarij exercitum vincunt & fugant. *Du Cheſne ex aliquo veteri in Burgundicis.*

CAPVT III.

Ex Aimoino Lib. IV. *Cap.* LXVIII. *& aliis.*

Adalardus inter primates Burgundiæ Carolo Magno paret.

PERACTO ſecundum morem generali conuentu ſuper fluuium Scaldem, in villam Valleſchemarum Rex

Carolus ad hiemandum proficiſcitur. Cúmque ibi aliquandiu moraretur, Carlomannus frater eius pridie Nonas Decembris deceſſit in villa Salmonciaca, & Rex ad capiendum ex integro regnum animum intendens, in Carbonacum villam venit. Ibi Vuilharium Epiſcopum Sedunenſem, & Fulradum Capellanum, & alios plures ſacerdotes, Comites etiam, atque primates fratris ſui (inter quos vel præcipui fuere Vuarinus & Adalardus) ad ſe venientes ſuſcepit. *Aimoinus.* Domnus Carolus Rex Synodum habuit ad Valentianas, & ipſo anno Carlomannus Rex frater eius defunctus eſt in villa Salmuntiaco. Et Domnus Carolus venit ad Carbonacum villam. Ibique venerunt ad eum Vailerius Archiepiſcopus & Folradus Capellanus, cum aliis Epiſcopis & ſacerdotibus, Varinus, & Adalardus Comites cum aliis primatibus Carlomanni. *Monachus S. Eparchij in vita Caroli Magni.* Anno Chriſti DCCLXXI. Carlomannus Rex deceſſit ſecundo Nonas Decembris in villa Salmuntiaco, ſepelitur Remis. Vxor eius & filij in Italiam pergunt. Carolus habita Synodo in Valentianas Corbanacum venit, vbi omnes Epiſcopi, Abbates, Comites, & Duces qui fuerunt fratris ſui ad ſe venientes ſuſcepit, exceptis paucis, qui cum vxore Carlomanni perrexerant. *Annales Fuldenſes.* Hæc ab Adalardo Comite palatij noſtri ad eorum ſatisfactionem vna cum aliis fidelibus noſtris præcipi noſtra vice & publicè annunciari iuſſimus. *Carolus Magnus, lib. 5. Capitul. cap. 151.*

Annus Chriſti.

Adalardus an Comes vel Dux fuerit, Iluſt. n. 95.

CAMMVNDI ABBATIS XVII.
Rerum Annotatio.

Cammundo vt breuiſſima fuit præfectura, ita & rerum geſtarum nec momenta fortè maxima, nec vlla quod ſcitum ſit ad poſteros tranſmiſſa monumenta.

APOLLINARIS ABBATIS XVIII.
Rerum Annotatio.

Coniecimus alio loco Apollinarem Clericum potiùs

Annus Chriſti. fuiſſe quàm Monachum, quod Flauigniacenſibus ſimul & Reomaenſibus præeſſet. Facilius enim multo eſt ad iſta Magni Caroli tempora reperire exempla Clericorum, qui plura ſimul obtinerent Monaſteria quàm Monachorum. Monachis quippe id voluit Carolus interdictum Capitularibus ſuis, Clericis non item. Nam quod quis ſuſpicetur Apollinarem laicum fuiſſe, fruſtra ſit. Tametſi enim poſt Caroli Magni tempora prauus mos inualuit, vt laici plurium ſimul Monaſteriorum Rectores conſtituerentur à Regibus, id tamen ad Ludouici demum tempora inductum videtur, libro ſecundo Capitularium, quæ Ludouicus edidit capite octauo, legitur primùm admonitio ad Abbates & laicos pro Monaſteriis ex regali largitate ſibi commiſſis, quæ repetitur libro quinto, cap. 181. Perſeuerauit id vitium, ac latiùs porro diffuſum eſt temporibus filiorum Ludouici, vt docet querela Epiſcoporum in Synodo Verni Palatij capite 12. Cauſas verò huius mali detegunt Epiſcopi Remenſis, & Rotomagenſis prouinciæ, in Epiſtola ad Ludouicum Regem Germaniæ, capite octauo, Caroli Calui partim iuuentutem, partim fragilitatem, partim aliorum callidam ſuggeſtionem, & minarum neceſſitatem, quia dicebant petitores, quòd niſi eis illa loca ſacra donaret, ab eo deficerent.

VIGILII ABBATIS XIX.
Rerum Annotatio.

Vigilius, vt in Catalogo Reomaenſi, ita & in Flauigniacenſi excipit Apollinarem, vt coniectura ſit vtroque in Monaſterio illi ſuffectum fuiſſe, & iis quas iam diximus, ex cauſis Clericum potiùs quàm Monachum cenſendum.

DEIDONI ABBATIS XX.
Rerum geſtarum excerptum.

Ex ſubſcriptionibus Priuilegij S. Remigij Senonenſis.

Aldricus Senonenſis, Landramnus Turonenſis, Bartolomæus

lomæus Narbonenſis, Ionas Aurelianenſis, Ragnoardus Rotomagenſis, Rotualdus Sueſſionenſis, Aldricus Cenomanenſis, Careiultus Baiocenſis, Radulfus Lexouienſis, Erchanradus Pariſienſis, Stephanus Bituricenſis, Altaldus Geneuenſis, Adalelmus Catalaunenſis, Ragnerius Ambianenſis, Elias Trecaſſinus, Hubertus Meldenſis, Alduinus Virdunenſis, Delricus Baſilienſis, Fulco Vormacienſis, Tengrinus Albenſis, Atto Namnetenſis, Gerfredus Niuernenſis, Facona Epiſcopus, Boſo Abba S. Benedicti, Adreualdus Abbas Nouiacenſis, DEIDONVS REOMENSIS COENOBII ABBA, Chriſtianus Abba S. Germani, Bernoinus Carnotenſis Epiſcopus, Ragnemodus Abba S. Carilephi, & Ingelnomus Sagienſis Epiſcopus.

Annus Chriſti.

Cui Synodo Vormacienſi ſubſcripſerit Deidonus, Il.ſt n.94.

Datum eſt in Synodo apud Vormatiam & confirmatum à Ludouico Imperatore Aquiſgrani XVI. Cal. Decembris, anno Imperij XXII. Indictione XIII. 835.

MODOINI ABBATIS XXI. ET EPISC. AVGVSTODVNENSIS

Rerum geſtarum excerpta ex variis.

CAPVT I.

Ex Priuilegio Ludouici Imperat. pro Eccleſia Auguſtodunenſi apud Robertum.[a]

A Carolo Magno & Ludouico priuilegia obtinet.

VENERABILIS Modoinus Auguſtodunenſis vrbis Epiſcopus obtulit obtutibus noſtris autoritatem immunitatis Domini. & genitoris noſtri beatæ memoriæ Caroli piiſſimi Auguſti illi conceſſam, in qua erat inſertum, quod non ſolùm idem genitor noſter, verùm & anteceſſores Reges Francorum Eccleſiæ S. Nazarij Martyris, cui

Quando fuerit factus Abbas Modoinus, Illuſt. n. 95.

Annus Chriſti. autore Domino ipſe Modoinus præeſt, ſub ſuo nomine & defenſione cum Monaſteriis, & cellulis, ſeu parochiis ſibi ſubiectis, & rebus, vel hominibus ad ſe pertinentibus, vel aſpicientibus conſiſtere fecerunt, & earum immunitatum autoritatibus hactenus ab inquietudine iudiciariæ poteſtatis eadem munita, atque defenſa fuiſſet Eccleſia. Sed pro rei firmitate poſtulauit à nobis præfatus Epiſcopus Modoinus, vt paternum, ſeu prædeceſſorum noſtrorum Regum, morem ſequentes eiuſmodi noſtræ immunitatis præceptum ob amorem Dei, & reuerentiam ipſius ſancti loci circa ipſam Eccleſiam fieri cenſeremus. Cui petitioni libenter aſſenſum præbuimus, & hoc noſtræ autoritatis præceptum erga ipſam Eccleſiam immunitatis & tuitionis gratia, pro diuini cultus amore & animæ noſtræ remedio fieri decreuimus. *Et infrà.*

Data XI. Calend. Auguſti anno Chriſto propitio II. Imperij Domini Ludouici piiſſimi Auguſti Indictione VIII. Actum Paderburno in Saxonia, in nomine Dei feliciter.

Capvt II.

Ex Theodulfi Aurelianenſis Epiſtola.

Modoini laus & obſecratio.

HOc Modoine tibi Theodulfus dirigit exul
 Summo Pontificum cernuus ecce melos.
Ito Thalia celer celeri tranſcurre volatu,
 Nec mora nec tibi ſit vlla in eundo quies,
Donec peruenias Modoini ad tecta beati
 Præſulis eximij Pontificiſque pij.
Ad quem perueniens genibus reuoluta iacebis
 Iuſſerit & ſi te ſurgere, ſurge celer.
Baſia confeſtim manibus donabis amicis,
 Et ſpectans patulam feſſa iacebis humum.
At ſi te rogitet quæ ſis, & cuius, & vnde?
 Fare age prome animo ſingula dicta tuo.

Annus Chriſti.
Quandiu carcere clauſus manſerit Theodulfus, Illuſt. n. 96.

Sum Theodulfi Erato veniens de carceris antro
  Eius vbi immenſus hunc tuus vrit amor.
Exul, inops, pauper, triſtiſſimus, anxius, algens,
  Spretus, & abiectus eſt vbi, ſiue, dolens.
Forſan & ipſe roget, quid agam? me viuere dices
  Vita, qua melior mors bona fortè foret.
Aut legit, aut docet, aut laudum pia munia complet
  Cunctipatri Domino, qui regit arua, polum.
Hunc pro ſe poſcit, pro te, ſiue ordine Cleri
  Pro populi, & Regis, próque ſalute Ducum.
Me tibi tranſmiſit, huius tibi dico ſalutem,
  Subdita ſunt cuius verba canenda tibi.
Obſecro frater amans noſtri memor eſſe memento,
  Frater certè animi portio magna mei.
Mens tua ſemper erat noſtros miſerata labores
  Noſtræ nota tibi, quod bene cauſa rei.
Quo mage res nota eſt, magis inde adhibeto dolorem.
  Sic medicus morbum dum videt, arte fugat.
Fumea præſentis pereunt, ſcis, gaudia mundi,
  Nunquam fraternus ſed perit almus amor.
Me modo pluris amas, quamquam me ſemper amaſſes,
  Ægrum aliis natum plus, pia mater amat.
Feſſis, opto libens, certa ſuccurrere rebus,
  Et fratrum mentes ſolliciraro pias.
Vnus ego quamuis ſim, non eſt vnius hæc res
  Quod factum eſt mihimet eſſe poteſt alij.
Eſt commune malum, communis cura petenda eſt.
  Quod noſtrum eſt hodie, cras erit alterius.
Hæc ni quis frater timeat contagia, demens,
  Ne illi, quæ nobis irrepat iſta lues.
Febre ſolet febris, ſeu vulnere creſcere vulnus,
  Sic multa ex vno fonte fluenta fluunt.
Hæc mea ſi placidam ſit plaga nacta medelam,
  Priſtinus & veniat morbo abeunte vigor,
Tale quid vlterius non pars inimica valebit
  Appetere, & ſcelus hoc non leue prorſus erit.
Seruus habet propriam, & mendax ancillula legem

Annus Chriſti. Opilio, piſtor, nauta, ſubulcus, arans;
Pro dolor amiſit hanc ſolus Epiſcopus ordo.

.·. .·. .·. .·. .·. .·.

Debuit & qui aliis legalia promere iura,
Officij perdit ius ſine iure ſui.
Culpa facit ſæuum confeſſa perire latronem,
Non eſt confeſſus præſul & ecce perit.
Cúmque ſuis egeant mundana negotia rebus,
Cauſa quibus iuſtum poſſit habere modum.
Noſtra ęguit iuſto rationis pondere cauſa,
Sæuitia excepta, nullum habet iſta modum.
Non ibi teſtis ineſt, iudex nec idoneus vllus,
Non aliquod crimen ipſe ego faſſus eram.
Eſto, forem faſſus? cuius cenſura valeret
Dedere iudicij congrua fræna mei?
Solius illud opus Romani præſulis extat,
Cuius ego accepi pallia ſacra manu.
Mittere chare tibi libuit mihi carmina quædam
Noſtra quibus luſit muſa iocoſa parum.

CAPVT III.

Epiſtola Modoini.

Reſpondens Theodulfo.

LVDERE nemo poteſt verſu ſine lege polito,
Nempe loqui rectè nec valet arte carens.
Sed prius accipiter nec tentat viuere in aruis,
Quam inſtructus, proprij hoc more parentis ag[e]
Vtiliter puer in primis non militat annis,
Digna ſed expertus præmia tiro capit.
Non audet intrare ratem nauta abſque paratu,
Tentans nauigeras Tiphis inermis aquas.
Arte rudis cùm ſim, ſic iam me poſſe negabo
Reſpondere tuis verſibus eximiis.
Vilis apud doctos namque eſt mea muſa poëtas,

Condere ob hoc nullum carmine nitor opus. *Annus Chriſti.*
Sed me cunctantem compellit epiſtola veſtra
Scribere diſparibus carmina iam numeris,
Et molli durum nunc ceræ inducere ferrum
Cogor, & inſueto texere verba modo.
Quin immo immodicus, dicendum eſt, rite libellus,
Attulit emiſſus quod mihi veſter opus.
Audiſti antiquos verbis ita ludere amicis,
Sæpe etiam didici hoc & ab ore tuo.
Muſarum quod inops norit non antra poëta,
Sed dici de me hoc quoque iure poteſt.
Nonnulli affirmant ſed & inſanire poëtas,
Carmina dum ſtatuunt mente carere ſua.
At nobis integra manet mens ipſa, nec audet
Longius amiſſo ordine abire ſuo.
Scandala ſed propter vitanda nec appetit alta,
Contenta eſt modico nam moderata loco.
Sic Theodulfe meos verſus aduerte benigne;
Nec ſint deſpecta carmina noſtra tibi.
Nolo venenato noſtra vnquam dente laceſſas,
Sed ſint iudicio carmina tuta tuo.
Si qua meis fortaſſe inerunt errata camænis,
Cernuus hæc æquis reſpice quæſo oculis.
Sæpe queror caſum deflendo inſontis amici,
More fluunt lacrimæ amnis ab ore meo.
Sæpe tuam ingeminans luxi flens ipſe ruinam,
Prô dolor amiſſo exul honore peris,
Exilium innocuus pateris pertriſte ſacerdos,
Inclitus expertus præſul anorme malum.
Nonnulli prodeſſe ſolet prudentia multa,
Læſus ab ingenio es tu pater alme tuo.
Præcipuè tua magna tibi ſapientia ſoli
Obfuit, & quod habes triſte parauit onus.
Liuor edax petit alta fremens conſternere tentans
Id quod ouans ſimplex pectore turba colit.
Pertulit an neſcis quod longos Naſo labores,
Inſons eſt factus exul ob inuidiam.

Annus Chriſti.

Ipſe Seuerinus magna eſt deiectus ab vrbe,
 Conſul Romana clarus ab arce procul.
Magnus ab infeſto eſt agitatus milite vates
 Virgilius, propriis expoliatus agris.
Vulnera ſæua ſuo fertur ſumpſiſſe tyranno,
 Seneca præcipuus cæde Neronis obit.
Quid memorem è noſtris plures ſudaſſe nefandum
 Pro noſtra exilium religione pios?
Qui magis à magno colitur pius ipſe magiſtro
 Ioannes durum pertulit exilium.
Hilarius ſenſiſti ergaſtula tu quoque dura,
 Miſſus in ignotum Rege iubente locum.
Clauiger ipſe Petrus iam, necnon & populorum
 Doctor erat Paulus carceris in gremio.
Sed tamen hoc egit feritas inculta repugnans
 Gentilis, fidei namque inimica piæ.
Adde etiam quod adhuc rudis Eccleſiaſticus ordo
 Informiſque ſua lege careret iners
Depoſita, iam pace frui, feritate, ſerena.
 Debuit & proprium iure tenere modum.
Culpa ſacerdotum fecit quod vilis habetur
 Ordo miniſterij maximus ille ſacri.
Inter eos effectus nullus fidus habetur,
 Commendat ſacro gratia quoſque loco.
Nemo gemit miſerans alienæ incommoda vitæ
 Pro fratris pulſans vtilitate ſui.
Vnuſquiſque ſtudet terreno incumbere lucro,
 Sectatur fragiles deliciosus opes.
Ex quorum me nolo putes numero tamen eſſe
 Qui fucata leui pectore verba ferunt.
Sed qui ceſſabo nunquam certare precando,
 Pro reditu veſtro, quique laboro libens.
Ergo ego ſolicito veteres tibi ſemper amicos,
 Próque tuis damnis ambitioſus ero.
Hæc te noſſe reor, quoniam cito ſpargitur orbe
 Fama celer toto, aulica dicta gerens.
Sis quod ab infeſta hac demum regione mouendus

Cæſaris ad nitidum limen iturus item.
Illius ante oculos venies, lætúmque videbis
Iamdudum vultum, qui tibi triſtis erat.
Commiſſum ſcelus omne tibi dimittere mauult,
Si peccaſſe tamen te memorare velis.
Nam prodeſſe tibi confeſſio pura valebit,
Si te voce probas criminis eſſe reum.
Si te diſſimulas de quo tibi crimine dicam
Scire, nota pro quo huc itur, ipſe feres.
Elige ſed quid agas, tibi & quodcumque videtur
Conſilium melius mente teneto precor.
Sed mihimet melius viſum eſt id ſpònte fateri;
Quódque negari vllo non valet ingenio.
Nullo alio ſuperare modo puto principis iram
Poſſe, probes niſi te criminis eſſe reum.
Promittit ſi te peccaſſe fateberis ipſe
Conſilium Cæſar dedere velle tibi.
Non tibi promittit redeat quod priſtina virtus,
Amiſſum vt poſſis rurſus adire gregem.
Neſcio frater amans mage quod tibi ſcribere poſſim,
Cùm ſint hæc tota non tibi nota minus.
Luce mihi magna tu ſolis carior extas,
Nil fateor quod amem te mage mundus habet.
Mathfridum crebris appellat Epiſtola dictis,
Lectáque ſunt veſtra verba frequenter ei.
Ille valet lapſis optatam adhibere medelam,
Nauifragóque pium ferre patrocinium.
Flebilis exhauſto reſonat vix carmine Muſa,
Dicere quid poſſit non habet illa magis.
Sed mandare aliquid dubitaret epiſtola veſtra
Mirabor veſtri cur mihi ſeruitij?
Nullum vnquã obſequium tibi namq; negem, mihi crede,
Sed quodcumque iubes ipſe libenter ago.
Idcirco hunc noſtrum Miſſum direximus ad te
Quæcumque vt mandes, ille mihi referet.
Quique procul dubio ſatis eſt vt credo fidelis,
Cuius ab ore mea currere verba vides.

Annus Chriſti.

Ipſe tibi quæcumque roges ſine fraude recenſens,
Abſque dolo noſtra cuncta vice expediet.
Imber habet liquidas quot guttas, flumina piſces,
Emittit frondes quot nemus omne virens.
Area grana ſolet quot habere æſtate, ſalutes
Tot tibi mitto pater. Semper vbique vale
Serue Dei ſummi, ſemper ſis, digne perenni
Tempore, quæſo mei frater amande memor.
Nunc in calce precor ſupplex nam carminis huius,
Vt veſtris precibus tutus vbique ferar.

Capvt IV.

Ex Flodoardo lib. II. *Hiſtor. cap.* 20.

Modoinus ab Ebbone Remenſi electus depoſitionis ſuæ arbiter.

Cuiuſmodi eſſent hi cõfeſſores, Ill.n. 97.

EGo Ebbo indignus Epiſcopus recognoſcens fragilitatem meam, & pondera peccatorum meorum teſtes confeſſores meos Aiulfum videlicet Archiepiſcopum, & Badaradum Epiſcopum, necnon & Modoinum Epiſcopum conſtitui mihi iudices delictorum meorum, & puram ipſis confeſſionem dedi quærens remedium pœnitendi, & ſalutem animæ meæ, vt recederem ab officio & miniſterio Pontificali; quo me recognoſco eſſe indignum, & alienum me reddens pro reatibus meis, in quibus peccaſſe ſecreto ipſis confeſſus ſum, eo ſcilicet modo vt ipſi ſint teſtes alij ſuccedendi & conſecrandi in loco meo, qui dignè præeſſe & prodeſſe poſſit Eccleſiæ, cui hactenus indignè præfui, & vt inde vltra nullam repetitionem, aut interpellationem autoritate canonica facere valeam manu propria mea ſubſcribens firmaui. Ebbo quondam Epiſcopus ſubſcripſi *Et infrà.*

Helias hæc quæ ſequuntur conſcripſit. Acta eſt hæc Ebbonis profeſſio, eiúſque propriæ manus ſubſcriptione roborata in conuentu Synodali generaliter habito apud Theo-

Theodonis villam anno Incarnationis Domini noſtri Ie- *Annus*
ſu Chriſti octingenteſimo triceſimo quinto, anno etiam *Chriſti.*
Imperij glorioſi Cæſaris Ludouici XXIII.

CAPVT V.

Ex Lupo Ferrarienſi Epiſtola 28.

Modoinus Aruernis Præpoſitus.

AQVITANIÆ tutela tripartito diuiſa, eſt ſecundùm opportunitatem locorum, militarium virorum mul- Qui annus
titudine diſtributa. Quarum vni parti, quæ apud Clarum- præfecturæ
montem agit, præeſt Modoinus Auguſtodunenſium Epi- Modoini Aruernicæ,
ſcopus, & Autbertus Auallenſium Comes, cum aliis qui- Ill.n. 98.
buſdam: alteri quæ Lemouicis verſatur Gerardus Princeps quondam & carus Pipini Regis cum ſociis ad idem negotium idoneis: tertiæ verò prælatus eſt Reindardus Comes Engoliſmæ conſtitutus. Dominum autem Regem eodem die hoc eſt IV. Iduum Auguſtarum ad S. Martinum 840.
venire nunciauerunt.

MAXIMINI ABBATIS XXII.

Rerum Annotatio.

Obſcura eſt omnino huius Maximini memoria, ſiue quia præfectura illi non adeo fuit diuturna, ſiue quia inter eas turbas quæ Ludouici Pij mortem exceperunt functo Modoino, cuius ab eo tempore nulla occurrit mentio, electus eſt à Monachis non adeo ſpectabilis.

M

Annus Christi.

BERNI SEV BERNARDI I. ABBATIS XXIII. ET EPISCOPI AVGVSTODVNENSIS.

Rerum geſtarum excerpta.

CAPVT I.

Ex Catalogo Abbatum Reomaenſium.

Quo tempore præfuerit.

846. BERNARDVS Auguſtodunenſis Epiſcopus præſidebat Reomaenſibus circa annum Domini octingenteſimum quadrageſimum ſextum.

CAPVT II.

Ex Epiſtola Guenilonis Senonenſis ad Amulum Lugdunenſem apud Lupum Ferrarienſem LXXXI.

A Carolo Caluo datur Epiſcopus Auguſtodunenſibus.

De Berni ſede, Illuſt. n.99. REVERENDISSIMO & Clariſſimo præſuli Amulo, Guenilo Epiſcopus, & Gerardus Comes plurimam Salutem.

Multa & magna iuſſu Domini noſtri Regis, ex eius parte familiariſſimè vobis mandata reuelaſſemus, ſi quod ipſe optauit, quod etiam ſuis vobis literis ſignificauit, nos quoque plurimum volumus, ad Auguſtodunenſem vrbem vacuum fuiſſet vobis expectationi noſtræ occurrere. Sed quod nuncij veſtri certiſſimas impoſſibilitatis veſtræ cauſas nobis prodiderunt, quæ copioſè, multiplicitérque dicenda vobis nobis commiſit ſenſuum veritate ſeruata co-

nati ſumus veſtræ ſapientiæ compendioſis literis aperire. *Annus*
Præcepit itaque vt eius vobis ſermonibus diceremus, ſe *Christi.*
fideliter tenere quod Rex Regum idémque ſacerdos ſacerdotum, qui ſolus potuit Eccleſiam regere quam redemit, poſtquam humanitatem ſuam in cœlum euexit, ſemper cum ſuis futurus diuinitate, poteſtatem ſuam ad eandem gubernandam Eccleſiam, in Sacerdotes diuiſit & Reges; vt quod ſancti docerent Pontifices & ipſi implerent, & impleri facerent deuotiſſimi Reges. Quamobrem ſe cupere debitam ſanctitati veſtræ impendere reuerentiam, ſicut ei quem ſciat diuinitatis cultum integrè velle ſeruare; atque viciſſim poſtulare, vt cum eo tale concordiæ fœdus ineatis, vt vbicumque Eccleſiaſticæ vtilitati in portione regni diuinitus ſibi collata veſtræ autoritatis diſpoſitione in re tanta cupit conſulere, vnanimitate veſtri conſenſus continuo adiuuetur.

Capvt III.

Ex eadem Epiſtola.

Bernus Caroli Calui propinquus & honoribus clarus.

ET ne vos longis ambagibus diutius fatigemus; recens incommodum Auguſtodunenſis Eccleſiæ, & prolixa perturbatio flexit eius pietatem, vt ſua largitate veſtráque promotione talem ei præficiat, qui ruinas illius & ſpiritualiter & ſæculariter ſtrenuè ſarcire ſufficiat. Eſt autem quem benignitati veſtræ plurimum commendat propinquus eius Bernus ab ætate memoriæ glorioſæ Imperatoris Ludouici tenerè educatus, & claris ornatus honoribus, quem & ipſe hoc ſuo tempore multis experimentis inuenit idoneum, & opitulante gratia Dei tanto negotio credit aptiſſimum. In hoc probatiſſimòrum eius conſiliariorum acquieſcit conſenſus; idque veſtræ prudentiæ Dominus noſter nobis iuſſit ſuggerere. Non eſſe nouitium aut

Annus Chriſti. temerarium quod ex Palatio, honorabilioribus maximè Eccleſiis, procuret Antiſtites. Nam Pipinus à quo per Maximum Carolum & religioſiſſimum Ludouicum Imperatorem duxit Rex noſter originem, expoſita neceſsitate huius regni Zachariæ Romano Papæ in Synodo, cui martyr Bonifacius interfuit, eius accepit conſenſum, vt acerbitati temporis induſtria ſibi probatiſsimorum, decedentibus Epiſcopis, mederetur, ne fortè ſimplicitate Pontificum poſſet contingere; quod in hac Eduorum vrbe; cuius nos nunc cura exercet, euenit. Proinde ſe petere vt honorem à Papa Romano maioribus eius & Regibus & Imperatoribus conceſſum, & à Lugdunenſis Eccleſiæ Metropolitanis, cui autore Deo præſidetis, nunquam hactenus infirmatum, à vobis nulla veſtra iniuria conſequatur. Quod ſi in hac parte ſpretus non fuerit, facturum ſe vt in Regno eius veſtrum miniſterium debitam ſemper venerationem obtineat, & optatum exitum ſortiatur.

CAPVT IV.

Ex eadem Epiſtola.

Pro Berni ordinatione Amulo ſupplicant Guenilo & Gerardus.

CVIVS petitioni noſtras nos ſupplices iungimus preces, vt quod tantis viris videtur optimum, vobis quoque complaceat, vt in obſequendo vobis non ſolùm nos, verùm etiam illos faciatis, quod optamus, cupidiſsimos debitores. Idque impetratum à veſtra fidiſsima nobis familiaritate volumus, vt quod vobis Deus inſpirauerit nobis quàm celerrimè literis oſtendatis, vt per nos citius Dominus noſter Rex, quod plurimùm cupit, beneuolam in ſe veſtram cognoſcens voluntatem dignas Deo referat gratias, & antequam neceſsitate regni longius abductus damnoſam Præſulis dilationem recipiat, vobis fidiſsimum adiutorem dirigat ordinandum.

Annus Chriſti.

LOTARII FILII CAROLI CALVI ABBATIS XXIV.

Rerum geſtarum excerpta.

CAPVT I.

Ex veteri Chronico à Pipino ad annum DCCCLXXXII.

Fit Clericus.

ANNO DCCLXI. Carolus Rex filium ſuum Lotarium claudum, in Monaſterio Sancti Ioannis Clericum fieri iubet.

CAPVT II.

Ex Catalogo Abbatum Reomaenſium.

Fit Abbas Reomaenſis.

LOTARIVS filius Caroli dicti Calui, filij Ludouici primi Imperatoris, & Francorum Regis Abbas.

CAPVT III.

Ex Erico Altiſiodorenſi in Prologo vitæ S. Germani ad Carolum Caluum.

Traditur educandus Monaſterio S. Germani.

DIVÆ memoriæ Lotarium tuæ maieſtatis filium annis puerum, mente philoſophum, ingenuè confiteor animi indole, & ſolertiæ opibus, vt tibi vni concedat, præ cæteris ſui æui mortalibus extitiſſe pretioſum. Is quòd tuæ

Annus Christi.

Lotarius non Monachus, ſed Clericus fiduciario nomine Abbas, Illuſt. n. 100.

diſpoſitione, & Deo deuotus, & beato Germano ad eãducdum fuerat commendatus, tantum deuotionis in Sanctum, tantum ardoris in locum conceperat, vt vitam illius mors liuida nobis meritò inuidiſſe putetur. Cúmque eſſet diuini puer ingenij, atque erga rerum notitiam ſummè ſtudioſus, contigit eum in vna dierum libri cuiuſdam abdita perſcrutantem geminas Epiſtolas offendiſſe. In altera earum ſanctiſſimus Aulnarius ſextus poſt Beatum Germanum Autiſiodori Epiſcopus Stephanum Africanum preſbyterum, vt vitam eiuſdem ſanctiſſimi Patris noſtri Germani metrica ratione digereret precibus ambiebat; in altera, idem Stephanus præfato ſe pariturum Pontifici ex reſcripto ſignificabat.

Capvt IV.

Ex eodem Prologo.

Fuit etiam Abbas S. Germani Autiſiodorenſis.

His ſolicita lectione decurſis, tandémque relatu aſſiſtentium huiuſmodi opus penes nos nunquam & nuſquam paruiſſe comperiens multa animoſitate correptus, quod tantum opus fruſtra hominum notitiæ deperiſſet, per dies aliquot internis animi angoribus carpebatur, tandémque me, qui tum recens ſcholis emerſeram conuocato, dolorem aperit inteſtinum, vtque ei ſiqua poſſem ratione mederer importunius conteſtatur. Scilicet vt quod elaboratum quondam in præfatis Epiſtolis legerat iterarem, actúſque Germani præcellentiſſimos à proſa in metrum deſiderio illius ſatisfacturus transfunderem. Expaui fateor negotium, & ſupra vires eſſe reputans quod imponebatur, quoad potui colla ſubduxi. Obiectu tandem Regularis Capituli adductus, quod etiam impoſſibilia præcepta Abbatis minimè refugienda præſcribit, ſuſcepi quidem, vt par erat, iubentis imperium, quamquam nulla virium conſcientia, verùm vt inſtitutio præmouet Regularis

de charitate confidens, & de adiutorio obediens. Vix primas operis partes attigeram, &, heu miſera humanæ conditio ſortis, Abbas ille meus, propediem futurus in orbe terrarum mirabilis teneros excedens artus intempeſtiua ſæculum morte deſeruit. *Annus Chriſti.*

Capvt V.

Ex eodem in inuocatione Dei.

Lotario dedicat vitam ſancti Germani verſu ſcriptam Ericus.

Præsentes operas tui indigentes
Componas petimus fauénſque voto,
Et ſenſus cumules, & ora ſoluas,
Vt mutis liquidæ fluant loquelæ
Largiri ſolitus, nec impotenter.
Germano titulum parare laudis
Vrget materies, amor coartat
In te, mirificus puer Lotari,
Cui fas non fuerit negare quidquam
Non os, non animum, nec illa certè
Quæ ſunt officiis amica pulcris.

Lotarius annos prope vicenos vixit, Illuſt, n. c. 3.

Capvt VI.

Ex Chronico à Pipino ad annum DCCCLXXXII.

Mors Lotarij.

Anno DCCCLXV. Carolus dimiſſis cuſtodibus contra Normannos Siluanectos reuertitur Natiuitatis Dominicæ ſolemnia celebraturus, vbi ei Lotarius filius ſuus & Abbas Monaſterij S. Germani mortuus nunciatur. 865.

Annus Chriſti.

Capvt VII.

Ex Adone Viennenſi ætate ſexta.

Mater & fratres Lotarij qui fuerint.

Carolvs Caluus ex Regina Hermentrude quatuor filios ſuſcepit Ludouicum, Carolum Carlomanum & Lotarium. Ex his Deo in Clericali habitu duos obtulit Carlomanum & Lotarium. Sed Lotarius puer bonæ indolis im̄natura morte præreptus eſt. Carolus quoque ſatis honeſtæ formæ iuuenis, Rex Aquitanis iam conſtitutus aduerſa primum moleſtatus & dehoneſtatus iniuria moritur. Anno igitur Incarnationis Dominicæ dccclxv. regnante eodem Carolo Ludouici filio duo filij illius, vt dictum eſt, moriuntur Lotarius Abbas, & Carolus Rex Aquitaniæ.

HINCMARI ABBATIS XXV. et Episcopi Lavdvnensis,

Rerum geſtarum excerpta.

Capvt I.

Ex Flodoardo lib. III. *Hiſtor. Remenſis, cap.* XXI.

Primordia ætatis & Epiſcopatus Hincmari.

Ad mentis eius oculos reuocans (alter Hincmarus eius patruus Remenſis Epiſcopus) qualiter illum orphanum dulci dilectione ſub religione nutrierit, literis erudierit, per ſingulos gradus Eccleſiaſticos vſque ad Epiſcopatus apicem prouexerit, nunc, inquit, retribuentem mihi mala pro bonis & odio me habentem gratis, quoniam

non fauco tuis infructuoſis operibus, quandiu te patiar multis à te afflictus iniuriis. Etenim ab ipſa die tuæ ordinationis tam verbis, quàm ſcriptis, & inordinatis actibus, ac motibus tuis frequentibus adeo ſum grauatus lacerationibus atque contuſionibus, vt tædeat me vitæ meæ, quia ſic pro loci mei officio tuæ inſolentiæ ſum connexus, vt non ſolùm poſt primam & ſecundam correptionem iuxta Apoſtolum, verùm nec poſt plurimas priuatim & coram communibus familiaribus noſtris; ſed & coram Rege & Epiſcopis, ac plurimis aliis verbis, & ſcriptis commonitiones te valeam deuitare. *Annus Chriſti.*

Capvt II.

Ex Epiſtola Hincmari patrui.

Obtinet à Carolo Caluo Præfecturam Reomaenſem.

STATIM vt à paternæ nido educationis factus Epiſcopus euolaſti, & me & eos qui te nutrierunt deſeruiſti, & ſæculares amicitias, atque familiaritates quæſiſti & acquiſiſti, & ſic ſubinde alios, & alios deferens, & acquirens non ſolùm de comparibus, ſed etiam & de tibi commiſſis, ad hoc emerſiſti, vt contra ſacras Antiochenas regulas præcipientes, vt præter me agere nihil debeas, ſecundum antiquam patribus noſtris regulam conſtitutam, niſi ea tantùm quæ ad tuam parochiam pertinent poſſeſſionéſque ſubiectas; ſine mea, vel coepiſcoporum noſtrorum conſcientia Adminiſtrationem in Palatio Domni Regis obtinueris. Quam Adminiſtratiónem tibi coram eodem Domno Rege, & aliis qui adfuerunt ex ſacris regulis interdixi, & aliquandiu ab Adminiſtratione ceſſaſti. Poſtea autem per exteras, id eſt ſæculares poteſtates contra Sardicenſes canones eandem Adminiſtrationem cum Abbatia in tertia prouincia vltra Remenſem prouinciam, ſine mea conſcientia obtinuiſti. Ad quam Abbatiam, ſine mea

Quæ adminiſtrationes Epiſcopis & Clericis vetitæ, Illuſt. n. 102.

Annus Chriſti.

Quomodo peccarit contra Canones Sardicenſes Hincmarus, Illuſt. n.103.

licentia quoties tibi placuit perrexiſti, & quandiu tibi placuit, ibidem fuiſti immoratus, contra Hilari Papæ decreta dicentis. Illud non potuimus præterire quod ſolicitudine diligentiore curandum eſt, ne præter Metropolitanorum ſuorum literas aliqui Epiſcopi ad quamlibet prouinciam audeant proficiſci.

Capvt III.

Ex Catalogo Abbatum Reomaenſium.

Quo anno Abbas fuerit Reomaenſis.

867. Hincmarvs Lugdunenſis Epiſcopus præſidebat Monaſterio Reomaenſi anno Domini octingenteſimo ſexageſimo ſeptimo.

Capvt IV.

Ex Epiſtola Hincmari patrui.

Priuatur Abbatia Reomaenſi à Carolo Caluo.

circa 868.

Quando & cur deiectus præfectura Hincmarus, Illuſt. n.104

Post hæc more tuæ inſtabilitatis, ac inconſtantiæ contra Dominum Regem in tantum te ſine ratione contumaciter erexiſti, vt & Adminiſtrationem Palatinam, & ipſam Abbatiam tibi auferret, & à te exaggeratus duriora ingerenda tibi proponeret. Vnde & ſcriptis & verbis pro te ſatagens illum tibi reconciliaui. Indéque ſicut ſciunt plurimi contra illum te iterum erexiſti, & mandata ſua, vt ad eum venires contemnens adeo illum ad iracundiam prouocaſti, ſicut omnes in iſtis regionibus ſciunt, vt coactus te per fideles ſuos ſicut infidelem appeteret. Tu autem, ante inauditam excommunicationem, in meos & multorum Archiepiſcoporum & Epiſcoporum parochianos; ſed & in ipſum Regem ſine mea conſcientia contra ſacras regulas iaculaſti. Vnde multos ſcandalizaſti; & ma-

ximum ſcandalum non ſolùm Eccleſiæ, ſed & Regi & regno intuliſti. *Annus Chriſti.*

Capvt V.

Ex eadem Epiſtola.

Variis modis Regem & alios offendit.

SEd tu addens peiora prioribus ſic Dominum Regem, ſicut mihi longum eſt enarrare, & multi ſciunt iterum exaggeraſti, vt cauſa tuæ caſtigationis te ſine mea voluntate, ſinéque meo conſenſu aliquantulum detineri iuberet. Tu verò cauſa tuæ iniuriæ me inconſulto, & ſine conſenſu coepiſcoporum Remenſis prouinciæ, ſicut petitio à Clericis Laudunenſis Eccleſiæ mihi porrecta demonſtrat, preſbyteros & comminiſtros Eccleſiæ tibi commiſſæ excommunicaſti, vt nemo in eadem parochia Miſſarum officia celebraret, neminem paruulorum etiam in mortis cogentis periculo conſtitutum baptizaret, nullum ad pœnitentiam quiſquam ſuſciperet, nec etiam obeunti communione viatici muneris ſubueniret, nulli defuncto in ſcpeliendo humanitatis obſequium exhiberet. *Et infrà.* A Domno Rege es impetitus, quoniam iuramenta illi à te ſupra ſacra præſcripta non obſeruaſti, ſed & quia res ſuæ proprietatis contra leges diuinas & humanas inuaſiſti. Et à Normanno in Synodo accuſatus, quoniam cum de rebus tua conceſſione, atque conſenſione à Domno Carolo ſibi beneficiatis ſine autoritate regia armata militari manu, & turba vulgi collecta cum gladiis & fuſtibus, primùm quidem vxorem ſuam, quæ ibi ſine vllo erat, & poſtea illum ipſum contra leges, & regulas repuliſti, & omnia ſua, quæ ibi habuit abſtuliſti, ſed & à tuis hominibus accuſatus, quia contra leges diuinas, & mundanas eis ſua beneficia abſtuliſti.

Annus Chriſti.

CAPVT VI.

Ex Reclamatione Hincmari ad Ioannem VIII. *Papam in Synodo Trecaſsina.*

Deponitur apud Duziacum, truditur in carcerem, excæcatur.

871. A Remorum Archiepiſcopo ad Synodum ſum vocatus ad Duziacum villam, quam conſtituit hebdomada prima menſis Auguſti, & monuit me de certis cauſis paratum eſſe ibidem vt reſponderem. Ad quam cùm feſtinaſſem violentia hoſtili in medio itinere ſegregatus ſum, ab ouibus meis, priuatus ſum, & ſpoliatus omnibus rebus meis, perductus ſum ab eiſdem hoſtibus vſque ad præfatam villam. In qua cùm conſiſterem, iam ſtabat Rex Carolus ante ipſum Archiepiſcopum tenens in manu ſcripturam, reputans me eſſe periurum, quia Romam ſine ſua voluntate miſerim, & imputans quòd eum accuſauerim. Ad quæ idem Archiepiſcopus me reſpondere iuſſit. *Et infrà.* Et ego reclamaui quia non docebat Canonica autoritas nudatum, & ſuis rebus ſpoliatum, inſuper & ab hoſtibus detentum reſpondere vllatenus debere. Sed addidi quia non ſolùm ſuſpectum, ſed manifeſtiſſimè illum infeſtum habebam; vnde & Apoſtolicam ſedem appellaui pro amore Dei & honore S. Petri, tam de ipſa accuſatione Regis, quàm de præiudicio quod ab ipſo patiebar Archiepiſcopo. Legi manibus tenens autóritates Iulij Papæ & Felicis Papæ; videlicet ea quæ ipſi in eis præfigunt de appellationibus Epiſcoporum, quæ mihi ſeruari appellando ſedem Apoſtolicam proſtrato corpore expetij. Sed nihil horum mea petitio obtinuit. Sed neque literæ Apoſtolicæ, quas mihi præſentialiter dederat, quoniam me vocabant, vt procraſtinando venire non differrem, ſi ſtatus mei iacturam ſuſtinere non vellem, quidquam præualuerunt. Iudicium præfatus Archiepiſcopus ſuper me impoſuit, vt ab Epiſco-

pali remouendus eſſem officio. Sed alij gemebant flebánt- *Annus*
que, inter quos nullum merebar pati inimicum. Scripta *Chriſti.*
quidem ab eodem Archiepiſcopo ipſis impoſita manibus tenentes, ſed ore proferre nolentes, inuiti vix verba ſingultiebant, aditum tamen ad ſedem Apoſtolicam minimè ſperantes mihi poſſe denegari; vnde ſaluo per omnia ſedis Apoſtolicæ iudicio ipſi finem lectionis terminauere. Poſthæc tranſmiſſus ſum in exilium, in quo per duos annos ſanus, ſed aliquanto tempore ferro vinctus cuſtoditus ſum. Duobus annis fermè peractis inſuper cæcatus ſum.

Quis exitus Hincmari Laudunenſis, Illuſt. n. 105.

Capvt VII.

Ex Epiſtola Adriani II. Papæ.

Vetat Adrianus alium ſubſtitui Hincmaro, antequam cauſam eius Romæ recognoſceretur.

GRAVE mentibus veſtris videri non debet in præſentia ſedis Apoſtolicæ, vt illius retractetur iudicium, quia veritas exagitata ſæpius magis ſplendeſcit in lucem, & pernicies reuocata in iudicium grauius, & ſine pœnitentia condemnatur. Nam fructus diuinus eſt iuſtitiam ſæpius recenſeri, nullúmque bonum eſt quod non pulcrius eluceſcat, ſi plurimorum fuerit ſententia comprobatum, vnde quouſque cauſa illius, ſicut prætulimus, fuerit iterum refricata, atque finita, alter Epiſcopus in ipſa Laudunenſi Eccleſia nullatenus ordinetur.

Capvt VIII.

Ex Epiſtola Ioannis VIII. Papæ ad Hincmarum Remenſem.

Ioannes poteſtatem facit alium Hincmaro Epiſcopum ſubrogandi.

QVAMVIS de ſanctitatis tuæ iudicio nihil dubitaſſemus, quia tamen cariſſimus filius noſter Carolus in-

Annus Chriſti. uictiſſimus Imperator à nobis diligentiſſimè percunctatus, circumſtantiam iudicij à beatitudine tua, Coepiſcopiſque tuis in Hincmarum dudum Laudunenſem Epiſcopum prolati Apoſtolatui noſtro retulit, agnouimus iuſtum fuiſſe omnino iudicium. Neque enim tantus Princeps niſi veritate fultum quidpiam potuit affirmare. Vnde nefas
876. eſſe duximus eius relationi non præbere incunctanter auditum. Noli ergo iam nunc Eccleſiam Laudunenſem viduatam, & ſine regimine paſtorali dimittere, ſed indifferenter & de Laudunenſis Eccleſiæ Clero virum idoneum, & in quo omnium vota conſentiant eidem Eccleſiæ præfice prorſus Epiſcopum. Cui electioni volumus etiam Miſſum prælati piiſſimi Imperatoris intereſſe; vt ſine ſæcularium ſtrepitu omni latere, talis eligatur, qui aptus ſacris Canonibus eſſe modis omnibus approbetur.

Capvt IX.

Ex Aimoino lib. 5. cap. 37.

Hincmaro facultas ſacra faciendi, & pars redituum Laudunenſium redditur.

Dixit Papa Ioannes, vt Hedenulfus ſua autoritate ordinatus Epiſcopus ſedem ſuam teneret, & Epiſcopale miniſterium gereret, & Hincmarus cæcus ſi vellet Miſſam cantaret, & partem de rebus Epiſcopij Laudunenſis haberet. Et cùm Hedenulfus apud eundem Papam peteret, vt eum ab illa ſede abſolueret, dicens ſe eſſe infirmum, & velle intrare Monaſterium, obtinere non potuit, ſed præceptum eſt illi ab eo conſentiente Rege, atque Epiſcopis Hincmari fautoribus, vt ſedem ſuam teneret, & Epiſcopale miniſterium ageret. Qui fautores Hincmari audientes, quòd Papa Ioannes dixerit, vt ſi vellet,
878. Hincmarus cæcus Miſſam cantaret, & Rex conſenſerit vt partem de Epiſcopio Laudunenſi haberet, inſperate aliarum prouinciarum Epiſcopi; ſed & aliarum regionum me-

tropolitani ſiue præceptione Papæ Hincmarum veſtimentis ſacerdotalibus indutum in præſentiam ipſius Papæ adduxerunt, indéque ſublatum cantantes in Eccleſiam illum duxerunt, & ſignum benedictionis ſuper populum dare fecerunt. *Annus Chriſti.*

CAPVT X.

Ex Flodoardo lib. 3. cap. 24.

Mors Hincmari anno DCCCLXXXI. vel ſequente.

HVGONI Abbati (ſcribit) pro electione Nouiomenſis Epiſcopi, poſt deceſſum Ragenelmi, petens vt 881.
hortetur Reges Ludouicum, & Carlomannum, quatenus voluntatem Dei, & anteceſſorum ſuorum conſuetudinem in hac cauſa conſeruent. Notificat etiam illi obitum Hincmari nepotis ſui Laudunenſis Epiſcopi rogans, vt pro eius animæ remedio per ſubiectos ac familiares ſuos Domini miſericordiam deprecari ſatagat.

CARLOMANNI ABBATIS XXVI. qui fuit etiam filius Caroli Calui.

Rerum geſtarum excerpta.

CAPVT I.

Ex Chronico Reginonis.

Clericus & Diaconus creatur.

CARLOMANNVS cùm adhuc eſſet puerulus iuſſu patris attonſus Clericus effectus eſt. Deinde proce-

Annus Christi. dentè tempore ad Diaconatus officium, quamuis inuitus, atque coactus in præſentia genitoris ordinatus eſt, legitque publicè Euangelium, & Pontifici Miſſam celebranti iuxta morem miniſtrauit.

Capvt II.

Ex Catalogo Abbatum Reomaenſium.

Donatur Abbatia Reomaenſi.

899. CARLOMANNVS Caroli Calui filius Abbas Reomenſis.

Capvt III.

Ex Aimoino lib. 5. cap. 24.

Hac & aliis Abbatiis in Synodo Attiniacenſi priuatur.

870. CARLOMANNVS Regis Caroli filius, & plurimorum Monaſteriorum Abba, reputatus quoniam inſidias erga patrem ſuum infideliter moliretur, Abbatiis priuatus in ciuitatem Siluanectenſem eſt cuſtodiæ mancipatus.

De Carlomanni Clericatu & præfectura, III. 106.

Capvt IV.

Ex eodem lib. 5. cap. 26.

Carcere emiſſus Pontificis interuentu, fugit & regnum vaſtat.

DEPRECANTIBVS Legatis Adriani Papæ, & quibuſdam fidelibus ſuis Carlomannum filium ſuum à cuſtodia ex Siluanectenſi ciuitate abſoluit, & ſecum manere præcepit. *Et infrà.* Carlomannus nocte à patre fugiens in Belgicam prouinciam venit, & congregans ſecum plurimos

rimos ſatellites, ac filios Belial, tantam crudelitatem & deuaſtationem ſecundum operationem ſathanæ exercuit, vt credi non poſſit, niſi ab ipſis qui eandem depopulationem viderunt atque ſuſtinuerunt. *Annus Chriſti.*

Capvt V.

Ex Chronico Reginonis.

Fit Apoſtata à Clericatu.

Post hæc per Apoſtaſiam recedens ab Eccleſiaſtica religione, abiiciens, atque ſpernens negligenter gratiam, quæ ei data erat per impoſitionem manus, alter Iulianus efficitur. Collecta quippe prædonum non modica turba Eccleſias Dei cepit deuaſtare, ea quæ pacis ſunt impugnare, cuncta diripere, inaudita mala perpetrare.

Capvt VI.

Ex Aimoino lib. 5. cap. 26.

Carlomanni Satellites plectuntur, ipſe regni propellitur finibus.

Carolvs autem iudicium quærens de talibus, qui ſuum filium ſcilicet Diaconum, & Eccleſiæ ſanctæ miniſtrum à ſe Domino traditum, furati fuerunt, & tanta ac talia flagitia, atque facinora, & depopulationes in regno ſuo fecerunt, poſt iudicium mortis omnia quæ illorum erant infiſcari præcepit, & ordinatis ſcaris, qui eundem Carlomannum cum ſuis complicibus à regno propellerent, iudicium Epiſcopale de illis expetiit, & quoniam Apoſtolus præcepit cum eiuſmodi nec cibum ſumere, eoſdem Epiſcopi in quorum parochiis tanta mala commiſerunt ſecundum ſacros canones priuarunt communione; ſicut in Epiſtolis continetur; quas inde iuxta ſacras regu- *Quis exitus rerum Carlomanni, Ill. n. 107.* 871.

Annus Chriſti. las ad alios Epiſcopos tranſmiſerunt. De Carlomanno autem, quia diœceſeos Senonenſis erat Diaconus, & poſt præſtita per duas vices ſacramenta periurus erat, ſicut pater eius publica annunciatione omnibus, qui adfuerunt intimare curauit, & tantam rebellionem, & infidelitatem contra illum, & tanta flagitia in regno ſuo commiſerat, iudicium Epiſcoporum illius prouinciæ expetendum decreuit.

CAPVT VII.

Ex Epiſtola 23. Adriani II. Papæ.

Carlomannum ad ſe appellantem propugnat apud Patrem Adrianus.

INTER cætera exceſſuum tuorum, quibus aliena vſurpando inuaſiſſe crederis, illud quoque nihilominus obijcitur, quod etiam beſtiarum feritatem excedens, contra propria viſcera, id eſt contra Carlomannum genitũ tuum, ſæuire minimè verearis, ita vt more ſtruthionis, quod ex libro beati Iob diſcimus, obduraueris ad filium tuum, quaſi non ſit tuus; eum videlicet non ſolùm paterna gratia, & beneficiis priuans, verùm etiam regni finibus éliminans, atque quod impium eſt, vt excommunicationi ſubmittatur affectans. Verùm quia idem Carlomannus ſedem Apoſtolicam legatis ſuis, tanquam quibuſdam pedum ſuorum paſſibus adiit, & per proprias literas nos appellat, quin potiùs interpellat; primo quidem ab huiuſcemodi conatum tuum intentu autoritate Apoſtolica refrænamus; deinde verò ne aduerſus Apoſtolum ad iracundiam prouoces, filium tuum ſalubriter exhortamur. Atque ideo & gratiam ei tuam, ſicut conuenit, redde, & illum vt reuera proprium filium paternis affectibus ſuſcipe, necnon & priſtinis beneficiis, ac honoribus reſtituere ſatage, donec ſaltem Apoſtolatus noſtri Miſſi ad te veniant, & ſaluo debito vtriuſque veſtrûm honore, quidquid de illo ſalubrius

inuentum fuerit competenti executione, ac diſpenſatione ordinetur ac diſponatur. Data 3. Idus Iulij Indict. 14. *Annus Chriſti.*

CAPVT VIII.

Ex Epiſtola 24. eiuſdem.

Proceres Caroli à bello contra Carlomannum intentata excommunicatione deterret.

AVDITVI noſtro ſonuit quod Carolus Rex, etiam belluarum furorem tranſcendens contra propria viſcera, id eſt contra Carlomannum filium ſuum, ſæuierit, hunc videlicet non modò paterna gratia, & beneficiis priuans, verùm etiam regni ſui metis eliminans, quin etiam conetur aduerſus illum exercitum congregare, & vos omnes aduerſus eum totis niſibus deſtinare. *Et infrà.* Ea quæ pacis ſunt inter genitorem, & genitum ſi poteſtis conſtituite; porro ſi non poteſtis ſaltem bellis cedite, prælia diſſipate. Alioquin quiſquis veſtrûm contra Carlomannum caſtra mouerit, arma ſuſtulerit, vel læſionis exercitia pręparauerit, ac per id vt effundatur, fidelium ſanguis conſtruxerit, non ſolùm excommunicationis nexibus innodabitur, verùm etiam vinculis anathematis in gehenna cum diabolo deputabitur. Optamus vos in Chriſto bene valere. Data 3. Idus Iulij Indict. IV.

CAPVT IX.

Ex Epiſtola 25. eiuſdem.

Epiſcopis vetat ne Carlomanno excommunicationem intentent.

QVIA Carlomannus nos Miſſis ſuis, quaſi quorundam pedum ſuorum greſſibus adiit, & per ſyllabas proprias Apoſtolicam ſedem appellat, quin potiùs inter-

Annus Chriſti. pellat, decernimus nullam vos in eum excommunicationis iaculaturos omnino ſententiam, quouſque videlicet nos, qui ſacerdotum Domini matura volumus eſſe iudicia, vniuerſa quæ geſta ſunt veraciter agnoſcamus. Alioquin inualidam Apoſtolicæ pondere autoritatis futuram, contráque reuerentiam veſtram potiùs non immeritò ſæuituram. Satius autem & ſine dubitatione præſtantius eſt ne Carolus proprium filium ſpernat, ne domeſticos ſeminis ſui deſpiciat, ne iura propinquitatis ſolito more corrumpat, ne pacis & charitatis fœdera violet, ne caduca manſuris anteferat, ne temporalia æternis præponat. Præterea præfatus Carlomannus inſontem quidem ſe circa patrem multipliciter aſſerit. Verùm vt nos non aſtruendo, ſed ratiocinando quæ animaduertimus fateamur. Quid mirum ſi Carolus præcepta Dei præfixos metis ſuis terminos transferendo, aliena inuadendo contemnens, ex ſuis reperit, qui eius voluntatibus contrairet, & de lumbis ſuis procederet, qui ipſius nutibus reſultaret. Data eadem die & Indictione,

CAPVT X.

Ex Flodoardo Hiſtor. Remenſis, lib. 3. cap. 25.

Hincmarus Remenſis pacem inter Carolum & Carlomannum ſtatuere ſatagit.

HINCMARVS Engelranno, Goſlino, & Adelelmo, Comitibus ſcribit, mittens eis cum literis ſuis literarum Regis exemplar, in quibus continebatur, vt Epiſcopos conuocaret, & laicos fideles Regis ad prohibendum, vel reſiſtendum Carlomanno diacono Regis filio, qui inſurrexerat contra patrem ſuum, in quibus literis quærens quid eis ſuper hoc Regis ſit agendum præcepto, deſignat Carlomannum non eſſe ſuæ prouinciæ, vt pote qui ſit ordinatus ab Hildegario Meldenſi Epiſcopo. Et ſecundum canones non poſſit aliquid diſponere de illo. Epiſcopos

quoque de alia prouincia conuocandi poteſtatem non habeat; ſed neque ſuffraganeos ſuæ ſedis tunc tempus habeatur conuocandi, cùm dies inſtet Natalis Domini, & licèt Epiſcopi conueniant, & Carlomanno ſuas parochias interdicant, non ſibi videtur, vt pro eo quod cepit dimittat, ſi alia poteſtas illi non contradicat. Conſiderandum verò monet rationabiliter, quid iuxta mandatum regis ſuper hac re ſit agendum, ne malum maius accreſcat, ſignificans qualiter conueniendum, & alios eis ſit conuocandum, dánſque conſilium, vt idem Carlomannus aduerſum ſe non prouocet Deum, & patrem ſuum, Epiſcopos quoque regni huius & populum ad iracundiam contra ſe, ne & in animo & in corpore tam ipſe, quàm illi qui eum ſequuti fuerint pereant. Ipſe verò Præſul, & hi Comites mittant ad Regem, vt eũm faciant prout melius potuerint placabilem. *Annus Chriſti.*

Capvt XI.

Ex eodem lib. 3. Hiſtoriæ cap. 18.

Hincmarus colloquium init cum Carlomanno de pace.

Qvando filius ſuus Carlomannus Clericus aduerſus eum conſurrexit, & ipſe Rex ad Viennam contra Gerardum Comitem, qui à ſe defecerat, profectus erat, huic Præſuli noſtro literas ſuas miſit mandans, vt conuocaret Epiſcopos regni ac laicos ipſi fideles; vt Epiſcopi ſecundum miniſterium ſuum prohiberent Carlomanno ne aliquod damnum in hoc regno faceret; & laici reſiſterent illi, ne hoc facere poſſet. Qua de re Engilranno, Goſlino, & Adelelmo, Comitibus ſcripſit quærens ab eis, immò conſilium dans, quid ſuper hac re foret illis agendum. Literas quoque deprecatorias Regi, iam pro eodem Carlomanno direxerat, & pro pace inter ipſum, & patrem eius laborabat. Multa tamen mala, & deprædationes ab ipſo,

Annus Chriſti. eiúſque complicibus patiebatur. Accedens autem cum aliis fidelibus Regis ad ipſius Carlomanni colloquium obſides ei dedit, & accepit ab eo, vt pax fieret in regno, & homines ipſius Carlomanni pacificè in regno conſiſterent, & idem Carlomannus in villis ſancti Medardi cum paucis pacificè maneret, donec Miſſi Regis venirent, & Carlomannus cum fidelibus Regis ad patrem ſuum pergeret, & placitum cum eo faceret, vt ſanus rediret ad ſuos. Suſceptis autem Miſſis Regis miſit literas ad Carlomannum, vt veniret ad eius colloquium auditurus ibi quid Rex mandaret. Vbi etiam fideles Regis conuocauit, vbi quod de pace ſtabilire poſſent agere certarent, quod tunc quidem factum eſt.

CAPVT XII.

Ex Aimoino lib. 5. cap. 29.

Carlomanno diaconatus abrogatur.

873. EPISCOPOS apud Siluanectenſem ciuitatem, in qua idem Carlomannus morabatur, conuocauit, vt ſecundum ſacros canones, à quibus nulla, vt dicit Leo, aut negligentia, aut præſumptione licet eis diſcedere Epiſcopale miniſterium de illo exequerentur. Quod ſane ipſi fecerunt, deponentes eum ſecundum ſacras regulas ab omni gradu Eccleſiaſtico, laica ſibi communione ſeruata.

CAPVT XIII.

Ex eodem ibidem.

Orbatur oculis.

COMPLICES illius poſt depoſitionem eius ardentiùs ſe ceperunt iterum coniungere, & alios in ſocietatem ſuam etiam de aliis regnis, quos volebant adducere, quatenus, vbi primum locum inuenire poſſent, illum è cuſtodia in qua ſeruabatur, donec videretur ſi ſe à malis ſuis

conuertere vellet, educerent, & ſibi Regem conſtitue- *Annus*
rent. Quapropter neceſſe fuit, etiam de quibus ab Epiſco- *Chriſti.*
pis iudicatus non fuerat in medium deuocare, & ſecundum ſacrarum legum decreta pro admiſſis ſuis iudicio mortis addictum mitiori ſententia, vt locum & ſpatium pœnitendi haberet, & grauiora admittendi locus & ſpatium, ſicut meditabatur, non daretur luminibus acclamatione cunctorum, qui adfuerunt orbari.

Capvt XIV.

Ex Chronico Reginonis.

Fugit ad Patruum Ludouicum Regem Germaniæ.

CVm crebro à patre correptus fuiſſet, nec tamen vllatenus cepta prauitas ceſſaret, nouiſſimè ex præcepto patris ei oculi eruuntur, vt ſuprà meminimus. Iuſto Dei iudicio lucem exteriorem amittens, qui interiorem qui Chriſtus eſt, à ſuo pectore effugauerat, in tenebras exteriores miſſus, qui interioribus ſua ſponte ſe tradiderat. Orbatus, Ludouicum auunculum ſuum adiit, miſeriarum, & calamitatum ſuarum ærumnas apud eum lugubriter deplorans. Ille miſeratione motus Epternacum Monaſterium S. Vilibrordi ei ad ſubſidium vitæ præſentis conceſſit, vbi non multo pòſt tempore mortuus eſt & ſepultus.

VVLPONIS ABBATIS XXVII.

Rerum Annotatio.

NOn res tantùm geſtæ Vulponis obliuionis tenebris ſunt obſcuratæ, ſed initia etiam ac finis præfecturæ. Nemo enim ſatis diſtinctè tradidit, an Carlomanno ſucceſſum fuerit eo præcisè anno quo præfectura eſt deiectus, an eo quò oculos perdidit, an eo quo viuere deſiit. Quamquam non ſit admodum veriſimile ſuffectum quemquam

Annus Christi. in eius locum quamdiu Adrianus ſecundus ſuperſtes fuit, qui pro eius in priſtina beneficia reſtitutione tam animosè decertauit. Cùm igitur Adrianus non deſierit eſſe ante annum DCCCLXXII. fieri poteſt vt non ſit antea Carlomanno ſucceſſum.

VVLFARDI SEV VVLFRIDI ABB. XXVIII.

Rerum Annotatio.

VVLFRIDVS aut Vulfardus præfuit ſimul Flauigniacenſi Monaſterio, in cuius monumentis duo obſeruantur de illo. Alterum fratrem fuiſſe Adelaidis poſterioris coniugis Ludouici Balbi, ex qua ſuſtulit poſtumum
878. filium Carolum Simplicem. Alterum eo præſidente conſecratam fuiſſe Flauigniacenſem Eccleſiam à Ioanne Octauo Pontifice Romano anno Chriſti DCCCLXXVIII. Ita obſeruauit Claudius Robertus vir eruditus & diligens in Flauigniaco ſuo.

INGEBRANNI ABBATIS XXIX.

Rerum Annotatio.

956. RES geſtæ Ingebranni penitus exciderunt, tempus tantum præfecturæ ipſius retinuit Catalogus Reomaenſium Abbatum, annum DCCCCLVI. Itaque inter hoc illius tempus, & id quo Vulfridus præerat anni interceſſere ſex & octoginta, quibus quis geſſerit præfecturam nuſquam eſt notatum, vt magnopere videatur ſimile vero veniſſe Monaſterium, vt tunc moris ferè fuit, in manus Laicorum. Nam obſeruatum eſt ab Aimoino lib. 5. cap. 36. Iam ab anno DCCCLXXVI. Ludouicum Balbum viam ſibi paraſſe ad regnum paternum retinendum per conceſſionem Abbatiarum. Et eo fato functo Boſo regnum Burgundiæ ambiens anno DCCCLXXIX. conuenit cum Theodorico Auguſtodunenſi Comite, vt ſibi comitatu cederet, inque

inque eius vicem Abbatiis, quas Boſo in illis partibus poſſidebat, potiretur, vt ibidem cap. 39. ſcribitur. Haud diu poſtea habuit Burgundia Duces Hugonem magnum, & Robertum, & alterum Hugonem magnum, qui coniugati & plurium in regno dignitatum compotes, tamen titulis ſuis addebant Abbatis nomen, pluréſque ſimul Abbatias, ac fortè etiam Burgundicas poſſidebant. Cæterùm incidit in huius Ingebranni, vel ſucceſſoris tempora priuilegium Acchardi Lingonenſis Epiſcopi, quo donauit Reomaenſibus Eccleſiam de Scolis, vt refert Guillencus in alio priuilegio infra recitando. *Annus Chriſti.*

AVRELIANI ABBATIS XXX.

Rerum Annotatio.

CENSETVR Aurelianus in Catalogo poſt Ingebrannum nulla rerum geſtarum, aut temporis nota. Videri tamen poteſt & hic, & ille fuiſſe monachus, & iuxta canones à Monachis electus, cùm iam Laici diſſipatis per incuriam Monaſteriorum facultatibus ea retinere, aut inuadere negligerent Sic enim Aimoinus aut eius Cōtinuator memorat lib. 5. cap. 45. Hugonem Ducem Franciæ, qui poſtea Rex fuit, paſſum eſſe Gualonem Abbatem dari Monaſterio S. Germani Pariſienſi quod poſſidebat; cùm iam, vt inquit, prope ad nihilum redactum eſſet.

S. MAIOLI ABBATIS XXXI.

Rerum geſtarum excerpta.

CAPVT I.

Ex veteri Autore Anonymo.

Eius ortus & infantia Auenione.

BEATVS Maiolus regione, quæ Prouincia nuncupatur oriundus, oppidanorum Auennicorum alumnus,

Annus Christi.

De natali ſolo ſancti Maioli, Illuſt. n. 108.

Gallicana generoſitate conſpicuus, patre Fulcherio procreatus, nobilis parentelæ germen eluxit nobilius. Hunc parentes literarum ſtudiis in ipſis infantiæ rudimentis extemplo deſtinauerunt, mentémque pueruli tenerrimam talibus negotiis occupari decreuerunt. Docili quóque puero diuina non defuit gratia, qui ſyllabarum elementis vix adhuc informatus vltra ætatem literas combibebat, & quodam ſapientiæ fulgore inſignitus prænitebat, & præclaris morum ornamentis iam florebat. Non enim ætatulæ illius leuitatem ſectabatur, ſed Domino Deo duce, qui ſibi eum iam peculiauerat, honeſtatis grauitate dotabatur, & mirandis virtutum præſagiis ditabatur. Verborum obſcœnitates deuitabat, & vt magis ſtupeas quidquid honeſtum auribus hauriebat, pectoris armariolo commendabat. His nimirum gazis animi ſui theſaurum cumulabat, infantulus, à ſe duntaxat remotis iocoſitatibus, & ineptiis. Integritatem quoque corporis in eo Dominus ita conſeruauit, vt nulla carnalis ſpurcitiæ macula fuſcatus liliorum floribus candidior Chriſto ſuo complacuerit ſuper niuem dealbatus, ipſis magiſtris ſuis moralitatis honorificentia præeminebat. Qua de re coætaneis ſuis, immo & prouectioribus admirabilis habebatur. Extollebant igitur eum magnis præſagiis, atque ipſum olim cooptandum diuinabant præcelſis magiſteriis.

Capvt II.

Ex eodem.

Canonicus & Archidiaconus Matiſcone creatur.

Quis Sarracenorum incurſus, Illuſt. n 109.

IN illis ferme diebus, vtriſque ſuis parentibus mortis articulo præuentis, regionéque ipſa gentili debacchatione paulò antè deuaſtata (gens enim Sarracenorum ſuis finibus exiliens Prouinciam crudeliter præoccupauerat) bonæ indolis adoleſcens fundis paternis relictis, Burgundiam ingreſſus Matiſconenſem applicuit vrbem, vbi à quodam

ſuo propinquo, qui inter ciuitatis proceres honorabilis habebatur hoſpitio receptus, atque vrbis Epiſcopo commendatus in maiori Eccleſia, nec mora, Canonicus eſt ſublimatus. Epiſcopus etiam ſuper eum affectu paterno inuigilans ipſum aliquoties de corporis caſtitate conſeruanda commonebat, & ne quibuſlibet modis carnis ſuæ nitorem obnubilaret, frequentibus alloquiis precabatur. Bonus ager bonum ſemen lætabundus accipiebat, & mandantis mandata fidelis auditor ruminando in ſe traiiciebat. Talibus igitur irrigationibus terra puerilis pectoris compluta fructificabat, & columbinus adoleſcens ad meliora ſe ſemper erigebat. Caſtitatis igitur afflatus amore nociuas lenocinantium coætaneorum aſpernabatur confabulationes, & non ſuſpectis ſemper adhærebat perſonis. Contubernales etiam ſuos volebat maturos eſſe, & eos rogabat pudicè viuere. Peritorum ſermonibus inhiabat, cordiſque gazophylacium magiſtrorum ſententiis adimplebat. Vnde factum eſt, vt literarum diſcendarum deſiderio inſtigatus audita cuiuſdam Antonij opinione, qui magnæ deditus Piloſophiæ Lugdunenſes regebat ſcholas, illuc greſſum dirigeret, formáque diſcipuli aſſumpta præſidentis magiſterio ſe deuotus committeret. Vbi verò liberalibus diſciplinis aliquatenus eſt imbutus, Matiſconem reuerſus eſt, & in eadem Eccleſia pro virtutum ſuarum, quibus totus redundabat odore Diaconatus ordine, & Archidiaconatus gradu nolens, & adiuratus exaltatus eſt.

Annus Chriſti.

De Lugdunenſibus ſcholis, Illuſt. n. 110.

Capvt III.

Ex Vincentio Bellouacenſi, lib. 26. ſpeculi Hiſt. cap. 67.

Monachus ſubinde & Abbas Cluniaci factus eſt.

Hvivs Aymardi tempore beatus Maiolus Matiſcenſis Archidiaconus, à nobilibus parentibus ab infantia nobiliter enutritus, ſpiritalibus literis imbutus, & virgini-

Annus Christi.

tatis titulo decoratus ad amorem & obſeruantiam monaſtici ordinis eſt conuerſus, & ſexto vt ferunt anno ſuæ conuerſionis è ſæculo ab ipſo Aymardo Abbate, iam tota corporis valetudine deſtituto, & oculorum lumine priuato habito fratrum conſilio in locum Abbatis licèt multùm renitens eſt ſubrogatus. Erat autem inceſſu grauis, voce ſublimis, ore facundus, vultu Angelicus, in omni motu, vel actu corporis honeſtus. Erat fide firmus, ſpe certus, gemina charitate refertus, ſapientia clarus, fortitudine robuſtus. Erat ei honeſtas in actione; ſobrietas in conſuetudine, humilitas in proſperitate, patientia in aduerſitate. Manſuetis erat affabilis, ſuperbis terribilis, parcus cùm debuit, diffuſus vt decuit. Non diuerſus in habitu, non confuſus in actu, quantum ad hominem vnus ſemper & idem. Deuotus imitator Sanctorum, & intentus auditor eorum. Ita placere ſtuduit hominibus, vt Deo non diſpliceret. Quàm perſpicuè autem huius eiúſque diſcipulorum exiſtat in benedictione memoria, reſpondeant Monaſteria ab ipſis alia à fundamentis conſtructa, alia de corruptione cum incremento virtutum ad meliorem ſtatum redacta. Multi quoque fidelium, vt teſtatur fideliſſima relatio, diuerſis infirmitatibus conſtricti, etiam de vita deſperantes ab eo viſitati per gratiam Dei ſanati ſunt. Multi oculorum caligine deterſa per meritum eius clarius videre ceperunt. Multi vt ferunt à veneno ſerpentum, à morſibus luporum & canum, ab incurſione & illuſione dæmonum per Dominicæ crucis vexillum dextera eius manu impreſſum receperunt ſalutare remedium. Multi quoque in periculis fluminum, ab ictibus fulgurum, & cæteris incommodis per eum ſunt liberati.

Quandiu præfuerit Maiolus Cluniacenſibus & Reomaenſibus, Illuſt n. 111.

Capvt IV.

Ex S. Petro Damiani, lib. 2. Epiſtola 17.

De S. Maioli humilitate.

Aymardvs eiuſdem rector Eccleſiæ Maiolum ſibimet ſubſtituit, & grandæuæ iam ſenectuti ſuæ quietis

otium procurauit. Hic itaque dum priuatus in infirmorum maneret ædicula quadam adueſperaſcente die caſeum petiit, quem cellerarius pluribus, vt fieri ſolet, intentus non modò non dedit, ſed & duris inſuper miniſtrum eius reſponſionibus fregit. Conqueſtus eſt Abbatum turbam, nec poſſe ſe tot dominorum perferre moleſtiam. Quo ſenex audito non mediocre ſcandalum pertulit, & quia lumen oculorum prorſus amiſerat dolor, in eius corde tenacius hæſit. Nam quo cæcus à viſibus vacat, eo quidquid audierit in corde ſubtilius verſat, & quia per exteriora quæque non ſpargitur, interiori zeli ſtimulo truculentius inflammatur. Mane verò facto miniſtro ſuo, vt ſeſe ad manum in capitulum duceret iuſſit. Adductus autem talibus Abbatem aggreſſus eſt verbis. Frater, inquit, Maiole, non ego te ſuper me, vt perſequereris impoſui, nec vt tanquam emptor mancipio dominareris, ſed vt reuera patri filius compatereris elegi, & poſt eiuſmodi multa propemodum commotus adiecit. Eſne quæſo meus monachus? quo reſpondente, ſum, tuúmque me non magis fuiſſe, quam & nunc eſſe profiteor. Et ille, Si meus, inquit, es monachus, protinus cede ſedi, & locum quem antè noueras repete. Quo Maiolus audito repente ſurrexit humilem locum, prout iuſſus fuerat expetiuit. Aymardus itaque, quaſi poſtliminio reuerſus, vacantem occupat ſedem, Cellerarium, cui fuerat infenſus accuſat, quem mox terræ proſtratum durius corripit, tandémque modum pœnitentiæ, qui ſibi videbatur iniungit. Perfunctus itaque tam longi tribunatus officio præſto dethroniſatus aſſiſtit. Maiolo, vt ad ſuam ſedem redeat, præcipit. Ille confeſtim nihil cunctatus obedit.

Annus Chriſti.

Caput V.

Ex Glabro Rodulpho, lib. 1. Hiſtor. cap. 4.

De captiuitate eius inter Sarracenos.

OTTONIS Imperij tempore egreſſi audacter Sarraceni ab Africanis partibus occupauere tutiora Al-

Annus Chriſti.

pium montium loca, ibique aliquandiu morantes vaſtando regionem in gyro diuerſo raptu tempus expleuerunt. Contigit ergo eodem tempore, vt beatus pater Maiolus ab Italia rediens in altiſſimis Alpium eiſdem Sarracenis obuiaret. Qui arripientes abduxerunt illum cum ſuis omnibus ad remotiora montis, ipſo tamen patre grauiter in manu vulnerato, dum in ea excepiſſet vltro ictum iaculi ſuper vnum de ſuis venientis. Diſpertitis quoque inter ſe omnibus quæ illius fuerant, interrogauerunt eum ſi tantæ ei eſſent in patria facultates rerum, quibus videlicet ſe ſuóſque valeret redimere de manibus eorum. Tunc vir Dei vt erat totius affabilitatis dignitate præcipuus reſpondit, ſe in hoc mundo nihil proprium poſſidere, nec peculiaris rei ſe fieri poſſeſſorem velle, ſua tamen ditione non negans plures teneri, qui amplorum fundorum, & pecuniarum domini haberentur. Quibus auditis ipſimet hortabantur illum, vt vnum è ſuis mitteret, qui ſuæ ſuorúmque redemptionis pretium illis deferret, inſuper pecuniæ pondus, atque numerum ei determinantes indixerunt. Fiunt enim mille librarum argenti, vt videlicet ſingulis libra vna in partem proueniret. Miſit quoque vir ſingularis per vnum de ſuis ad Monaſterium ſcilicet, cui præerat Cluniacenſe perparuam Epiſtolã, ita ſe habentem. Dominis & fratribus Cluniacenſibus, frater Maiolus miſer & captus. Torrentes Belial circumdederunt me, præoccupauerunt me laquei mortis. Per hunc verò ſi placet pro me & iis, qui mecum ſunt capti redemptionem mittite. Quæ vt delata eſt videlicet prædicti Monaſterij fratribus, extitit illis pro vita incomparabilis mœror, ac luctus, necnon & totius patriæ pertriſtis nuncius. Diſtracta quoque ab eis, quæcumque in omni eiuſdem Monaſterio ornamentorum erat, ſuppellectili, præſtitutum pij patris quantocius coadunauere pretium.

Capvt VI.

Ex Auctore Anonymo.

De eius ætate prouecti ſtudiis & ſolitudine.

AEtate prouectus ſicut ſolitis membrorum viribus deſtituebatur, ſic animi virtutibus ſemper inualeſcebat, & de die in diem in Dei ſeruitio indefeſſus proficiebat. Non enim, vt ſenum plerique ſolent, propter ætatis imbecillitatem in aliquibus remiſsè agebat, neque corpori obluctanti vnquam ſatisfaciebat. Vigebat animus omnino irreuerberatus, vigebat armis ſanctitatis munitus miles inuictiſſimus. Tanquam nullas huc vſque ſuo corpuſculo indixiſſet pœnas, ieiunia, vigilias, orationes peculiares ſibi aſſumebat, quæ omnia charitatis iucunditate condiebat. Eleemoſynam potiſſimum diligebat, qui manum vacuam nulli pauperum porrigebat, in omni religionis officioſitáte miles recens erat, nec in aliquo à perfectioribus ſanctis diſcrepabat. *Et infrà.* Biennio antè, obitum ſuum præſciuit, vocationémque ſuam non incertis indiciis appropînquare intellexit. Decreuit ergo in ſe de cætero non ad publicum procedere, niſi neceſſitas ineuitabilis coegiſſet, neque ab incepto labore vel aliquatenus torpere. Perſiſtebat autem in Dei famulatu, vel in ipſo Monaſterio ſuo, vt fratribus viam ſinceritatis verbis, & exemplis oſtenderet, vel in cellis ipſi cœnobio contiguis, quatenus alternatim vel orationi, vel lectioni vacaret. *Et mox.* Sic multum exegit tempus à muniis, temporalibus incentiuis cedere neſcius, florebat cigneum Abbatis caput ſenectutis maturæ albicantibus floribus, & tamen valebat grandæuum corpus illibatis omnino ſenſibus. Neque ſiquidem oculorum eius caligauit acies, nec aurium cauernoſæ obſurduerunt camerulæ, nec memoria defecit, nec ſenſus vigor igneus in eo refrixit. Sicut enim vixerat carne incorruptus, ſic perſtitit omnibus ſenſibus vſque ad diem vltimam inuiola-

Annus Chriſti. tus. Fatiſcentis igitur corpuſculi defectum non ſentiebat, quem ſpes lucri ſpecialis quotidie animabat, & armabat.

Capvt VII.

Ex S. Odilone in vita Maioli.

De celebritate & morte eius.

HIs & eiuſcemodi virtutibus clarus Deo & hominibus extiit carus. Multi Catholici & honorabiles clerici, religioſi monachi, & reuerendi Abbates venerabantur illum, vt ſanctiſſimum patrem. Sancti & ſapientes Epiſcopi tractabant illum, vt cariſſimum fratrem. Ab Imperatoribus, Imperatricibus, Regibus, & mundi Principibus Senior appellabatur & Dominus. Honorabatur à Pontificibus Apoſtolicæ ſedis, & verè erat eo tempore princeps religionis monaſticæ. *Et infrà.* Hugo Rex Francorum quoties illum vidit humili deuotione ſuſcepit, & cum magno honore tractauit. Tempore verò ſuæ vocationis ad ſe venire rogauit ea intentione, vt Monaſterium S. Dionyſij eius conſilio, & adiutorio meliùs quàm tunc erat ordinari poſſet. Ille ſciens dictum à Domino. *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* Et illud Apoſtoli præceptum. *Deum timete, Regem honorificate,* ad illud negotium peragendum gaudens iter ſuſcepit, vſque ad locum Siluiniacum peruenit, vbi ſe Deo vocante plenus dierum, & ſanctitate ex hac vita abiit, v. Idus Maij illuceſcente feria ſexta poſt celebrationem ipſius ſacratiſſimæ ſolemnitatis, qua Chriſtus Ieſus Dominus noſter ſubacto mortis principe ad dexteram patris aſcendit, & fideli ſuo Maiolo aſcendendi poſt ſe iter oſtendit. Poſt cuius tranſitum ſupradictus Rex Hugo aduentus ſui præſentia, & regalibus donis exequias eius honorauit, & tumulum, vbi præſtante Domino multa patrata ſunt, & patrantur miracula, & plurimis plurima præſtita ſunt, & præſtantur beneficia. Quorum numeroſitatem & magnitudinem non ſufficit per ordinem omnium noſtrorum enarrare memoria.

Matth. 22. v.21.

1.P.2.v.17.

992.

YVIL-

VVILLELMI I. ABBATIS XXXII.

Rerum geſtarum

LIBER I.

Auctore Glabro Rodulpho.

Ex Codice Ms. Diuionenſi.

Epiſtola ad Monachos.

DVLCEDINE ſancti Spiritus præditis Patribus venerandis, ac diligendis fratribus vbique Eccleſiæ Dei vniuerſalis documentis in charitatiua ſpe feruientibus, Monachorum infimus Rodulfus tantillam obeditionis exhibitionem. *Autor huius operis Glaber Rodulfus, Illuſt. m 11*

Placere vnanimitati veſtræ non diffidimus, ſi de vita vel conuerſatione veſtri omnium dilectoris domini videlicet ſacerdotis, atque Abbatis Vuillelmi, prout diuina pietas largiri dignata fuerit, poſteris mandare ſtuduerimus. Plura ſiquidem à nobis viſa, pluriora tamen à veraciſſimis relatoribus comperta, huius narrationis informabunt ſeriem. Idcirco communem fidelium virtutigenam obſecramus caritatem, ne ſimplex contemptui habeatur ſermo, neve pro vili caniſtro puræ reſpuatur ſimilaginis offa, cuius ſi prudenti manu exercitaretur materia, omnem valeret excludere inopiam, & ſoſpitatem conferre perennem.

CAPVT I.

Genus & ortus Vuillelmi.

VIR igitur religioſus Domnus Vuillelmus, quem pius Dominus Eccleſiæ ſuæ filiis paſtorem, ac iuris ſuæ

Annus Chriſti. De genere paterno Vuillelmi, Ill.n.113.

legis propagatorem conſtituit, natione quidem Italus, auus tamen eius, Vibo nomine, militari induſtria clarus gente Sueuus fuit. Qui ſcilicet ob inimicitiarum vltionem natiuam relinquens prouinciam perrexit habitaturus Italiam, ibique copiosè locupletatus opum gratia feliciter deguit. Hic ergo extitit genitor Roberti, qui accipiens ſibi vxorem ex Longobardorum nobilioribus, nomine Perinzam, fœcundam prole filiorum, genuit etiam præ cunctis optabilem Vuillelmum. Contigit namque ſub ipſo tempore illius natiuitatis Berengario Longobardorum Rege defuncto, vt Otto Imperatorum maximus hoſtili manu omnem ſibi ſubiugandam peteret Italiam. Qui comperiens prædicti Berengarij vxorem in quoddam caſtrum, ſitum in lacu vrbis Noueriæ, feciſſe confugium, atque cum ea viros, quorum conſpiratio rebellis foret eidem Imperatori, ad eos illico diuertens cinxit illud ferocis obſidione exercitus. Erat enim prædictus Robertus in eodem caſtro cum propria vxore, & liberis, cui etiam quique illorum cum ſua Domina curam atque tutelam commiſerant ſui, cúmque diutius ab vtriſque partibus acerrimè decertatum fuiſſet, cernens Imperator differri ſibi victoriam, tentat largitionibus munerum clam inflectere ſuorum hoſtium ſigniferum. Nam ſpopondit ei cum maximis donis, etiam apud ſublimitatem ſuam celſitudinis locum, ſi ſuos deſerens illius parti faueret. Ille verò minimè acquieuit, vt pote miles adiuratus, reſpondens ſibi optabiliorem fore proprij interitum corporis quam ſacramentis aſſertæ fidei deſertorem haberi. Poſt aliquot verò dies habito inuicem pacis conſilio in deditionem gratis deuenere Imperatoris. Tunc quoque iſdem Robertus, vt erat vir prudens, ac ſtrenuus, ſuggeſſit Imperatori, vt filium, quem ei vxor ſua intra ipſius obſidionem caſtri pepererat, catechumenum fieri per manum imperialem præciperet, quod ille libentiſſimè annuens, vt monitus fuerat impleri mandauit, ac propria puerum ſuſtulit dextera, eique nomen indixit Vuillelmum, quem ſcilicet poſtmodum Regina coniunx illius ex ſacro fonte ſuſcepit baptiſmatis. Erat ergo vt diximus eiuſ-

De genere eius materno, n. 114.

Vbi lacus Nouariæ, n. 115.

962.

Quomodo Vuillelmus factus Catechumenus manu Imperiali, n. 116.

dem genitrix non ſolùm proſapia nobilis, ſed etiam morum honeſtate præcipua. Hæc ſiquidem referre erat ſolita de eodem puero huiuſmodi verba. Videbam me, inquit, nocte quadam Dalmatica veſte indutam, ſtatimque ſolis radius illuſtrabat mihi mammillam dexteram, dehinc verò apparuerunt quidam vultus gerentes Angelicos, ipſique filium meum mihi abſtrahentes altius efferebant claritate nimia circumfuſum. Ego quoque hæc intuens pauore perterrita nihil aliud, quod dicerem reperiebam, niſi tantùm. Sancta Mater Dei Saluatoris tibi committo cuſtodi illum. Alia quoque perplura optimi præſagij, quæ nos faſtidium vitantes reticemus, conſpiciebantur in illo. Nam & habitudo tenerrimæ ætatis, ita diſſimilis videbatur cæterorum, vt nimium admirabilis haberetur. *Annus Chriſti.*

CAPVT II.

Monaſtica Vuillelmi rudimenta.

PROPTEREA vterque parens vno conſenſu, & voluntate cum ſuorum omnium fauorabili hortatu Chriſto Domino vouerunt illum in eius domo aſsiduè ſeruiturum. Duxerunt autem illum, cum eſſet ferè ſeptennis, ad Monaſterium Sanctæ Mariæ, ſanctique Archangeli Michaelis in honorem ſacratum nomine Luciacum, in quo etiam veneranda habentur oſſa beati Martyris Ianuarij, ibique iuxta morem normæ regularis eum ipſius loci Abbati obtulerunt. Qui ſatis deuotè illum ſuſcipiens ſacræ monachilis religionis etiam veſte induit. Hic nempe tradidit ei primos literarum apices, atque huiuſce cuſtodiæ addidit præceptorem, cuius animum ſtupor inuaſit nimius, quoniam velocitas ſenſus ſibi commiſsi pueri ad tantam proficiebat indaginem, vt vniuerſa priorum conſcholaſticorum ſtudia in breui tranſcenderet ſpatio. Proinde in admiratione non modica, iam tunc tam Abbati quàm fratribus cæteris habebatur. Præterea in vicino Monaſterio quædam anus, cuius erat maritus, iam ſenior congruum habe-

Voto parentum ante factus monachus. p. 117.

Annus Christi. bat domicilium, ad quod prædictus puer familiaris curæ prouidentia per dies ducebatur, in quo etiam aliquoties quietis noctium gratia ſuſcipiebatur. Cùm igitur prædicta anus eum aliquando diligentia fouendi in ſinu proprio brachiis complexa fuiſſet, mammæ quæ laxis pendebant, ac rugoſis pellibus ſubitò turgentes lac fudere vberrimè. At illa vt erat piæ mentis, ac Deum timens religioſis quibuſque ſagaciter intimare curauit, quoniam iſdem qui videbatur puer excellentioris vitæ, ac dignitatis gratia eſſet augmentandus.

Capvt III.

Tum aliis tum parenti ſalutarem operam præbet.

IN proceſſu namque temporis, cùm adoleuiſſet, ac iam in Dei timore obedienter ſeruire ſtuduiſſet, non defuere inuidentiæ ſtimuli, quibus etiam ſæpius agitatus conſtanter tulit illorum probra, in quorum profectum toto conamine laborauerat. Nam olim in Vercellenſi vrbe primitus, poſtmodum verò apud Ticinium ſub tuta cuſtodia regulas artis Grammaticæ pleniter didicerat. Conſtituitur etiã diuini officij aſſiduus cuſtos ac Scholæ Capitalis illius loci. Et felici virtutum incremento, Deo fauente, proficienti commiſſa eſt ei ſecretarij cura, atque adminiſtratio, necnon etiam totius ſupellectilis ſanctuarij, & domi foriſque conſiliorum diffinitio. Cœpit interim cogitare qualiter ſuum genitorem à fluctiuaga iſtius ſæculi cura ſubtraheret, ac quod illi vitæ ſupererat, ſecum in Monaſterio pro æterna requie laborando conſumeret. Nam mater illius iam in pace obierat. Tunc nempe ſuaſit ei vt mente tractauerat, & ille ſtatim dilecto obediuit filio, immo Deo qui ei talem præſtitit. Sicque ſatis accuratè cum plurimis donorum exeniis duxit illum ad Monaſterium, vbi deuotiſſimè à cunctis ſuſceptus in ſanctæ conuerſationis habitu, & ipſe deuotè viuens, non multò pòſt, præſente filio, optimo fine vitam compleuit.

Quæ dignitas Capitalis Scholæ, III. n. 118.

CAPVT IV.

Dum conſecratur Diaconus fidelitatem Epiſcopo iuramento polliceri recuſat.

INTEREA petebatur promoueri ad Diaconatus officium, qui reuera ita obſequens extiterat inferiorum præceptionibus graduum, vt etiam ipſis ſacerdotibus imitabile fieret exemplum ad iter arripiendum tutum. Sed prædictum Monaſterium in Vercellenſis vrbis Epiſcopo ſitum eiuſdem Epiſcopi ditioni ſubiacebat. Inoleuerat autem malè arreptæ conſuetudinis vſus, vt nullus fratrum loci illius Leuitici ordinis gradum priùs ſuſciperet, quàm ſeſe aſſertione iurandi promitteret ſeruaturum fidelitatem Epiſcopo. Hoc quoque dum ſuggeſtum fuiſſet Vuillelmo, vt iuxta illorum morem facêret, vt erat eleganter affabilis, reſpondens dixit, ſe non poſſe ſalubriter perpendere, vt pro iis quæ Dei Imperio gratis præſtari deberent, eorum miniſtro alicuius ſeruandæ fidei aſſertionem vllo modo exhiberet. Quin potiùs inquit terribilem húiuſmodi aſſentatoribus Saluatoris ſententiam imminere. Atque eiuſmodi reſponſo prolato, quod omnino hortati erant, facere diſtulit. Illico nempe oppido ab huiuſcemodi ſuaſoribus detráctionum corroſionibus laceſſitur, ab ipſo Præſule redarguitur, ac veluti contumax ſui iuris habetur. Ille verò talia pro nihilo ducens, ac magis, magiſque in Dei ſe cultum aſtringens, itavt pænè ipſi ſoli omnis cura, ac ſolicitudo pſallendi, legendi, horáſque pulſandi die, noctúque loci illius incumberet.

Cur fidelitatem Epiſcopo ſe conſecrāri iurare noluerit, u. 119.

CAPVT V.

Equum ex immaui præcipitio ſaluum recipit.

ERAT enim caſtiſſimæ mentis, ac corporis paratus ad omne bonum, ac meditabatur frequenter, ſi fortè

Annus Chriſti. quempiam reperire locum valeret, ad quem tranſiens deuotius præceptis regularibus inſeruire poſſet. Iam enim inibi feruor diſciplinæ regularis admodum tepuerat. Proinde accepta quondam licentia, orationis ac viſitationis gratia ad Monaſterium beati Archangeli Michaëlis, quod ſitum conſtat in altiſſimis iugis Alpium pergebat. Qui dum ad montis radices deueniſſet, atque, vt eſt, iter arduum aſcendendi ad Monaſterium iam penè ſuperaret, ipſius equus, quem poſt ſe habena dexteræ iniecta trahebat, ab anguſto tramite pede luendo paulūlum deuians excuſſa habena, quantum eſt illud immane præcipitium totus ruit. Quod cernens vir Deo deuotus mente quidem exterritus, vultu tamen ſereno perrexit ad Eccleſiam, orationi incubuit, ibique diutius, ac ſi nihil aduerſi contigiſſet, orauit. Deinde verò exiens miſit famulum, ſi fortè de equo aliter, quàm ſperare poterant contigiſſet, vt ei renuntiaret. Qui egreſſus reperit eum in loco vbi præceps ruerat, ſtantem incolumem, ita vt nulla omnino læſura in eo videretur, ſed neque in locis, aut ligno ſedilis aliqua attritio appareret, & quidem cùm milliaria duo, & eo amplius à loco vnde ruinam ceperat, vſque in vallem vbi ſubſtiterat computentur. Receptóque, qui miſſus fuerat equo ei, qui amiſit reduxit. At ipſe gratias omnipotenti Deo referens alacer ad Monaſterium rediit. Quæ res geſta plurimis admirationem præbuit, atque indicium ſanctitatis.

CAPVT VI.

Cluniacum deducitur à ſancto Maiolo.

AVDIERAT iam fama multiplici perſonante Monaſterium eſſe cognomento Cluniacum in partibus Burgundiæ, cuius ſanctitatis ordo, ac diſtrictio regularis, matérque virtutum diſcretio præ cunctis incomparabiliter viguerant ab initio. Ad quod etiam ire, illud inuiſere toto mentis flagrabat deſiderio. Contigit quoque dum hoc meditaretur agere, vt ſanctiſſimus Abba prædicti loci Ma-

iolus ſacra Eccleſiarum loca ex more viſitans ad cœnobium Luciacum diuerteret. Quod cernens famulus Chriſti Vuillelmus, intelligénſque ſuum à Deo deſiderium compleri decretum, ſecretius acceſſit ad Dei virum, eique ſui pectoris patefecit arcanum. At ille nimium alacriter ſpopondit ei iuuamen optabile ad omne, quod in diuini operis cultu decreuerat exercere, de hinc Romam pergens perinde rediturus, vt ſecum ad diu optatum locum illum deduceret. Interim verò Vuillelmus deliberat prudenter de omnibus, quæ ad ſe pertinere videbantur; ac ſi in procinctu miles expeditus, ne fortè ad fidei certamen ei properaturo res diu licenter vſæ, aut neceſſitas parentum, aut ſpecioſitas carnalium fratrum, ſeu vici, ac latifundia, atque caſtella eorum, quæ perpluta erant, aut ſaltem pietas natiui ſoli, vel generalis amor cunctorum obſiſterent. Sed vt ab his omnibus liber atque exoneratus viam mandatorum Dei provt diſpoſuerat currere valeret, totum ſe diuinæ commiſit prouidentiæ. Regrediente igitur Roma viro Dei Maiolo, memor vterque propriæ ſponſionis fuit, ſuſcepitque ille Vuillelmum in ſpiritualem Chriſti filiationem & duxit illum ad locorum ſanctiſſimum Cluniacum. Ad quod cùm veniſſet miſit ante ſe ex ſuis vnum denuntians fratribus, vt obuiam ei ex more ornati procederent, quoniam excepturi erant quendam ſecum aduenientem, cui honor diuinitus debebatur. Exceptus denique eſt, vt ſanctus mandauerat, ſolemni apparatu. Promouit autem eum honorificè cum conſilio fratrum, quippe qui vna ſenſere in illo vitæ meritum. Nam & iſdem vir Dei Maiolus peculiare frequenter cum eodem Vuillelmo de iis, quæ veræ ſalutis ſunt exercebat colloquium.

De exceptione Abbatum peregre redeuntium, n. 120.

CAPVT VII.

Differt ſacerdotium, & Monaſterio S. Saturnini datur informator.

IAMQVE expleto in eodem loco plus minus anno cunctis admirabilis, venerabiliſque, necnon honeſtioribus imitabilis habebatur. Tunc namque ſpiritalis pater iudicauit eum ſacérdotio fungi digniſſimum, iam enim ſacratus fuerat Leuitico miniſterio: at ille humiliter pauendóque ſe ſubtrahens dixit ſe omnino non eſſe dignum tractare tanti myſterij ſacramentum. Sanctus quoque nolens placorem animi eius turbare conſenſit, vt voluit. Interea venit quidam frater Præpoſitus Cœnobij S. Martyris Saturnini, quod eſt ſuper Rodanum, precaturus Sanctum virum Maiolum, quatenus ei aliquem è ſuis commodaret, qui eum cum fratribus ſibi commiſſis ad ſalutis viam agnoſcendam inſtituere valeret. At vir miſericordiæ gemina conſideratione proſpiciens vnius videlicet iuuamen, alterius quoque obeditionis probationem Domnum ei protinus commiſit Vuillelmum. Qui omnino nihil dubitans, aut renitens perrexit humiliter ad patris Imperium obſequuturus ei, qui ad hoc venerat vtilitatis animæ gratia. Habebat enim præfatus vir plures fratres ſecum ſimul degentes. Vna tamen voluntas omnium, par conſenſus ſimilis operatio, modus orandi, ac pſallendi, atque edendi, & totus horum habitus caritatis gratia vniformis Vuillelmo reuera, vt ipſis conuenerat, præceptore, Cluniacenſi ex more. Enimvero quidquid illorum erat peculij communis in Eccleſia eremus eſſe videbatur. Atque iſdem poſtquam ad potiora Vuillelmus ſublimatus fuiſſet referre erat ſolitus nuſquam ſe locum optabiliorem reperiſſe ad eam, quam obtinere deliberauerat pauperiem, vel extremitatem ſanctitatis.

CA-

CAPVT VIII.

Præficitur Monaſterio S. Benigni Diuionenſi.

MEMORABILI igitur Patri Maiolo ſub eodem tempore ſuggeſtum eſt à Brunone venerandæ memoriæ Lingonis Pontifice, vt Monaſterium egregij Martyris Benigni, quod iuxta Diuionenſe Caſtrum antiquitus venerabatur ad redintegrandum diuini cultus ordinem, qui in eodem loco omnino defecerat, ſuſciperet, & ſicut per plurima Cœnobia iamdudum agere conſueuerat, ita & iſtud in melius reformare ſatageret. At vir ſanctus motus pietate ad preces Pontificis miſit continuò, qui ad ſe reducerent Vuillelmum: iam enim cum eodem fratre, cui illum commiſerat annum & ſemis piè viuendo expleuerat. Cui vtique ad ſe reuocato prædicti S. Martyris Monaſterij, dulci Imperio paterno, ouilis Chriſti curam commiſit. Spopondit inſuper, vt quidquid iuuaminis ad ſpiritalis huius negotij incrementum optaret, ipſe libenti animo æquipenderet, Epiſcopum nihilominus in Dei fide, pariter & ſua, conteſtatus eſt, vt illi more dulciſſimi patris aduocatus, & cuſtos, adiutor, atque conſolator in omnibus eſſet. Qui integerrima obſeruatione monitui eius obaudiens, vltra quam credi potuit, illum in vita dilexit. Clemens igitur Domnus Vuillelmus ad ſibi deſtinatum ſuſcipiendi, ac regendi gratia Monaſterium miſſus à S. Maiolo, & cum eo quibuſdam ex honeſtioribus Cluniaci fratribus, ibique honorificè exceptus ab eodem præſule Brunone, Monachorum pater eſt ex more conſecratus.

990. De Brunone Lingonenſi, III. n. 111.

CAPVT IX.

Præficitur etiam Beſuenſi & Verziacenſi.

CVMQVE acerrimo ac vigilanti ſtudio ſe, ſibique commiſſos pro Dei amore diſciplinis regularibus ſub-

Annus Chriſti.

Quibus Monaſteriis diſciplinam reſtituerit Guillelmus. Illuſt. n. 112.

deret, non multò poſt commiſſum eſt ei ab Henrico venerabili Duce Monaſterium etiam Verziaci caſtri ex latere ſitum, vbi antiquus confeſſor Chriſti Sanctus requieſcit Viuentius. Illud quoque, veluti primum, moderamine regulari erat deſtitutum. Illóque in melius reformato, tertio nihilo minus, deſtituto à recta viuendi lege ſuper fontem poſito Beſuæ Apoſtolorúmque Principi ſacrato, ab eodem Brunone Pontifice conſtituitur Pater. Erat id antiquiſſimum, ac ſæpius Paganorum, ſeu peſſimorum quorumcumque hominum infeſtatione deſolatum. Ad huius nempe redintegrationem, dum toto conamine decertaret, contigit, vt prædictus Epiſcopus cum Comite maximæ partis Burgundiæ Vuillelmo, qui etiam eiuſdem patris, de quo ſermo eſt extiterat affinitate propinquus, ipſo patre præſente colloquium pacis haberet. Poſt cætera dixit Præſul in aure Comiti, vt Abbati, vtpote propinquo ſcilicet ſuo leniter ſuggereret, vt elationem, ne fortè pro virtutum gratia, vel rerum copia ſubreperet, caueret. Ille quoque reuerenter accedens, dixit vt monitus fuerat. Tunc Pater Vuillelmus vultu alacri eidem Comiti huiuſmodi reſponſum protulit. Si inquiens cognoſcere potero, quod augmentum terrenarum opum, vel poſſeſſionum vnius tantum diei, noſtræ vitæ protrahat ſpatium, perſuaderi non mihi poteſt, quin ad harum extollat incrementum. Hoc autem reſponſum dum Comes retuliſſet Epiſcopo, admirati ſunt vterque eius prudentiam, paritérque lætati propter illius humilem ſapientiam.

Caput X.

Præficitur Monaſterio Fiſcanenſi.

I

CVm igitur fama ſanctitatis illius iam latiùs deferretur Normannorum Dux venerabilis, illam comperiens Ricardus miſit ad eum reuerenter ſupplicans, vt ad ſe veniret. Qui tandem libenter, vt rogatus fuerat, pergens venit ad eum, à quo etiam, ſicuti decebat, honorificè ſuſce-

ptus eſt. Cuius ſanctiſſimis, cùm recreatus, vt erat totius boni amator, Dux fuiſſet alloquiis, obſecrauit illum, vt Eccleſiam ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis nomini, & honori dicatam in loco, Fiſcanenſi cognomento, antiquitus conſtructam, à ſuo tamen patre Ricardo honorificentius reformatam, ordine Monachorum ſuſcipiens decoraret. Erat enim illic more viuens carnali, iugo ſoluta regulari Clericorum leuis conciola. Cernens denique Pater Vuillelmus illius animi deuotionem, promiſit ſe cum Dei adiutorio illud quod poſcebat impleturum. Qui pariter venientes ad prædictum locum ſatis ſublime, ac ſolemniter commiſit ei iſdem Dux, cum aliquibus Epiſcopis dominium, & curam regiminis totius loci. Tum vir Domini congregauit, ibidem Monachorum regularem cateruam, ita videlicet perſonis numeroſam, ac bonorum ſtudiis copioſam, vt triplici ſui numero præteritorum numerum excelleret Clericorum. Quod cernens iam dictus Princeps multorum donorum, ac poſſeſſionū largitionibus ampliauit locum. Monuit etiam tam Abbatem, quàm cæteros fratres ſæpiùs, vt ab illo peterent quidquid ſuorum vtilitati expedire noſſent, vtpote quoniam de hac re ſecundum velle prouenerat ei, & poſſe. *Annus Chriſti.*

CAPVT XI.

Scholas in Monaſteriis inſtituit Clericis.

PRÆTEREA cernens vigilantiſſimus Pater non ſolùm illo in loco, ſed etiam per totam prouinciam illam, verùm etiam per totam Galliam, plebeis maximè, ſcientiam pſallendi, ac legendi deficere, & annullari Clericis, inſtituit ſcholas ſacri miniſterij, quibus pro Dei amore aſſidui inſtarent fratres huius officij docti. Vbi ſiquidem gratis largiretur cunctis doctrinæ beneficium, ad cœnobia ſibi commiſſa confluentibus, nullúſque qui ad hæc vellet accedere prohiberetur. Quin potiùs tam ſeruis quàm liberis, diuitibus, cum egenis vniforme caritatis impenderetur docu- *Cur iis qui non eſſent Monachi ſcholas inſtituerit, n. 125.*

Annus Chriſti.

mentum. Plures enim ex ipſis, vtpote rerum tenues è cœnobis accipiebant victum, ex quibus quoque nonnulli in ſanctæ conuerſationis Monachorum deuenere habitum. Eius denique inſtitutionis labor nimium optabilem diuerſis Eccleſiis contulit fructum. Nam præfatum, vt dicere ceperamus locum, taliter clauſtris, atque officinis regularibus, cæteriſque bonorum copiis adornauit, vt præ cæteris illius prouinciæ felicibus ſemper floreat incrementis.

Capvt XII.

Eccleſiam ſancti Benigni inſtaurans ſacrum eius corpus detegit.

Contigit ergo poſtmodum quatenus pars Eccleſiæ beati Martyris Benigni, cui autore Deo primitus Pater datus fuerat, ruinam corruens daret, quam cùm reformare cuperent artifices cœmentarij, grauiorem pars eadem dedit ruinam. Quod cernens vir Deo deuotus intellexit diuinitus ſibi dari indicium, quod totum à fundamentis renouari conueniret templum. Illicoque ſummo mentis ingenio cepit ipſius Eccleſiæ reformandæ mirificum conſtruere apparatum. Quam denique tum cepit reædificare poſitione mirabili valde, longiore ac latiore, quàm fuerat. Ignotus tamen erat vniuerſis locellus, quo pretioſi Martyris membra claudebantur Benigni, quoniam ſolerti cura taliter antiquitus fuerat reconditus, vt illic fiducialiter veneraretur martyr per æuum vbi felici morte occubuit propter Deum; ſed à quibuſdam incautis dicebatur etiam ibi non haberi. Cuius ignoratio rei nimium mœſtificabat animum patris Vuillelmi. Tali itaque defectu anxio, reuelatum eſt viſione pulcherrima per ipſum Dei martyrem ipſius honorabile ſepulcrum. Erat enim, vt beatus multorum Sanctorum deſcriptor miraculorum Gregorius Turonorum Pontifex refert, prægrandis arca lapideî ſarcophagi continens illum. Pro cuius incredulitate, narrat idem ſanctus, alterum ſui nominis Gregorium

Lingonicenſem Epiſcopum, acrius quondam fuiſſe increpatum. Eius namque poſitionem loci antiqua vetuſtas occuluit. Nam coram præcipuo illius Monaſterij altari profundius habebatur defoſſum memoratũ ſepulcrum, quod continuo requirens inuenit, aperiénſque illud contingere meruit ſacratiſſima egregij Martyris oſſa. In cuius etiam cerebro, quod in deſcripta ipſius paſſione legitur, vulnus ferreo illatum vecte apparuit. Quæ omnia integra numero præſentibus honeſtioribus tam Epiſcopis, quàm cæteris diuerſorum ordinum, vel ſexuum, cum odoriferis thymiamatibus, ac pſallentium choris, in eodem recondidit ſarcophago. Indéque paululum ad Orientem illum amouens in pulcherrimo atque incomparabili locauit tumulo. Dehinc namque pater venerandus accriori accenſus deuotione reformandæ opus baſilicæ inſtanter, quemadmodum decreuerat, accelerabat perficere. Quoniam, vt diximus, & præſto eſt cernere totius Galliæ baſilicis mirabiliorem, atque propria poſitione incomparabilem perficere diſponebat. *Annus Chriſti.*

Caput XIII.

Metenſi Monaſterio S. Arnulphi reſtituta diſciplina Romam inuiſit.

OMNIPOTENTIS etiam Dei gratia in ipſo cooperante cæpit illius fama ſanctitatis circumadiacentes, ſeu longinquas penetrare prouincias. Nam Præſul Metenſium Adalbero reuerenter ſatis illum euocans commiſit eidem S. Arnulfi confeſſoris regendum, ac meliorandum, vt agere conſueuerat, Monaſteriũ. Suſcipiens ergo illud breui tempore reddidit emendatum. Tunc nempe deuota concepit mente, vt Apoſtolorum Principis Petri ſanctiſſima limina viſitaturus adiret. Stabiliens nempe cœnobia ſibi commiſſa idoneis Præpoſitorum, ſeu cæterorum officiorum perſonis, vt decreuerat Romam orandi gratia perrexit, viſitatis quoque Sanctorum ſepulcris, vel oratoriis,

Annus Chriſti. ſacris etiam Miſſarum per ſemet celebratis ſolemniis,(nam præfatus Bruno Epiſcopus ſacerdotium illi impoſuerat) cùm Apoſtolica benedictione conſolatus regrederetur ad patriam,cepit febricitans ægrotare. Tandemque ad cœnobium S. Virginis Chriſtinæ perueniens in lectum decubuit. Qui paululum conualeſcens Vercellas deuenit, rurſuſque ibidem grauius periclitari cepit. Tunc quoque, vt iſdem referre erat ſolitus, & bonæ memoriæ Geribaldus almi patris Maioli monachus, ac prædicti cœnobij ſanctæ Chriſtinæ Abbas perhibebat, dum in Eccleſia S. iaceret Euſebij Præſulis, per quatuor vel quinque horarum ſpatia, ita factus eſt exanimis,vt nullum omnino ſpiramen in ipſo cognoſceretur. Sed tamen ignoratur quid tunc diuinitatis perſenſerit, quoniam paululum in ſe reuerſus voce qua, poterat lingua palpitans, hæc perſonabat verba. Domine Ieſu Rex æternæ gloriæ ſuſcipe me ſi placet, quoniam bonus es. Non dubito ad te ex hoc corpore tranſire. Sciendum verò eſt, quia iſtius mora ægritudinis, vt euentus rei ſubſequentis demonſtrat, non tam fuit impedimentum, quàm gratia ſpecialis lucri.

Capvt XIV.

Fructuarienſe Monaſterium in agro paterno condit.

Qui conditores Monaſterij Fructuarienſis, n. 124.

OCcvrrentes ei denique illuc tres ipſius germani fratres leni euectione deduxerunt illum ad ſui iuris prædia confouendum. Ardenter enim deſiderabant videre illum, quoniam compungebat corda eorum diuinæ præſentia pietatis. Conualeſcente quoque eo ab ægritudine poſt aliquot dierum ſpatium, conuenere ad illum quique ſuorum, ac plures Dominum timentium vicinorum, & ſuadere illi cœperunt promittentes ſe plura largituros, ſi in natiua terra cœnobium ſibi, ſicut in externa audiuerant, illum feciſſe ædificare inciperet. Tunc etiam,quod potiſſimum fuit, duo ipſius germani Godefredus atque Nitardus, viri ſpectabiles, ſecretim illum adeuntes ſponde-

Quis Rex Arduinus, ibidem.

cunt ſe ſæcularem relicturos militiam, ac ſe ſuáque omnia in omnipotentis Dei peculiare dominium deuenire. His auditis Dei cultor illico fiducialiter cepit tractare de cœnobij, vnde rogabatur, conſtructione. Qui pariter communi conſilio, & voluntate locum quærentes rei eiuſmodi aptum, repererc in rure paterno à Pado diſtantem flumine quaterno milliario ſolitarium cognomento Fructuarienſem. Ibi namque locari præcepit baſilicam, quam præſente Arduino Rege cum aliquibus Epiſcopis, ſacrari iuſſit in honore genitricis Dei Mariæ, ſanctique Benigni martyris, àtque omnium Sanctorum, in qua etiam idem Rex cum ſua coniuge, & filiis humatus quieſcit. Ad quam nihilominus tam à Romana vrbe, quàm à diuerſis partibus plurima congregauit Sanctorum Martyrum corpora. Breui namque in ſpatio temporis collecta eſt ibidem numeroſa fratrum congregatio Deum timentium inſtituta beati Benedicti Abbatis præcipui ſeruans, quæ iſdem pater Vuilleſmus à S. Maiolo Cluniacī didicerat.

Annus Chriſti.

CAPVT XV.

Ad vitam Monaſticam tum alios plures, tum Sanctum Odilonem attrahit.

REVERTENS igitur poſt hæc ab Italia omni ſtudio ſatagebat è diuerſis partibus terrarum colligere viros ſeruituti Chriſti idoneos ſuadendo eis vitæ cæleſtis gloriam, paritérque comminans inferorum ſupplicia. Tantam enim ei Dominus, cum cæteris virtutibus, ſalutaris verbi virtutem conceſſit, vt quibuſque doctrinam illius ſuſcipientibus ſummam conferret fidei firmitatem, bonarúmque virtutum augmentum ac vitiorum emendationem. Omnibus enim ſicuti expedire nouerat ſiue leniter, ſeu aſperrimè, caritative tamen huiuſmodi ſe exhibebat. Contigit ergo illum aliquando cum viro per omnia deſiderabili Domno ſcilicet Odilone, adhuc illo in Canonicali habitu degente, de vera animarum ſalute habuiſſe collo-

Annus Chriſti.

quium. Intelligens verò illum niti ad ſanctitatis culmina, cepit illi attentius ſuadere, vt quod potiſſimum fore creditur, attentius explere ſatageret, negotiis videlicet ſæculi iſtius abiectis, Chriſtum Ieſum ſequi expeditius. Compunctus illico vir clarus libenter ſe facturum promiſit, quod pater ſuaſerat Vuillelmus. Nam poſt paululum ad cœnobium nominatiſſimum honorificè deueniens Cluniacum, ibi à S. Maiolo eſt deuotè ſuſceptus, atque in habitu ſanctæ conuerſationis monachus ex more ſacratus eſt. Cuius etiam conuerſatio in tantum extitit cara Deo, & dulcis Deum diligentibus, vt iſdem ſanctiſſimus Maiolus ſibi commiſſo gregi allegaret illum in vita, qualiter poſt ipſius obitum haberent patrem atque paſtorem, quod ita manifeſtiſſimè & vtiliter fieri contigit. Quam enim præmaximam exinde dum aduiuerent dilectionem inter ſe habuere, dum alter eorum alterum ſibi vtrinque præferret, exprimi non valet.

CAPVT XVI.

Monita eius ad Ioannem Papam.

PRÆTEREA Pontificibus Romanis Pater Vuillelmus, qui ſuo tempore præfuere in tanta veneratione, & reuerentia eſt habitus, vt quidquid illis ſuggeſſiſſet libentiſſimè implere ſtuderent. Nam & Ioannem Papam ſpiritualia dona per orbem, maximè Italicum, auri vel argenti pretio diſtracta minus curantem, tali inuectione monere ſtuduit per epiſtolam hæc continentem. Parcite, quæſo, parcite, qui dicimini ſal terræ, & lux mundi. Sufficiat hominibus iam ſemel Chriſtum fuiſſe venditum pro communi ſalute vniuerſorum. Iàm enim refugæ veri luminis, ſolo nomine paſtores, ouile Chriſti, immo membra illius, videte poſt vos quo eunt. Si iuxta fontem tepet riuus, in longinquum fœtere nulli dubium eſt. Idcirco cura quibuſdam venditur ad ſui interitum. Volo vos Patres, ac Pontifices omnes in commune, iudicis ſecurim geſtantis, ante ianuam

aſſiſtentis.

aſſiſtentis memores. Quam Epiſtolam Papa libenter amplectens grates ac benedictiones tanto Patri retulit, Deúmque in illo glorificauit. *Annus Chriſti.*

CAPVT XVII.

Calumniis apud Henricum Imperatorem appetitus eas ſola præſentia ſua diluit.

SED & illud denique in eodem Patre fuit valde memorabile, quod multi tunc etiam nobiles, venenatis infecti verbis malorum, dum aduerſus illum contumeliarum verba dicenda concepiſſent, ſeu iurgia vltionis vice referenda, vt ad conſpectum illius ventum fuiſſet, ſtatim mirabantur ſemet ab iis, quæ intenderent exprimere, alienatos fuiſſe, amiſſáque ferocitate rei præteritæ, quidquid id erat totum procedere ex manſuetudine. Henrico ſiquidem Imperatori de eo ſuggeſtum fuerat, quod illi derogans, illúmque contemnendum iudicans Arduini parti, qui ſibi Italiæ regnum præripuerat, faueret, illúmque pro poſſe defenſitaret. Ex hoc quippe viro Dei, quamuis abs re iratus fuerat. Ille verò vt comperit ad illum pergens rei veritatē ſeſe purgando pandit, atque ſiquid erat odij à corde illius deterſit. In tantum etiam idem Imperator poſtmodum illum dilexit, vt illi dona largiretur plurima, & quidquid ab eodem vellet fieri continuò impetraret.

CAPVT XVIII.

Roberto Regi Francorum non diſſimili ratione ſatisfacit.

PARI namque ratione Roberto Francorum Regi de ipſo nuntiatum fuerat, quòd Brunoni prædicto Lingonum Epiſcopo, qui Regi minus acquieſcebat talia ſuaderet, quæ Regali iuri nimium reſiſterent. Ille verò, ſimul & Regina coniunx illius, propter hoc illi irati comminati

Annus Chriſti.

ſunt aliquoties cœnobiis eius damnum inferre maximum. Adiens ergo intrepidus amborum præſentiam, ita illorum diuini verbi virtute iram compeſcuit, vt etiam ſummam dignitatis gratiam apud illos obtineret. Nam cùm illorum filius, qui pro ſuæ iuuentutis elegantia, ac liberalitate Hugo magnus cognominabatur, iam in Regem vnctus obiiſſet, ac parens vterque pro morte illius penè vſque in ſuimet necem cordis dolore, & luctu affligerentur, tunc acceſſit ad eos ſpiritualis medicus, & ait. Non infelices enim vos putare debetis, quòd talem amiſiſtis, quin potiùs felices valde, quia talem habere meruiſtis. Ego, inquiens, ex vllo hominum gradu non tam pauciſſimos ſaluos futuros æſtimo, ſicut de Regum. Qui cùm attoniti reſponderent. Cur hoc dicis pater? Reſpondit. Non audiſtis, inquit ſacer canon quomodo refert, vix tres de triginta Regibus bonos extitiſſe? Idcirco ceſſate quæſo hunc iuuenem flere mortuum, ſed potiùs congratulamini ei, ſicuti requiei dato, & à malis liberato. His dictis ita conſolans illos placabiles fecit, vt viderentur non habere quod plangerent, & Deum dicerent viſitaſſe illos per ſanctum virum.

Capvt XIX.

Iis qui exoſum illum habuere crebro malè vertit odium.

Qvorvndam etiam nomina aliquando interpretabatur, ſiue ad profectum, ſiue ad detrimentum ipſorum. Cùm igitur poſt mortem Bertoaldi Tullenſis Pontificis, qui ei Monaſterium S. Apri Confeſſoris commiſerat, eidem Epiſcopatui quidam Ermannus præſul datus fuiſſet, ita cepit exoſos huius Patris habere Monachos cum ſua inſtitutione, vt etiam honeſtiſſimum fratrem Vuidricum nomine, qui poſt illum eiuſdem loci pater deuotus extitit, cui tunc cæterorum cura imminebat, baculo verberaturus eum, impingeret. Quod dum patri relatum fuiſſet ad nomen illius alludens ait. Secundùm ſuum nomen facit Epiſcopus iſte. Nam lingua barbara Erman, in noſtra

homo errans dicitur; ac deinde, Si enim Chriſti paſtor fuiſ- *Annus Chriſti.*
ſet, illius ouiculas minimè laceraret. Sinite illum. Verus paſtor nouit, & ipſe quæ ſua ſunt colliget. Non multò pòſt denique pergens in longinquum ſæcularia exacturus negotia, crudeliter obiit peregrina potitus ſepultura. Simili quoque inuidia Leo Vercellenſis Epiſcopus ad actus vniuerſos iſtius patris extiterat infenſus, de quo etiam talia narrare erat ſolitus. Hic ergo crudeliſſimus Leo totus eſt ſine Deo, quia ſi fuiſſet Deus cum eo, quæ illius ſunt, amaret pro illo. Affirmabat autem poſt mortem & æternaliter eum eſſe damnatum. Manifeſtiſſimè ſiquidem in multis claruit, quoniam quiſquis illum odio habuit, exinde pœnas luit, ſicuti verſa vice, ſi quis illum verè dilexit, mercedem à Chriſto percepit illius autore ſanctitatis.

Capvt XX.

Quàm accuratè ſuos protexerit & inſtituerit.

Fertilem igitur gratiam, ac dona vberrima à bonorum omnium largitore pater iſte promeruiſſe euidentiſſimè paſſim claruit. Sed nos lectoris tædium cauentes plurima ſilentio tegimus. Erant namque tam Monaſteria, quàm cœnobia atque cellulæ monachorum circiter quadraginta, quæ illius patrocinio tuta cunctorum bonorum affluebant copiis. Fratres vero in ipſis degentes proculdubio plures mille ducentis, quibus inerat fides integerrima, vt quandiu id deuotè exercerent, quod ab eodem patre didicerant, nihil mundi huius formidare deberent, aut cuiuſpiam ſibi vtilis rei indigentiam pati. Idipſum enim ſuis ſæpiſſimè inculcabat. In Deo ſperare & credere. Quod etiam plurimis probauere experimentis. Nam aliquando per diuerſa terrarum euntes itinera dum ex euentus facie perturbari potuiſſent, dicere erant ſoliti, Domine in fide Patris Vuillelmi, fac nobis ſicut vis, nec vllus illorum vnquam hoc dicens ope caruit. Inſtituit quoque ſimplicioribus, vel idiotis è ſæculo ad ſe confugientibus fratribus

Annus Chriſti. orandi formam quinque modulis myſticè conſtantem; vt videlicet quot ſenſibus humani corporis Deus offenditur, totidem vocum clauſulis ad miſericordiam rogaretur. Erat autem huiuſmodi Domine, Ieſu, Rex pie, Rex clemens, pie Deus. Subiungebatur verò ſingulis Miſerere. Supputabatur namque taliter vt ſi verbi gratia in decemnouennalibus articulorum iuncturis ter quinquies identidem reuoluendo deuotè diceretur pſalterij tota ſeries mutuata perſolueretur. Vnde etiam pro pſalterio apud illos habebatur, vt pater docuit, & cognominabatur. Mortificatio nempe carnis, & abiectio corporis, ac vilitas veſtium, ciborúmque extremitas, vel parſimonia in ſuorum vniuerſis, ac ſi naturaliter viguit.

Capvt XXI.

Dicendi & pſallendi egregiè fuit peritus.

Ipsivs etiam ſermonis habitudo æqualiter cunctis pro vt videbatur gratia erat condita. Pietati quidem ac miſericordiæ explicari nequit quantũ operæ dabat. Cum ſupernæ dulcedinis nectare artificialis etiam muſicæ perdoctus, ac comptus dogmate, quicquid in choris ſuorum pſallebatur die ac nocte tam in Antiphonis, quã in Reſponſoriis, vel Hymnis corrigendo, & emendando ad tantam direxit rectitudinem, vt nullis decentius, ac rectius pſallere contingat in tota Eccleſia Romana. Pſalmorum nihilominus concentum dulciſſimo, vltra omnes, diſtinguens decorauit melodemate. Erant igitur, vt diximus, ſub eiuſdem patrocinio tam maxima, quàm minora perplura Monaſteria, atque cœnobia, quæ videlicet ipſe omnia, aut à fundamentis innouauit, aut ampliando honeſtauit. Nam S. Martyris Benigni, vt dicere cepimus, cui Deo autore primitus paſtor allegatus fuerat, baſilica incomparabili opere pene expleta, iam Brunone defuncto Lambertóque in ſede illius ſubrogato, placuit vt eadem baſilica Pontificali ex more benedictione ſacraretur. Tunce denique ad votum ipſius

patres conuenere die deſignato è diuerſis prouinciis, non *Annus* ſolùm Epiſcopi, verùm etiam quorumcumque ordinum *Chriſti.* promiſcuæ plebis innumera multitudo. Erat enim autumni dies tertius Calendarum Nouembrium, ante videlicet natale ipſius martyris. Qui omnia ritè, ac ſolemniter, vt condecens erat, explentes perierunt, qui aderant Epiſcopi, ac quique religioſi patrem Vuillelmum, vt in die tantæ conſecrationis, tam ipſis, quàm vniuerſæ plebi inter ſacra Miſſarum ſolemnia diuini eleemoſynam impenderet verbi. Ipſe verò, vt erat bonis omnibus obſequens, agere non diſtulit, ſed mente pia, corde contrito, vultu alacri Spiritu ſancto plenus in hæc verba cum lacrymis erupit.

CAPVT XII.

Concio eius in dedicatione Eccleſiæ S. Benigni.

CONVENISTIS fratres & ſorores, grex pretio Chriſti ſanguinis redemptus, conueniſtis inquam ad nuptias ipſius ſponſæ, matriſque veſtræ cæleſtis, ac ſempiternæ Eccleſiæ, quæ idcirco vniuerſalis dicitur, non ſolùm quod in omnes mundi terminos dilatetur; ſed etiam pro eo quod nulla immanitas criminum illius ſuperat, ſi tantum fides adſit, dona miſericordiarum. Quæ ſcilicet Patriarcharum myſticis præſignata figuris, Prophetarum oſtenſa præſagiis, Apoſtolorum auctoritate ac labore conſtructa, & Martyrum ſanguine eſt conſecrata. In qua abluti ac renouati à culpa veteris piaculi, per ſalutaris vndam Baptiſmatis, ſic induimini prima ſtola Angelicæ beatitudinis, quam amiſiſtis in tranſgreſſione parentis primi incolæ paradiſi. Deinde verò ediris carnem ac potatis ſanguinem illius omnipotentis agni, qui vos præ cæteris mundi creaturis formans, & redimens inuicta benignitate elegit ad ſui, atque patris regnum, ſanctique Spiritus gloriam poſſidendam. Ad quam dilectiſſimi rendere vos inuito, moneo, obſecro per caritatis ignem & humilitatis atque caſtitatis continuam cuſtodiam. Gaudere, inquit, contigiſſet

Annus Chriſti. mihi ex veſtræ vnanimitatis deuotione in huius ſanctificationis concurſu. Sed nimius mœror mentem deprimit ex ſignis Satanæ, quæ euidentiſſimè apparent in populo Dei. Non, inquiens, aſpicitis, quibus eſt adhuc mens ſanior, quæ ſciſſuræ & detruncationes veſtium? quæ attonſuræ per ceruices virorum? quàm turpis in barba horripilatio maxillarum? quàm nugaciſſima penè vniuerſorum & inſaniſſima actitatio? quàm laſciua ad omnes penè ſermones ore terricrepo iuramenta. Iſta etenim vniuerſa recentia, & nuper graſſata non ex religioſitate Chriſtianitatis proceſſere, quin potiùs ex diabolica ſuperſtitioſitatis rabie emerſere. Exinde quoque pullulat radix omnium malorum ſuperbia, cæterorúmque vitiorum fomenta. Atque vos vniuerſi iudicate, ſi non ipſius famuli eſtis, cuius inſignia, & ſtigmata in vobiſmetipſis geritis. Nam & me pudet dicere, dum pœnitet reticere, quoniam expectaſtis dulcedinem verbi; & ego propino vobis generaliter amaritudinem redargutionis. Moneo etiam illum ſi quis eſt in tota hac plebe, qui vel quinque ſolidos, ſeu quidpiam ad huius ſancti Martyris obtulit reædificandam muneris Eccleſiam, quam præ oculis habetis coram cunctis referat. Dum ergo non inueniretur quiſquam aliquid contuliſſe, rurſus ait. Videte fratres dilectiſſimi inter quas ſpinas, atque incendia peſsimorum hæc Aula omnipotentis Dei per fidem ſui teſtis Benigni, ad quæ elegantiæ excreuit ipſo cooperante faſtigia. Volo vos ſi placet aſsiduè eſſe memores, quàm velox vnicuique ſit mundanæ curæ, & ambitionis depoſitio. Propter quod obſecro cum noſtri autoris adiutorio reſiſtite vitiis, & maligno diabolo, virtutes quoque præclaras aſſumite & colite, benigniſsimo Deo conditori ac redemptori noſtro in cunctis obaudite, qui vos per fidem & orationes, ac merita omnium fidelium ſuorum dignos faciat introeundi cum eis in ſempiternæ gloriæ regnum per Ieſum Chriſtum dilectum filium ſuum. Dúmque ille iſta peroraſſet, ac reſponſum ab omnibus fuiſſet amen, qui ſingultus, quantæ lacrymæ, qui gemitus per totam agebantur Eccleſiam, exprimi non valet. Omni-

búſque ritè perfectis cum gaudio quique rediere ad propria. *Annus Chriſti.*

CAPVT XXIII.

Miracula quædam S. Benigni & Vuillelmi.

EX illa etenim die in eadem baſilica, præcipuè ad tumulum glorioſi Martyris, factæ ſunt multimodæ curationes diuerſarum infirmitatum, quæ etiam ob multiplicitatem ſcribi nequeunt. Sed etſi quis cum fide plena ſibi depoſcat quæque vtilia, proculdubio adipiſcitur, ſi talis ſit, vt promereatur Sanctorum meritis, & orationibus iuuari. Nec prætereundum nobis videtur, quod dum Patris Vuillelmi alloquio multi fuerint, in mente recreati, plures etiam in corpore tactu eiuſdem redintegrati, oratione refocillati, viſitatione confortati, ac benedictione firmati. Et quamuis nunc minus audiatur quod olim Chriſti ſequacibus vſui fuit ſuſcitare mortuum. Pauca tamen è pluribus vt teſtati ſumus, quæ Dominus per ipſum operatus eſt dicemus. Reuertens namque ille quondam à cœnobio S. Viuentij Confeſſoris, cùm iam appropinquaret S. Benigni Monaſterio obuiam habuit promiſcui vulgi turbam plangentem, ac repedantem à ſpectaculo cuiuſdam miſerrimi ex eiuſdem ſeruorum familia, videlicet S. Benigni, quem magiſtratus crimine conuictum mortique ſuſpenſionis patibuli adiudicatum deliberauerat. Quod audiens vir miſericors miliari diſtans à loco dimiſſo equo illuc quantocius accurrens, hoc tantum dicebat, Ieſu, Ieſu qui pepercisti latroni in cruce, miſerere. Iuſſitque ſuis velociùs infelicem illum quem cernebant è trabe pendere iam rigentem deponere. Ipſe verò toto proſtratus corpore orationi incubuit. At illis ſoluentibus loca guttur illius arctantia, exanimis in terram cecidit. Ad quem accedens vir pius ait. Surge, inquit, Dominus imperat. Ille vero aperiens oculos erexit ſe admirans valde ſe ſupereſſe. Qui cum viro Dei egrediens exultantibus cunctis ad Mo-

Annus Chriſti. naſterium, plures poſtea vixit annos. Multos nempe ab eiuſmodi patibuli ſuſpendio, ac nece per diuerſas prouincias tam interuentu, quàm redemptionis pretio liberauit. Nam & fratribus Monaſteriorum vtilitatibus præpoſitis illud ſæpius inculcabat, vt in exactione ſibi commiſſorum forent prouidi, ne fortè nimis tenues pro cenſu non reddito affligerentur. Dicebat enim ſe magis velle largiri egenti, quàm exigere quidpiam ab indigente.

Capvt XXIV.

Vuillelmus vulgo omnibus in amore & veneratione erat.

Itinera quoque eius ſeu per ciuitates & vicos, ſeu aliorſum haberet ingens pauperum, atque infirmorum turba præoccupauerat; at ipſe liberalis & largus beneficiorum erat vniuerſorum impenſa. Deſiderabatur enim ab omni hominum ordine, vel ſola ipſius præſentia, ſicuti vnius è Patriarchis, aut Apoſtolis Domini. Aliquanti etiam referebant illum ſibi per viſum in ſomnis apparuiſſe, ſéque de prauis actibus redarguiſſe, vel monuiſſe de communi animarum ſalute. Teſtor, ego inquam, ipſius, ac virtutum matrem caritatem, quoniam quondam cùm eſſet meorum culpis facinorum offenſus, vt ſenſi illum ad horam amaricatum, ſeceſſi in aliud cœnobium ipſius ditioni minimè ſubditum. Dúmque illic degerem aſtitiſſe mihi vna nocte viſus eſt aſpectu placido, ac manu iniecta caput mihi demulcens aiebar. Rogo ne me deſeras, ſi non te amare fingebas. Quin potiùs exercere te cupio quæ promiſeras. Ipſius namque imperio maximam, iam partem euentuum quæ circa, & infra incarnati Saluatoris annum contigere milleſimum deſcripſeram. Quæ etiam cauſa ad præſens opus me compulit inflectere articulum. Idcirco omnes pariter oro ne propter hoc præiudicium de me fiat. Beatitudo igitur eximij Patris Vuillelmi, iam ad tantam excreuerat excellentiam, vt cunctas Latij ac Galliarum prouincias ipſius amor ac veneratio penetraret. Nam Reges',

vt

vt Patrem, Pontifices vt Magiſtrum, Abbates, & Monachi, vt Archangelum, omnes in commune vt Dei amicum ſuæque præceptorem ſalutis, habebant. Quis enim vnquam alius præter eum Veneticorum gentem in tam amica familiaritate habuit. Exaggeratiuè ſecundùm Apoſtolum loquimur, quoniam, ſi fieri poſſet, oculos ſuos exuiſſent & dediſſent ei. Siquidem Vrſus Patriarcha illorum, ipſius S. Patris decreuit effici Monachus; ſed ipſe diſpendium illius gentis, quod ferret pro tanti abſentia viri conſiderans illi in ſuo propoſito permanere ſuaſit. Quod etiam de multis ſimilis rei gratia cognitum habetur feciſſe. *Annus Chriſti.*

Caput XXV.

Obitus & ſepultura Vuillelmi.

Iam verò in Dei opere magis aſſiduus, quàm frequens cùm eſſet in Italia ſuum biennio præſtolans à ſæculo exceſſum, ſed rerum opportunitatibus exinde euocatus, ægerrimè tamen ad Gallias exinde remeauit. Cúmque reuiſendi caritate cunctos, Gorzenſe vſque Monaſterium à ſe olim cum cæteris ad regulare ſpecimen reformatum, deueniſſet, quæ ſupererant inuiſere curauit. Dehinc ad prænominatum venit Fiſcanum, poſt aliquot verò dies acribus cepit doloribus affligi. Iam quippe imminente ſolemnitate Natiuitatis Dominicæ prænoſcens ſuæ à Chriſto vocationis diem, conuocatis ad ſe fratribus deliberans coram eis prouidè, ac ſapienter de cunctis quæ ipſius innitebantur patrocinio, quid vel qualiter agendum, ſeu ordinandum foret, ſicque vniuerſis præſentibus ſimul, & abſentibus ſua benedictione firmatis, ac Deo commiſſis expetiit ſibi dari ſalutarem, ac viuificum commeatum, expletiſque ſolemnibus, totis octo diebus nihil omnino loquens, oculos tantùm ad Dominum erigebat illi ſoli intendens, illum ſolum mente reſpiciens. Iam enim aſpiciebat felix anima ad illum itura de vaſculo carnis in ſua gloria Deum maieſtatis. Anno igitur eiuſdem Natiuitatis Dominicæ CIↃXXXI Indictione XIV.

T

Annus Chriſti. à natiuitate quoque ipſius patris ac Dei cultoris LXX. & ab aduentu illius ad Gallias de Italia XLI. regnante Conrado Imperatore, in Francia nihilominus Roberto Rege die Dominicæ Circunciſionis venerabili, atque eiuſdem Natiuitatis octauo, VI feria mane, dum aurora ſuperuenientis diei pelleret tenebras è mundo, tranſiuit à ſancto iſtius Dei amici corpore anima felix, & beata, lucerna videlicet orbis, ad ſempiternam & deificam lucem ſuis lugentibus, ſed angelis lætantibus, cum quibus laudans, ac magnificans benedicit Deum, in quo viuit quidquid iuſtè ſubſiſtit. Sepultum namque eſt ſacrum illius corpus honorificè in gremio eiuſdem ſanctæ Trinitatis Eccleſiæ in conſpectu euntium, & redeuntium fratrum, vt quotidie ſiquidem præ oculis imitabilem haberent patrem, quem ad æternam iuſtitiæ mercedem habuere inſtitutorem. ipſiúſque meritis & precibus valeant percipere æternæ vitæ regnum, & gloriam cum Sanctis omnibus donante Domino noſtro Ieſu Chriſto Saluatore. Explicit.

LIBER II.

De rebus geſtis Vuillelmi I. Abbatis XXXII. à Glabro omiſſis.

Ex variis autoribus excerptus.

CAPVT I.

Ex Chronico Sancti Benigni Ms.

Quibus virtutibus ornarit primam ſuam præfecturam.

BRVNONIS pulſatus precibus Maiolus Abbas Cluniacenſis quendam fratrem feruentiſſimum ſui ordinis executorem, & totius nobilitatis lampade præfulgi-

dum, atque in vera humilitate, & fraternæ dilectionis caritate, necnon ſummæ diſcretionis, quæ virtutum omnium mater eſſe dignoſcitur, honeſtate, laudabiliter radicatum, & fundatum nomine Vuillelmum huius Monaſterij gregi præfecit, & patrem ſpiritualem ſibi poſcentibus filiis inſtituit. Hic Italia extitit oriundus alto ſatis germine, & nobili proſapia editus, quem ſupradictus Dominus Maiolus Roma veniens inuenit in Monaſterio Luciaco dicto, vbi à puero dicatus fuerat, aſſuménſque eum ipſo deprecante ſecum abduxit Cluniacum ætate iuuenili florentem. Ordinatus eſt igitur Abbas à Domno Brunone Epiſcopo anno ab Incarnatione Domini DCCCCXC. Indictione III. Officio verò Abbatis accepto diuinis ſeipſum cepit exercere virtutibus. Erat enim corpore caſtus, mente deuotus, affabilis alloquio, prudentia præditus, temperantia clarus, interna fortitudine firmus, cenſura iuſtitiæ ſtabilis, longanimitate aſſiduus, patientia robuſtus, humilitate manſuetus, bonorum operum gratia plenus. Caritatis quidem affluens viſceribus, pro pauperibus ſemper erat ſolicitus; Chriſtum verò diligens totis viſceribus, dum ſicut Martha corporaliter non valebat, in egenis quotidie illum reficiebat,

Annus Chriſti. 990.

Omnibus hoſpitij perlargum præbuit vſum,
Nemo eſt exceptus perpeſſus nemo repulſam.

Diuinorum præceptorum delectabatur eloquiis, quia ex iis, & ſuos mores componere, & ſibi commiſſos inſtruebatur docere, & corrigere. Cunctis ſeipſum bene viuendi præbebat exemplum, & ſicut in ordine, ita primus ſtudebat vt eſſet in opere, iuxta illud Euangeliſtæ. Cepit Ieſus facere, & docere. Peccantes verò zelo pij amoris coram omnibus arguebat, vt cæteri timorem haberent; ſed & verba, quæ ſub increpatione proferebat, vt reprehendenda reprehenderet, quaſi ſtimuli, dura videbantur, & aſpera vt penè timerentur pluſquam verbera, iuxta illud. Verba ſapientis quaſi ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi: Aliàs quidem blandimentis, aliàs admonitionibus, aliàs terroribus, & ita iuxta Apoſtolum prædicans verbum inſta-

Act. 1. v. 1.
Eccl. 12. v. 11.

Annus Chriſti. bat opportunè, importunè arguens, obſecrans, increpans in omni patientia & doctrina. Miſerorum verò haud ſecus ac ſi pateretur, ipſe afficiebatur calamitatibus. Os eius replebatur, ex cordis abundantia, vt in eodem ore penè nihil aliud niſi lex reſonaret diuina, & quia Scriptura dicit. Qui audit dicat, veni: ideo quoſcumque poterat à ſæculi nequitia ſuadendo ſubtrahebat, & ſicut cœleſte per deſiderium totis ipſe viribus ad ſuperna anhelabat, ita omnes homines ſecum pergere, ſi fieri poſſet, exoptabat. Sed nullatenus eſt fraudata à deſiderio quod in ſe conceperat vera delectatio. Ille enim qui charitas eſt, qui ſe timentium complet voluntatem, viri Dei feruentem affectum perduxit ad effectum. Ad eius quippe monita multi, quæ poſſederant relinquentes regulari ſe diſciplinæ ſubdiderunt, & beati Benedicti ſequentes veſtigia ſemetipſos abnegantes verò Regi totis viribus militarunt. Partibus namque ex diuerſis ad eius cœnobium multitudo confluxit innumerabilis, ſed nationibus licet diuerſi, mente tamen erant vniti, vt illud ad literam impletum videretur, quod de initio naſcentis Eccleſiæ in Apoſtolorum Actis legitur. *Erat illis cor vnum & anima vna.*

Act. Apoſt. 4. v. 32.

Capvt II.

Ex eodem Chronico.

Qui illi initio laborum adiutores fuerint.

CVm primum Abbatis ſuſcepit officium venerabilis Vuillelmus inter Monachos in hoc loco degentes fuit quidam iuuenculus vocatus Huualdus, quem prædictur pater videns ſolertis ingenij retinuit ſibi cæteris abeuntibus. Hunc præcipuè omni ſtudio doctrinæ imbutum, in domo Dei conſtituit vas electum. Ad omnia quippe quæ ſibi erant neceſſaria prædicti fratris iuuabatur ſolertia. Denique iniunxit illi curam huius ſacri Periboli, quam tanto proſequutus eſt ſtudio, vt penè totum quidquid fuit

ornamentorum in hac Baſilica, eius ſtudio ſit aggregatum. *Annus*
Ad Vltinum poſt obitum prædicti patris Abbatiam Tor- *Chriſti.*
nodorenſem aſſecutus, ibidem quieuit annis viginti ſeptem in regimine tranſactis. Alter quidam huius Caſtri Diuionenſis ciuis nobili ortus genere Rodulfus, Albus vocatus cognomine, venit ad conuerſionem inter ipſa primordia eius nouæ ordinationis, cuius pecuniis releuata eſt paupertas prædicti patris, & conſilio atque adiutorio ſubleuata ſolicitudo regiminis huius loci, & Beſuenſis Monaſterij, adhuc quippe erat ei paucitas Monachorum, quem prædictus frater ita iuuabat in exterioribus curis, vt ſolus ſupplere videretur ſolamen plurimorum. Sed præter eius votum hoc ſolatium abſtulit illi paucitas dierum. Alter quoque ſubiunctus eſt memorato Patri Theodoricus dictus huius patriæ ciuis, quem poſt diutinam conditionem Fiſcanenſi cœnobio conſtituit Priorem, ad Vltinum Gemeticenſium præfecit Abbatem. Alius ex Caſtro Belno dicto miles Ledbaldus vocatus, & à ſtudio ſapiens cognominatus Patri Vuillelmo eſt adiunctus, cuius imbutus doctrina ſpiritali per aliquod tempus Archimandrita in Tornodorenſi loco eſt conſtitutus.

Capvt III.

Ex eodem Chronico.

Præficitur Monaſterio Reomaenſi & aliis.

Hvgonis Regis fuerunt fratres duo, Otto, & Henricus, filij Hugonis Magni Ducis Francorum. Poſt mortem patris accepit Hugo Ducatum Franciæ, & Otto Burgundiæ. Habuit vxorem filiam Giſleberti, qui poſt Hugonem fratrem Rodulfi Regis Ducatum Burgundiæ tenuit. Sed eo in adoleſcentia abſque liberis defuncto Henricus frater ſuus ſucceſſit. Hic fuit comptus bonis moribus præcipuè manſuetudine, vt vir Eccleſiaſticus. Ipſe deniq; Henricus Dux audita fama religionis eximij Patris

Annus Chriſti. Vuillelmi commiſit ei Abbatiam Verziacenſem pene ad nihilum redactam, vt ab ipſo reſtrueretur in priſtinum ſtatum, quod & fecit auxiliante Domino. Domnus autem Epiſcopus Bruno conſiderans Patrem Vuillelmum ita feruentem in religione, ac Monaſtica inſtitutione, & loca ei commiſſa de die in diem proficere in melius, omnia in ſuo Epiſcopatu Monaſteria ipſius delegauit prouidentiæ, Abbatiam ſcilicet Beſuenſem Apoſtolorum Petri & Pauli honore dicatam, Monaſterium Sancti Ioannis quod Reomaus dicitur, locum S. Michaëlis Archangeli iuxta Caſtrum Tornodorum, Abbatiam Melundenſem vbi S. Valerius Archidiaconus, & Martyr quieſcit. Quas omnes ita ſtrenuè gubernauit, vt poſt eum ſingulæ ſingulis Abbatibus diſtributæ ſtatui illius temporis, quo ab eo regebantur, nequiuerint æquari.

Capvt IV.

Ex eodem Chronico.

Iter eius Romanum & viſio.

996. Anno ſexto ſuæ ordinationis Vuillelmus Abbas Romam perrexit ad Apoſtolorum limina eorum patrocinia expoſcens prece deuota, indéque ad S. Angelum montem petiuit Garganum. Sed Beneuentum veniens grauiſſimæ infirmitatis aſtrictus eſt compede. Cuius infirmitatis diuturno afflictus langore, cùm iam à ſuis deſperaretur poſſe euadere, quadam nocte raptus in ſpiritu tribunali metuendi iudicis ſiſtitur, vbi cùm pro aliquibus increparetur exceſſibus, & maximè pro indiſcreta ſeueritate, pro quibus culpis metueret damnari æternis gehennæ ſuppliciis, vt ſibi viſum eſt, Sanctus Papa Gregorius in ſua eum ſuſcepit fide, diligentiori deinceps victurum ſolicitudine, & priora errata pietatis ac miſericordiæ operibus expiando correcturum. Poſt viſionem in ſemet reuerſus & ab infirmitate eadem die cepit conualeſcere, & priorem

• De itineribus Vuillelmi in Italiam, Illuſt. n. 125.

auſteritatem permutauit in maximam pietatem. Sicque poſtea omni vitæ ſuæ tempore S. Gregorium ſpeciali coluit dilectione. Ceperunt denique ex ſua patria, hoc eſt Italia, multi ad eum conuenire, aliqui literis bene eruditi, alij diuerſorum operum magiſterio docti, alij agriculturæ ſcientia prædici, quorum ars & ingenium huic loco profuit plurimum. *Annus Chriſti.*

CAPVT V.

Ex Glabro Hiſtor. Lib. 3. cap. 5.

De induſtria eius in reſtituenda Monaſteriorum diſciplina.

CLARVIT eo tempore in prædicta Domorum Dei melioratione venerabilis Abbas Vuillelmus, à beato ſiquidem Maiolo primitus Eccleſiæ S. Benigni Martyris pater conſtitutus, quam Eccleſiam videlicet illico tam mira locatione permutauit vt huiuſcemodi altera difficilè queat inueniri. Regulari etiam diſtrictione non minus effloruit, atque incomparabilis huius ordinis ſuo tempore propagator extitit, ſed quantum pro hac re diligebatur à religioſis & piis; tanto magis detrahebatur inſidiabatúrque à fraudulentis & impiis. Fuit enim ex Italia ortus nobilem ducens à parentibus proſapiam; nobilior tamen illuſtrem per aſſequutam ſcientiam. Nam in eodem territorio, ſcilicet in fundo, qui ei parentum iure debebatur, prius vocato Vlpia conſtruxit Monaſterium totius gratiæ abundantiſſimum, poſtea ab ipſo Fructuarienſe cognominatum, quod cum multigenis locupletaſſet beneficiis, conſtituit ibi Monachorum Patrem per omnia ſe imitantem nomine Ioannem. Erat enim prædictus Vuillelmus acer ingenio, & inſignis prudentia. Idcirco ſummum in palatiis Regum, ac cæterorum Principum locum obtinebat. Quodcumque denique Monaſterium proprio viduabatur, paſtore ſtatim compellebatur, tam à Regibus vel Comiti-

Annus Chriſti.

bus, quàm à Pontificibus, vt meliorandi gratia illud ad regendum ſuſciperet, quoniam vltra cætera diuitiis & ſanctitate ipſius patrocinio aſſumpta cernebantur excellere Monaſteria. Ipſe quoque firma teſtabatur aſſertione, quia ſi huius inſtitutionis tenor quocumque loco à Monachis cuſtodiretur, nullam omnino indigentiam cuiuſcumque rei paterentur; quod etiam euidentiſſimè declaratum eſt in locis ſibi commiſſis.

Capvt VI.

Ex Chronico S. Benigni.

Præficitur Monaſterio S. Arnulphi Metenſi.

Fama ſacræ religionis eximij Patris Vuillelmi percitus quidam Metenſis Eccleſiæ Clericus generoſis ortus nomine Benedictus eius diſcipulatui eſt aggregatus, breuique in tempore ſtudendo eum imitari doctrina, & conuerſatione, perfectionem attigit Monaſticæ vitæ. Per eius igitur relationem comperit Dominus Adalbero Metenſis Pontifex Patris Vuillelmi religioſam conuerſationem, à quo ſuppliciter euocatus, atque Arnulphi Abbatia donatus eundem Benedictum ibidem conſtituit Patrem: vbi per multos annos ſacris intentus actibus, vita functus claruit multis virtutibus. Ne verò à tanto Pontifice reuerendus Abbas Vuillelmus rediret vacuus, munere ſtolam auro textam, duáſque cappas purpureas aureo limbo decoratas ab eodem percepit Præſule. Sed & præfatus Benedictus Abbas ordinatus, caſulam auro decenter ornatam, atque alia ornamenta obtulit ei pro benedictione. Quæ præfatus Pater tam in hoc loco, quàm Fructuarienſi à ſe nouiter cepto diuiſit, vt ſibi placuit. Prædictam verò S. Arnulfi Abbatiam poſt mortem antedicti Abbatis rexit annis multis.

Ca-

Capvt VII.

Ex Glabro Hiſtor. Lib. 5. cap. 1.

Vuillelmo præſidente Reomaenſium incenſa Domicilia.

Apvd Monaſterium Reomaenſe tempore venerabilis Vuillelmi Abbatis contigit, vt incendium circumiacentia Monaſterij depopularetur. Arripientes autem eiuſdem loci fratres Chriſmale conto impoſitum eleuauerunt illud contra incendij flammas dirè flagrantes. Statim verò idem ignis ſe in ſeſe retorquens minimè amplius, quàm inuaſerat arripere valuit. Pannus autem ille Dominicus aura flante à contulo elapſus plus minus duobus milliariis auolauit, vſque ad villam cui Tiuulgas vocabulum eſt, ibique ſuper domum cuiuſdam veniens ſedit, quo proſequutus ad Monaſterium dignanter eſt delatus. Contigerat enim in ipſo anno die Paſchæ in Eccleſia, quæ Monaſterio adiacet B. Pauli nomini dicata, vt calix viuifici ſanguinis de ſacerdotis manibus in terram laberetur. Sed vt prædictus pater comperit, vt erat vir ſolertis ingenij, tribus è ſuis Monachis huius delicti culpam pœnitere præcepit. Videlicet pertimeſcens ne culpa inſipientis Preſbyteri ſuos inuolueret cum illo ad vindictam vltionis. Quod etiam feciſſet, ſi non obſtitiſſet prouidentia ſagacis viri, vt rei probauit euentus. Atque idcirco iſta præmiſimus, vt intimaremus fidenter credere, ſicubi caſus huius ſacri ac viuifici doni negligenter euenerit, vltionis cladem diuinitus imminere ac ſubſequi, quemadmodum verſa vice quolibet in loco condignè illud tractari contigerit, abundare commodis vniuerſis.

De incendio Reomaenſi Chriſmalis oppoſitu extincto, Illuſt. 126.

Pœnitentia Reomaenſium Monachorum ob lapſum Calicis ſacri in terram, Illuſt. n. 127.

Annus Christi.

Capvt VIII.

Ex Chronico S. Benigni.

Fiſcanenſi donatus cœnobio multos ad Deum attrahit.

AVDITA viri Dei fama nobiliſſimus Normannorum Comes Richardus miſit ad eum reuerenter ſupplicans, vt ad ſe veniret, qui tandem libenter, vt rogatus fuerat, venit ad eum, à quo, ſicuti decebat, honorificè ſuſceptus eſt, multiſque eius precibus exoratus eſt, vt Eccleſiam ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis nomini & honori dicatam in loco, qui Fiſcanus dicitur olim conſtructam, & à ſe in ampliorem ſtatum decenter reformatam ſuſciperet, atque Monachorum Collegio decoraret. Cuius precibus annuens ita præfatum locum omnibus religioſis ſtudiis, cæteriſque bonorum copiis adornauit, vt præ cunctis illius prouinciæ locis felicibus ſemper floreat incrementis. In quo loco multi conuenerunt nobiles viri tam Clerici, quàm Laici eius doctrinis cupientes inſtrui. Inter quos Oſmundus Epiſcopus ſanctæ & religioſæ vitæ extitit Monachus, duo quoque Clerici liberalibus artibus apprimè eruditi, aula regis poſtpoſita, Vuillelmum patrem expetierunt mente deuota. Vnus eorum vocabatur Lecolinus, alter Berugerius. E quibus prior poſtmodum Abbas extitit, ſequens in eodem loco vitæ finem accepit. De tranſmarinis etiam partibus hoc eſt Anglorum terra vir quidam nobilis regali proſapia clarus, Clemens nomine, relictis ſæculi pompis ad idem Monaſterium venit, Deo inibi cupiens militare. Sed cùm ab hominibus ex ſua patria aduenantibus crebrò inuiſeretur, magis cupiens Deo ſeruire cum quiete, quàm vanitates mundi frequenter audire, Diuionenſe expetiuit cœnobium, vbi laudabilis vitæ compleuit curſum. Fuit itaque ſecundum etymologiam ſui nominis Clemens animo, omnibus virtutibus adornatus, præcipuè humilitate ſe tam

abiectum & vilem aſſerebat, vt cùm ſacerdotij gradu fungeretur, nunquam in omni vita ſua, niſi ſemel, ad hoc miniſterium accedere præſumpſerit. *Annus Chriſti.*

Caput IX.

Ex eodem Chronico.

Aliis donatur cœnobiis in Normannia.

COmmisit & alia loca memoratus Comes Richardus ſæpefato Abbati Vuillelmo, ſcilicet Gemmeticum, vt iam diximus, Monaſterium S. Audoeni, Montem Sancti Michaëlis Archangeli, in quo loco poſt mortem patris prædicti, ſupradictus Ioannes Abbas conſtituit Patrem quendam Monachum prænominati Patris Vuillelmi. Vocatus eſt autem idem frater Sulpo Romanorum patria excitus, & iam dicti magiſtri inſtitutione in omni ſanctitate educatus. Qui poſtmodum quibuſdam contrarietatibus exortis, relicto ipſo loco, Fructuarienſem Abbatiam annis pluribus rexit.

Caput X.

Ex eodem Chronico.

Apud Tullum Leucorum Monaſterio ſancti Apri diſciplinam reddit.

EX Tullenſi quoque Clero venit ad eum quidam, Arnulphus vocabulo, literis apprimè eruditus, omnique mundana ſapientia doctus. Hic in breui aſſequutus eſt perfectioris vitæ inſtitutionem. Commiſſa autem eſt ei cura à Domino Patre Vuillelmo, non ſolùm huius, ſed & omnium, quæ ſub eius erant prouiſione, locorum. Qui quanta in hoc loco egerit bona, pòſt referemus. Non enim ſilentio debent tegi verborum, quæ ipſius clarent ſtudiis

Annus Chriſti. operum. Interim proſequamur inſignium memoriam enarrare virorum; quia licèt nos eorum ſequaces tabeſcamus deſides ab eorum religionis feruore, & vndique interius ſcilicet, atque exterius, malis ingruentibus ab omnibus bonis ſtudiis torpentes, ſimili ignauia & pigritia aſtricti. Erunt tamen forſitan poſt nos aliqui, qui horum legentes geſta ſtudebunt imitari exempla. Dominus igitur Bertoldus Leucorum, quod Tullum dicitur, Epiſcopus per querimoniam à ſe dilapſi Clerici confabulationem quæſiuit ſæpefati Abbatis Vuillelmi, in cuius verbis conſiderans inconcuſſam, inadulatámque conſtantiam mentis, cæteraque inſignia virtutum in eius actis & moribus reſplendentia admiratus, monuit inſtanti prece, vt Abbatiam S. Apri ſuſcipiens emendare curaret ſecundum S. Benedicti inſtitutionem. Cuius annuens precibus idem cœnobium paucis annis in regularem commutauit ſtatum. Inuenit ibidem ſtrenuos Monachos, ex quibus vnum Vuidricum nomine poſt non multos annos in eodem Monaſterio conſtituit patrem Monachorum. Qui egregij magiſtri docilis diſcipulus, ita eum ſtuduit imitari in omnibus, vt in ſuis omnibus vel verbis, vel actibus repræſentari quodammodo videretur pater Vuillelmus. Multos denique erudiens in ſancta conuerſatione, aliquantos aliorum patres Monachorum ex ſua protulit congregatione.

CAPVT XI.

Ex eodem Chronico.

Sancti Benigni ſepulchrum ac templum mox à conditione ſpoliat ornamentis, vt famem plebis ſubleuet.

A PRIMO Gregorio Lingonenſi Epiſcopo fundata hæc Abbatia à Guntramno rege ſtabilita, & dilatata à Carolo Imperatore, cognominato Caluo, Domino Iſaac Epiſcopo reſtaurata, ab honorando præſule Brunone; &

Vuillelmo venerabili Abbate, non ſolummodo in aliis rebus, verùm etiam in noua Eccleſiæ fabrica, eſt renouata. In cuius baſilicæ miro opere Domnus præſul expenſas tribuendo, & columnas marmoreas, ac lapideas vndequaque adducendo, & Reuerendus Abbas magiſtros conducendo, & ipſum opus dictando, inſudantes dignum diuino cultu templum conſtruxerunt. Fundatum eſt autem hoc templum anno Domini cıↄı. Indictione xiv. die xvi. Kalen. Martij. *Et infrà.* Sepulcrum verò S. Martyris ita eſt conſtructum. Eſt tumba ex quadris ædificata lapidibus, cuius cacumen lapideum quatuor ſuſtinet ſuffragium columnarum. Deſuper autem quatuor columnæ marmoreæ locatæ erant antiquitus ſuper lapideos arcus, quos continebant, & abſidam ferebant ligneam ſex cubitorum longitudinis, & trium latitudinis, ſeptémque & ſemis altitudinis, quæ vndique auro & argento veſtita hiſtoriam Dominicæ Natiuitatis & Paſſionis præmonſtrabat, anaglypho prominente opere, pictura ſatis eximia. Verùm hoc decentiſſimum ornamentum, ob recreationem pauperum tempore famis fuit diſſipatum à Domino Abbate VVillelmo, cum capſa aurea mirificè gemmis ornata, paritérque tribus tabulis, ac duobus turibulis argenteis, crucibúſque, & omne ornamentum in auro, & argento venundatum eſt.

Annus Chriſti. 1001.

CAPVT XII.

Ex eodem Chronico.

Cùm apud Robertum Regem ſuboffendiſſet, deiectus eſt Reomaenſi præfectura.

QVANDIV vixit Bruno Epiſcopus, ita Burgundiam patrocinando protexit, atque defendit, non in clypeo & lancea, ſed conſilij prudentia, quo ſibi principes patriæ omnes deuinxerat, vt cùm Rex Francorum Robertus cum exercitu maximo hanc patriam ſæpe intrans incendiis, & rapinis plurima loca vaſtaret, nihil in ea reti-

De deiectione Guillelmi, n.118.

Annus Chriſti. poſt 1016. nere potuerit, quandiu Bruno Epiſcopus vixit. Et quia ei nocere non poterat, huius maleuolentiæ cauſa Domno Abbati Vuillelmo tulit Abbatiam S. Ioannis Monaſterij Reomaenſis, eo quòd partibus fauebat, vt iuſtum erat, ſui Pontificis.

Capvt XIII.

Ex eodem Chronico.

Epiſcopi & Abbates eius ſe ſubdunt diſciplinæ.

Plvres igitur Sacerdotum, vel Abbatum, ſibi commiſſorum locorum vel Eccleſiarum, relinquentes curam, ad patris Vuillelmi confluebant doctrinam. Quidam Epiſcopus ciuitatis Albingaunæ, quæ eſt iuxta Genuam ciuitatem ſuper mare ſitam in Italia, relicto Epiſcopatu, prædicti patris ſe ſubdidit imperio. Alter quoque Epiſcopus, Barnabas vocatus, genere Græcus, in hoc Monaſterio ſub eius magiſterio plurimis annis eſt conuerſatus. Alius verò Benignus dictus Epiſcopus, à Roma huc adueniens per aliquot annos cum ipſo commoratus fuit, ſubiectus & obediens. Abbates etiam perplures ex diuerſis partibus venientes ſponte ſe illi ſubiiciebant, obedire parati. Inter quos fuerunt Abbas Ioannes dictus Capuanus, alter quoque Ioannes Abbas ſancti Apollinaris in vrbe Rauenna, Benedictus quoque Abbas Monaſterij Sancti Seueri vrbis Claſſis, Anaſtaſius etiam, & Marcus, & alij Abbates plures, quos longum eſſet enumerare. Monachorum verò non eſt numerus, qui ab illis venerunt partibus. Archidiaconus etiam quidam Mediolanenſis, nomine Godfredus, vt nobilem decebat, nobiliter venit cum multis theſauris, inter quos altare onychinum auro, & argento decenter ornatum, & quidquid ad capellam pertinebat, ornamentum ſcilicet Eccleſiaſticum, ſecum detulit. Pluribus annis in hoc Monaſterio monachus permanſit, ac poſtea per conſenſum Abbatis Vuillelmi in patriam reuocatus, Abbas apud Mediolanum eſt conſtitutus.

Capvt XIV.

Ex eodem Chronico.

Romualdus & alij Eremitæ Itali ſocietatem ineunt cum illo.

IPSI denique ſancti viri Patres & Doctores Eremitarum exiſtentes, fama ſanctitatis longè latéque notificati, Romualdus ſcilicet Vuillelmus ac Martinus, quos in magna veneratione habebat vrbs Rauenna, cæterique, quos intra ſe concludit Italia, Patris Vuillelmi expetebant ſocietatem. Quia Sanctorum coniunctio grata, & iucunda, Eccleſiæque perneceſſaria, & è contra ſocietas malorum impedimentum bonorum. Ipſi verò cultores Eremi, relicta quiete ſolitudinis, gaudebant ſub eius magiſterio aſſociari cœnobitis. Ex eorum ergo numero adiuncti fuerunt ei duo, Ioannes, & Paulus, literis eruditi; quorum ſapientia ad ſalutem multarum profuit animarum. Horum vterque Monaſticæ religionis feruentiſſimus, & in cœnobiali conuerſatione cæteris erat imitandus. Vt in contemplatiua vita lectioni & orationi aſſiduè attendentes, videntibus exemplo eſſent pariter, & admirationi. Reuerēdæ memoriæ Paulus apud nos in pace quieuit. Ioannes verò homo Dei ob ſanctam conuerſationem, vocatus à Domno Patre Vuillelmo, Fructuarienſi cœnobio Abbas eſt inſtitutus.

Capvt XV.

Ex eodem Chronico.

Fructuarienſe cœnobium auctum, & alia in Italia condita.

DVO germani fratres fuerunt ſæpedicti Abbatis Vuillelmi, vnus vocatus eſt Nitardus, alter Gotefredus.

Annus Chriſti. Primus eorum honore comitatus enituit, alter militiæ ſtipendiis contentus fuit, quos prædictus pater ſæpe admonendo à mundi illecebris abduxit. Venientes ergo vterque ad hoc Diuionenſe cœnobium, exceptis rebus aliis, dederunt ſancto protectori noſtro Benigno, quoddam iuris ſui prædium Vulpianum vocatum, quodam præſagio futurorum. In quo loco Domnus Vuillelmus fundauit Eccleſiam in honorem S Benigni; vt notitia, & honor ipſius ſancti in illa patria accreſceret, & vt in hæreditate parentum ſuorum aliquid acceptum Deo ædificaret. Deinde, vt oblatio eorum ad animarum proficeret lucrum, atque vt fructus bonorum operum quæ ibi geruntur ſibi, & illis eſſet abolitio peccatorum, & æternæ vitæ digna recompenſatio præmiorum. Vnde & Fructuarienſis ille locus eſt vocatus. In breui ergo tempore factum eſt nobile cœnobium, vbi de hoc loco, & ſpiritualia, & temporalia ſubſidia ſunt delata. Reliquiæ ſcilicet multæ cum corporibus Sanctorum, volumina librorum, omniáque Eccleſiaſtica ornamenta, & Monachi plurimi pariter illuc abierunt. Sed & de aliis ſuæ ditioni ſubiectis locis, & vndecumque oblatis ſupplementis magnificatus eſt locus poſſeſſionibus, & diuitiis, ita vt in vita eius congregatio ipſius loci centum numero conſtaret monachis, exceptis locis cellarum ei loco ſubditis, quæ ferè triginta exiſtunt. Conuocatis ergo Epiſcopis patriæ, Rege quoque Arduino, qui ibi poſtmodum quieuit ſua cum coniuge, & multis nobilibus ipſius regni. In honorem Sanctæ Dei genitricis Mariæ, ſanctique Benigni, & omnium Sanctorum fecit locum illum ſacrari. Conſtituit & alia Monaſteria in eadem patria, vbi deputatis monachis, & Abbatibus ordinatis, adhuc ordo viget monaſticus. Sanctimonialium etiam inſtituit Monaſterium.

CAPVT

CAPVT XVI.

Ex eodem Chronico.

Qua mente Regum Palatia frequentaret.

AVGVSTORVM ſeu Regum palatia, cùm adiit in eis non quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti, quæſiuit, vt ex eorum ſcilicet familiari colloquutione ſubueniret oppreſſis ſua interuentione, aut certè ex ſæculari, vel Clericali habitu Deo lucrifaceret aliquem, vt iuxta Domini præceptum propria relinquerent, & ſæcularibus curis ſemotis Deo in tranquillitate ſeruire ſtuderent. Conueniebant igitur ad eum plurimi, vt diximus, licet diuerſi nationibus, mente tamen vniti. Lætabatur paſtor in ſui gregis augmento, magiſque gaudebat, quòd omnes inſtabant operi propoſito. Verùm quia ſuper gregem ſibi commiſſum ſolerti vigilauit cura diuinam promeruit gratiam de fructu laborum ſuorum in hac gaudere vita. Nam regularis vitæ diſciplinam, quæ iam penè deciderat per veterum negligentiam, prout beatus Benedictus eam compoſuit, in priſtinum ſtatum corrigendo reparauit, ac per diuerſas mundi partes plura Monaſteria à regulari tramite deuia tam per ſe, quàm per ſuos, quos Abbates ordinauerat, monaſtico ordini ſubdidit. In hoc verò gaudens gratulabatur Deo, quòd eorum, quos ſua ſub cura educauerat, ad monaſticum regendum ordinem ferè multos idoneos videbat. Ex quibus nos aliquos dignum iudicauimus huic libro inſcribere, vt ſciant poſteri, quàm ſtrenui ex hac congregatione prodierint Monachi, eorúmque memoria in laude maneat.

Annus Christi.

CAPVT XVII.

Ex Glabro lib. 3. Hiſt. cap. 9.

In inſolentiam veſtitus apud Robertum Regem eiúſque coniugem inuehitur.

OLIM circa milleſimum incarnati Verbi annum, cùm Rex Robertus accepiſſet ſibi Reginam Conſtantiam à partibus Aquitaniæ in coniugium, ceperunt confluere de genere eiuſdem Reginæ in Franciam, atque Burgundiam ab Aruernia, & Aquitania homines omni leuitate vaniſſimi, moribus, & veſte diſtorti, armis & equorum phaleris incompoſiti, à medio capitis nudati, hiſtrionum more barbis raſi, caligis & ocreis turpiſſimi, fidei & pacis fœdere omnino vacui. Quorum itaque nefanda exemplaria, heu prô dolor, tota gens Francorum nuper omnium honeſtiſſima, ac Burgundionum, ſitibunda rapuit, donec omnis foret nequitiæ & turpitudini illorum conformis. Si quilibet verò religioſus, ac Deum timens talia gerentes compeſcere tentauiſſet, ab eiſdem inſaniæ notabatur. Sed vir integerrimæ fidei ac conſtantiæ pater videlicet Vuillelmus, quem iam ſupra commemorauimus, reiecto pudore, ſumptáque ſpiritali inuectione Regem pariter, & Reginam cur talia in ſuo regno permitterent fieri, acerrimè increpat. Quippe quòd cæterorum honeſtiſſimum honore, & religioſitate diutiſſimè claruerat regnorum. Cæteros quoque inferioris gradus, ſeu ordinis ita redarguens comminabatur, vt plerique monitionibus illius coerciti, relicta ſuperſtitioſa vanitate in priſtinum ſe reformarent vſum. Aſſerebat igitur idem Abbas hæc omnia molimina, cauteria eſſe Satanæ, ac ſi quis hominum talibus inſigniis cauteriatus ex hoc ſæculo migraſſet, difficulter à diaboli vinculis poſſe eripi, in pluribus tamen nequam vſus conualuit.

Caput XVIII.

Ex Glabro lib. 4. Hiſt. cap. 1.

Epiſcopo Conſtantinopoleos vniuerſalis nomen ambienti obſiſtit.

Circa annum Domini milleſimum viceſimumquartum Conſtantinopolitanus Præſul cum ſuo principe Baſilio, aliique nonnulli Græcorum conſilium iniere, quatenus cum conſenſu Romani Pontificis liceret Eccleſiam Conſtantinopolitanam in ſuo orbe, ſicuti Romanam in vniuerſo, vniuerſalem dici & haberi. Qui ſtatim miſerunt, qui deferrent multa ac diuerſa donorum Xenia Romam, tam Pontifici, quàm cæteris, quos ſuæ parti fauere conſpicerent. Vbi venientes expoſuerunt apud Pontificem ſuæ profectionis querelam. Sed quid non pertentat cæcus amor habendi? Eſt prouerbium, aureo pugillo murum frangere ferreum. Ac licèt pro tempore philargyria mundi regina queat appellari, in Romanis tamen inexplebile cubile locauit. Mox namque vt videre Græcorum ſibi deferri fulgidas opes, verſum eſt cor illorum ad fraudulentiæ diuerticula, pertentantes an fortè clanculo concedere quirent, quod petebatur. Sed nequaquam. Non enim poteſt falli ſumma veritas quæ ſpopondit. *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Dum ergo adhuc leni ſub murmure huiuſce rei machinatores in conclaui ſe putarent talia tractaſſe, velox fama de ipſis per vniuerſam Italiam decurrit. Sed qualis tunc tumultus, quam vehemens commotio per cunctos extitit, qui audierunt, dici non valet. Præcipuè tamen vir prudentiſſimus, pater videlicet Vuillelmus, de quo iam diximus, ad Romanum Pontificem de hac re miſit Epiſtolam corpore breuem, ſed materia ingentem, ac ſermone pungentem, talia continentem.

1024. Euſtathius tunc fuit Conſtantinopolis Epiſcopus. lib. n. 129.

Matth. 16. v. 18.

Annus Chriſti.

CAPVT XIX.

Ex Glabro, ibidem.

Epiſtola Vuillelmi ad Ioannem XIX. aliàs XX. Pontificem.

GRATIA Dei, & reuerentia Beati Apoſtolorum Principis Petri, ſedium in orbe terrarum excellentiſſimam indepto Papæ Ioanni, Vuillelmus crucis Chriſti ſeruus, ſedem iudicij cum Apoſtolis, & regni coronam.

Magiſtri gentium dictis inſtruimur ſeniorem non increpandum. Idem tamen aliàs dicit. *Factus ſum inſipiens, vos me coegiſtis.* Idcirco igitur filiationis diligentia hortamur communem veſtram paternitatem, qualiter in vno imitemini cogitationes hominum peruidentem Dominum Saluatorem, vt dicatis ad aliquem vobis vnanimem, quemadmodum ipſe Petro. Quid dicunt homines de me? Si vero reſponſum illius ex fide fuerit, animaduertite qualiter ſonuerit. Si autem clarè, cuſtodite ne offuſcetur, ſi verò obſcurè, lux mundi oranda eſt, qualiter ita fulgeatis, vt vniuerſis in gremio Eccleſiæ conſtitutis ad viam mandatorum Dei gradiendam lumen præbeatis. Sed eſt fama rei, quæ nuper erga vos accidit, de qua, qui audiens non ſcandalizatur, nouerit ſe longè ab amore ſuperno diſparari. Quoniam licèt poteſtas Romani Imperij, quæ olim in orbe terrarum monarches viguit, nunc per diuerſa terrarum innumeris regatur ſceptris, ligandi, ſoluendique in terra, & in cœlo poteſtas dono inuiolabili incumbit magiſterio Petri. Atque iſta idcirco diximus, vt animaduertatis, non aliter Græcos quàm cenodoxia huiuſce, quam audiuimus apud vos rei quærere impetrationem. De cætero quoque optamus vti vniuerſalem decet antiſtitem, vos acriùs in correctione, ac diſciplina ſanctæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ vigere, æternêque ac feliciter valere.

1. Cor. 12. v. 11.

CAPVT XX.

Ex Chronico Sancti Benigni.

Plura in Francia Monaſteria reſtituenda ſuſcipit.

ROBERTVS etiam Rex Abbatiam S. Germani apud Pariſios precatus eſt prædictum patrem vt ſuſciperet, & ſecundum regularem inſtitutionem ordinaret, quod & fecit. Necnon & Odo Comes pari deuotione locum S. Faronis in vrbe Meldorum commiſit eidem venerabili patri. Sed & honorabilis præſul Metenſis Eccleſiæ Theodoricus Gorzienſem Abbatiam eodem zelo Dei commendauit ei defuncto illius loci Abbate. Qui dum præfatum regeret locum, ex clero Metenſi quendam Clericum Sigifridum vocatum literis bene doctum ad monaſticum attraxit ordinem, qui poſt eius deceſſum eandem rexit congregationem.

CAPVT XXI.

Ex Chronico Sigeberti anno 1027.

Reſtituendæ monaſticæ diſciplinæ Vuillelmo allaborant alij.

FLOREBAT hoc tempore Eccleſiaſtica Religio per Abbates nominabiles. In Francia quidem & Burgundia per Odilonem Cluniacenſem pietate inſignem, per Vuillelmum Diuionenſem ſeueritate reuerendum. In Lotaringia per Ricardum Virdunenſem pia grauitate & graui pietate diſcretum, per Poponem Stabulenſem, per Heliam Colonienſem, per Olbertum & Stephanum Leodicenſem, per Bernonem Augienſem.

Annus Christi.

CAPVT XXII.

Ex Chronico Sancti Benigni.

Fiſcani ſucceſſorem ſibi conſtituit Ioannem.

1030. POSTQVAM igitur per annos fere triginta Vuillelmus Abbas Fiſcanenſe rexit cœnobium; cùm iam ſenectute ſimul, & ægritudine grauaretur, & elegiſſet ſibi Fructuarienſem locum ad habitandum, deſiderans in patrio ſolo quieſcere, conſiderans Princeps regni Robertus, qui poſt patrem & fratrem defunctos, primatum tenebat Normannorum, petiit per legatos eundem patrem, vt Abbatem ſibi ſubſtitueret, quia loci ſtatus aliter ſine detrimento manere non poſſet. Ad cuius petitionem quendam ſibi valde dilectum monachum eiuſdem loci Priorem nomine Ioannem conſtituit Abbatem, licèt eum alibi magis optaſſet præficere. Hic in Italia partibus Rauennæ ortus, literis eruditus, ac medicinali arte per ipſius patris iuſſionem edoctus, religioſæ conuerſationis eius, doctrinæ quoque, ac omnium virtutum ipſius præ cunctis aliis extitit imitator ſtudioſus, qui ab exilitate corporis Ioannelinus diminutiuo nomine eſt dictus. Sed humilitatis, ſapientiæ, diſcretionis, ac cæterarum virtutum tanta in eo refulſit gratia, vt ſicut ſanctus refert Gregorius, in libro Dialogorum de Conſtantio Preſbytero; ita & in hoc mirum eſſet intuentibus in tam paruo corpore gratiæ Dei tanta dona exuberare. Sed quia adhuc nobiſcum habitat, ſufficit hoc tantùm dixiſſe. Dicit enim ſcriptura. *Ne laudes hominem in vita ſua.*

Eccli 11. v. 30.

Annus Chriſti.

Capvt XXIII.

Ex Glabro lib. 3. Hiſtor. cap. 9.

Monitum Vuillelmi Regi Roberto contra filios bellum gerenti.

Cepit Rex tractare quis potiſſimùm ex reſiduis filiis poſt ſe regnare deberet. Conſtituerat autem ſecundum Burgundiæ Ducem, Henricum nomine, poſt Hugonem natum, ipſúmque decreuit pro fratre in regnum ſublimare. Sed rurſum mater muliebri animoſitate agitata, tam à patre, quàm à cæteris, qui parti illius fauebant diſſentit dicens, tertium ad regni moderamen præſtantiorem fore filium, qui & Roberti patris nomine cenſebatur. Hoc quippe inter fratres diſcordiæ ſeminarium fuit. Coadunatis denique Rex in Metropoli Remis regni primatibus ſtabiliuit regni Coronæ Henricum, quem delegerat. Tunc demum poſt aliquod temporis ſpatium illi duo fratres firmato amicitiæ fœdere, præcipuè ob inſolentiam matris, cepere vi inuadere vicos, & caſtella ſui patris, ac circumcirca diripere, quæ poterant bonorum illius. Nam ille quem Regem fecerat Drogas illi caſtrum ſubripuit. Alter verò in Burgundiæ partibus Auallonenſe, atque Belnenſe. Pro quibus Rex graui turbatus amore colligens exercitum aſcendit Burgundiam bellum pluſquam ciuile patraturus. Interea cùm ſuper his venerabilem patrem Vuillelmum conſuluiſſet apud Diuionenſe caſtrum, quid agere deberet, oránſque, vt erat vir totius manſuetudinis & pietatis, qualiter tam pro ſe, quàm pro illis Dominum oraret, tale reſponſum ab eodem ſuſcepit. Meminiſſe te ô Rex conuenit iniuriarum opprobriorúmque patri & matri à te illatorum in tua iuuentute. Quoniam talia tibi iuſto iudice Deo permittente à filiis ingeruntur, qualia tu ipſe genitoribus ingeſſiſti. Hæc audiéns Rex patientiſſimè tulit, ſéque vltro culpabilem clamans, non negauit. Deinde

Annus Chriſti. poſt obſidionem ac depopulationem vtriuſque prouinciæ ad pacem redeuntes pauliſper quieuerunt. Anno quoque ſequenti menſe Iulio Robertus Rex apud caſtrum Meledunenſe diem clauſit extremum.

Capvt XXIV.

Ex Chronico S. Benigni.

Quomodo & quo anno obierit Vuillelmus.

Svnt adhuc plurima quæ deſcribi poſſent, ſed quoniam ad finem libri tendimus, his omiſſis obitum patris Vuillelmi intimare curamus. Poſtquam per annos quadraginta duos ipſe vineam Dominicam ſedulò coluit, eámque iugiter propagare amplificareque curauit, cùm iam ſenio infirmitatibúſque multis prægrauatus optaret diſſolui, & cum Chriſto eſſe, bonam conſummationem laborum ſuorum adimplere cupiens, per omnia Monaſteria, quæ ſub eius fuerant magiſterio pergere cepit, incipiens ab Italia, circumeundo & fratres exhortando, vt ea quæ ab ipſo didiciſſent mente retinerent, & opere adimplere ſatagerent. Siquidem eius doctrina fuit, iuxta quod præcipit S. Benedicti Regula, in verbo, in omni oratione, in veſtitus qualitate humilitatem videntibus ſemper oſtenderent, & vt honore inuicem ſe præuenientes dilectionem ſine ſimulatione exhiberent. His & aliis virtutum operibus intentos etiam diſtinctè legendi, & pſallendi magiſterio condiuit. Hæc docendo cæteris monaſteriis peragratis peruenit ad Cœnobium nomine Fiſcanum, vbi plus ſolito infirmitate prægrauatus, & ſentiens ſibi imminere vltimum vocationis diem, conuocatis fratribus per octo dies exhortans eos, atque abſolutione, & oratione Deo commendans, octauo die Natalis Domini, ſumpto Chriſti corporis, & ſanguinis ſacramento reddidit Deo ſpiritum. Cuius corpus à Medicis qui ibi aderant conditum aromatibus, honorificè traditum eſt ſepulturæ in ipſo Monaſterio ante

ante altare Sancti Taurini Confeſſoris. Poſt cuius obitum *Annus*
Domnus Alinardus ſuſcepit curam regiminis animarum, *Chriſti.*
quem præfatus pater ſucceſſorem ſibi elegerat cum conſilio & laude fratrum, baculúmque paſtoralem ei tranſmiſerat. Obiit verò prædictus pater noſter Vuillelmus anno ab Incarnatione Domini milleſimo triceſimo primo. Et in ipſo anno defunctus eſt Domnus Lambertus Lingonum Epiſcopus x. Calen. Septembris, antequam ipſe Pater expiraret. 1031.

De anno obitus Vuillelmi, Illuſt. n. 110.

Caput XXV.

Ex Glabro lib. 4. Hiſtor. cap. 4.

Miraculum ad Vuillelmi ſepulcrum editum.

IMMINENTE igitur anno Incarnati Chriſti milleſimo triceſimo tertio, qui eſt à Paſſione eiuſdem Saluatoris milleſimus, religionis ſigniferi Benedictus videlicet Papa vniuerſalis, ac Rex Francorum, vt iam diximus, Robertus, Fulbertus quoque Carnoti Præſul incomparabilis, vir ſapientiſſimus, necnon prænominatus pater Monachorum, fundatórque cœnobiorum eximius Vuillelmus. De quo etiam perplura dicenda forent vtilia, niſi quod in libello, quem de vita & virtutibus illius edidimus prolata dudum fuiſſe noſcuntur. Vnum reſtat tamen quod noui ibidem minimè contineri. Migrauit enim prædictus pater à ſæculo ad Beatorum requiem in Neuſtriæ partibus, in Fiſcanenſi videlicet Monaſterio ſupra mare Oceanum conſtituto, quod à Rotomagenſi vrbe quadraginta fere milliaribus diſtat, vti tantum condecebat virum, in loco optimo eiuſdem Eccleſiæ ſepultus. Poſt aliquot verò dies contigit, vt puerulus fermè decennis valida confectus ægritudine ad ſepulcrum illius gratia recuperandæ ſanitatis duceretur, ibique à parentibus dimiſſus decubabat ſolus, qui ſubitò reſpiciens vidit ſuper idem ſepulcrum inſidentem auiculam formam columbæ præferentem, quam diu intuens obdormiuit. Dehinc leui exolutus ſomno euigilans, ita ſe reperit incolumem, ac ſi nihil ægritudinis perſenſiſſet. 1033.

Annus Chriſti.

Suſcipiunt itaque læti parentes ſuum, fit omnibus commune gaudium.

Capvt XXVI.

Ex S. Odilone in vita S. Maioli.

Elogium Vuillelmi.

VNvs præcipuè refulſit, qui nuper rebus humanis exceſſit, & qui plus nobis omnibus laborauit, Domnus videlicet, & Abba Vuillelmus, de cuius clariſſimis actibus, & vita laudabili, & mirabili conuerſatione paruitas noſtra non ſufficit, quod ſentit ad plenum referre.

Capvt XXVII.

Ex Iotſaldo in Planctu tranſitus S. Odilonis.

Aliud Elogium.

IIsdem deceſſit Vuillelmus ſorte Calendis
Magnus & ipſe pater Monachorum Diuionenſis,
Hi fuerant Monachi Maioli denique ſancti
Vno florentes in tempore, corpore mundo,
Vnius & fidei, veræ pietatis amici.
Iunxit vtroſque fides, ſimiles habuere receſſus
Gloria non diſpar, eadem ſequitúrque corona.

HELDRICI ABBATIS XXXIII.

Rerum geſtarum excerpta.

Cavt I.

Ex vita S. Maioli autore Monacho Siluiniaci.

Heldricus ſanatur ad preces S. Maioli.

QVodam tempore pro Monaſterij vtilitate beatum Maiolum cum altero fratre Romam dirigi contigit

ab Abbate, qui expleta legatione dum redirent, & Eporediam ad hoſpitium venirent, frater qui eum comitabatur, Heldricus nomine, febrium correptus langore fatigari cepit acri ardore. Verumtamen ægritudine ingraueſcente cùm toto iam pateretur corpore, de vita deſperatus circa mortem tenebatur ſolicitus. Vir autem Dei, qui nihilominus, quam qui patiebatur de fraterno cruciatu triſtabatur, duplicato tunc afficiebatur infortunio, quia hinc eum fratris mœſtificauerat ægritudo, inde paterna quæ incepta pendebat legatio. Sed quid ageret neſcius diuinam clementiam exorare cepit attentius. Tribus tandem diebus peractis poſt matutinas laudes cùm ſe tandem ſopori dediſſet, quidam vir canitie reuerendus ei viſus eſt dicens. Quid ignauo mœrore deprimeris? Quid è memoria excidit quod frater meus Iacobus de infirmitatibus præcepit? Triſtatur aliquis veſtrûm? oret. Æquo animo eſt? pſallat. Infirmatur quis in vobis? Inducat Preſbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus. Hac viſione aliquantulum ſubleuatus animo ſtatim vt ſurrexit à ſomno celeri actione duxit ad effectum, quòd Apoſtolica fuerat reuelatione compertum. Res mira, & vehementer ſtupenda. Eadem quippe die, qua ſanctificato oleo, qui patiebatur eſt delibutus, ita ſanitati priſtinæ reſtitutus conualuit, ac ſi nullam corporis moleſtiam pertuliſſet. Altera die Domini gratulantes virtute conati ſunt iter ceptum perducere ad effectum.

Annus Chriſti. 949.

De tempore Romanæ profectionis Heldrici, lib. 1. c. 15.

Caput II.

Ex Roberto S. Mariani Monacho.

Præficitur Monaſterio S. Germani Autiſiodorenſi.

AVTISIODORENSI Eccleſiæ poſt Ricardum præfuit Heribertus filius Hugonis poſtmodum Francorum Regis. Hic licet curis carnis deditus eſſet, & pronior ad 983.

Annus Chriſti. mundana: religioſis tamen quibuſque Clericis, & præcipuè Monachis reuerentiam ſummi impendebat honoris. Sub huius tempore Dux Henricus frater eius, vt erat totius religioſitatis amator, Monaſterium beati Germani Domno Maiolo commiſit Abbati; vt ſicut in multis locis tam in Galliis, quàm in Italia fecerat, ſic inibi corrigenda corrigeret, & ſtatum ordinis monaſtici reformaret. Longo enim iam tempore tranſacto locus idem abſque Abbate à Præpoſitis regebatur. Qui gratanter illum ſuſcipiens regulari diſtrictione quæcumque repererat deuia ad vnguem correxit. Poſtmodum verò præfecit ibidem virum honorabilem Heldricum Abbatem, qui & ipſe prædictum locum ad regularis beati Benedicti tramitis informauit callem.

CAPVT III.

Ex Actis Flauigniacenſibus.

Heldrico concedit Valterius Eduenſis Epiſcopus decimas Capellarum Flauigniacenſium.

CHARTA Valterij Sanctæ Eduenſis Eccleſiæ Præſulis, qua ad deprecationem Heldrici, primi cœleſtis aulæ ianitoris, & Apoſtoli Petri atque Martyris egregij Praiecti, Abbatis cœnobij Flauigniacenſis, cum fratribus illic ſub norma S. Benedicti degentibus Abbatiæ prædictæ De Capellis, Illuſt. n.133. ſuæ ſedi decenter adnixæ, atque in honore prædictorum Sanctorum fundatæ, decimas ex Capellis, quarum beneficium eſt ex ipſa Abbatia ad victum, & vſum, tam Abbatis, quàm Monachorum ibi Deo famulantium Epiſcopalis autoritate firmitatis concedit. Acta Auguſtiduno feliciter
992. anno Incarnationis Dominicæ DCCCCXCII. Indictione v.

Anſcherius Archidiaconus,	Girardus Archidiaconus,
Hugo Abbas & Comes,	Erpertus Abbas,
Vualterius Abbas,	Vncbaldus Abbas,
Vncricus Abbas,	Hugo Abbas,

Ermuinus Abbas, *Annus Chriſti.*
Landricus Comes Neuernis,
Arlebaldus Sinemurienſis,
Aimus Comes Alſinſis,
Erlequis,
Terbaldus,
Ardraldus,
Anſedeus,
Enricus,
Vualterius,

Ego frater Flauardus indignus Sacerdos ſcripſi ad vicem Rodulphi Notarij, in menſe Martio, anno v. regnante Rege Rotberto.

Capvt IV.

Ex eiſdem Actis.

Præſtaria ab Heldrico conceſſa.

IVre firmitatis atque ſecuritatis antiquam Patrum proſequẽtes auctoritatem, omnibus tam præſentibus quàm futuris notum eſſe volumus, quia adiit Miles quidam nomine Gerardus Domni Hildrici Abbatis præſentiam, omniúmque fratrum Flauigniacenſis cœnobij poſtulans eorum clementiam, quatenus duobus filiis ſuis concederent poteſtatem quandam S. Petri ad ipſum locum pertinentem, Fontanas videlicet nuncupatam, Atoarienſi Comitatu coniacentem, quam ipſe eatenus tenere videbatur per chartis donationem. Ergo prænominatus Abbas, cunctique præſcripti Monaſterij fratres prædicti viri clariſſimi Gerardi ſuſcipientes petitionem, conſentiente Domno Valterio ſereniſſimo Eduæ ciuitatis Pontifice, conceſſerunt duobus filiis illius Gerardo atque Humberto, necnon vni hæredi illorum, qui primus poſt ipſos veſtitus fuerit, præſcriptam poteſtatem Fontanas videlicet cum Eccleſia in eadem poteſtate ſita aliſque duabus Eccleſiis, vna ſcilicet ex villa Domni Petri, aliáque ex villa Acellis nuncupata, cum omnibus appendiciis ad ipſam poteſtatem pertinentibus, vel quicquid habere videtur de ipſa poteſtate. In villa Fiſcintus Diuionenſe Comitatu conſiſtente, totum *De legibus Præſtariæ, n. 134.*

Annus Chriſti. prædictis conceſſerunt hæredibus, eo tenore & ratione vt quandiu vixerint teneant, atque poſſideant ſoluentes per ſingulos annos feſtiuitate S. Petri III. Calend. Iulij in cenſum, ſolidos decem. Quem ſi neglexerint, in duplum componant, & nequaquam perdant. Poſt obitum verò illorum trium hæredum redeat præſcripta poteſtas ad prænominatum Monaſterium cum tribus Eccleſiis, & villa nuncupata Fiſcentias, omnique integritate & melioratione, nec non & cum duobus manſis in villa .·.·.·.·. coniacentibus, quos ipſe Gerardus volens eam augere de ſua hæreditate ipſi appoſuit poteſtati. Vt autem hæc Præſteria per ſuccedentia annorum curricula ſecurior haberetur literarum annotatione, iam dictus Abbas propriiſque fratres manibus dignum duxere corroborari.

995. Heldricus Abbas, Amadeus, Letaldus, Letbaldus, Leterius, Gauſbertus, Aymo, Rodulfus, Bertuinus, Gauſfredus.

Actum Flauigniaco VIII anno, regnante Rege Roberto.

CAPVT V.

Ex Catalogo Abbatum Reomaenſium veteri.

Tribus ſimul Monaſteriis præfuit.

1003. *De tempore præfecturarum Heldrici, n. 132.*

HELDRICVS S. Maioli diſcipulus præſidebat anno Domini milleſimo tertio, & fuit pręſidens tribus Monaſteriis vno & eodem tempore, ſcilicet ſancti Germani Autiſiodorenſi, & Reomaenſi, & Flauigniacenſi.

CAPVT VI.

Ex Glabro lib. 2. Hiſtor. cap. 8.

A Roberto Rege Autiſiodoro pellitur.

OCCVRRIT interea furenti Regi Odilo venerabilis Abbas Cluniacenſis Monaſterij, cupiens interuenire

partes vtraſque, ſiquidem vt Regi exhiberetur honorificentia, ſolidaretur concordia principum, pax patriæ firmaretur. Qui minùs poſſe fieri cernens quod decreuerat, hortabatur fratres octo tantummodo, qui ad Confeſſoris cuſtodiam relicti fuerant. (Nam cæteros cum ſuo Abbate Heldrico nomine iuſſio Regis inde exire compulerat) vt orationi inſtarent aſſiduè, ſi fortè Domini pietas eos, paritérque locum à tanta obſidione dignaretur eripere. *Annus Chriſti.*

GVIDONIS I. ABBATIS XXXIV.

Rerum geſtarum excerpta.

Capvt I.

Ex Glabro lib. 2. Hiſt. cap. 9.

Notæ temporis quo Vulferius & Guido vixere.

Eodem tempore facta eſt fames præualida quinquennio in vniuerſo Romano orbe, ſic quidem, vt nulla audiretur non inops regio, & indigens pane, multique exhauſti inedia de populo perierunt. Tunc etiam per plura loca terrarum non ſolùm immundorum animalium, & reptilium, verùm etiam virorum, ac mulierum, infantiúmque carnes compulit fames horrida ſumere in cibum, nulla vel parentum obſtante neceſſitudine. Nam eouſque deuenerat huius ſæuitia famis, vt iam adulti filij conſumerent matres, ipſæque in paruulos remota pietate materna idem exercerent. Subſequente namque tempore gens Saracenorum cum Rege ſuo Almuror nomine egreſſa ab Africanis partibus occupans pene vniuerſam Hiſpaniæ regionem, vſque in Auſtrales Galliarum fines plurimas Chriſtianorum dedere ſtrages. Sed licet impar exercitu ſæpius tamen iniit cum illis prælia Vuillelmus Dux Nauarræ cognomento Sanctus. Tunc etiam ob exercitus raritatem

Annus Christi. poſt 1018. compulſi ſunt regionis illius Monachi ſumere arma bellica. Cæſæ denique grauiter vtræque partes, tandem conceſſa Chriſtianis victoria, poſt grande ſuorum diſpendium qui ſuperfuere Sarracenorum ad Africam fecere confugium. Sed & in illis diutinis conflictibus præliorum conſtat Chriſtianorum Religioſos complures occubuiſſe, qui potiùs ob fraternæ charitatis amorem cupiebant decertare, quàm propter aliquam gloriam laudis pompaticæ.

Capvt II.

Ex eodem.

Viſio illuſtris Vulferio obiecta.

De ætate Vulferij, Ill.n.135. Erat quippe eo tempore frater quiſpiam Vulferius nomine, dulcis admodum moribus, & conuerſatione in Monaſterio cognomento Reomaenſi, quod eſt ſitum in pago Tornodorenſi, cui etiam apparuit die quadam Dominica viſio ſatis credulitati commoda. Nam dum per expletionem matutinalium laudum in ſupradicto oraturus quieuiſſet Monaſterio, cæteris fratribus inde aliquantulum ad pauſam redeuntibus, ſubitò repletus eſt totius eiuſdem Eccleſiæ ambitus, viris ſcilicet veſtibus albis indutis, ac purpureis ſtolis inſigniter, quorum etiam continentiæ grauitas plurimum de ipſis inſtitueret eos cernentem. Qui verò eos præcedebat crucem manu geſtans Epiſcopum ſe eſſe multarum dicebat plebium, ibique die ipſo ſacra Miſſarum celebrare ſe oportere perhibebat. Referebat etiam tam ipſe, quàm cæteri ſe illius noctis cum fratribus eiuſdem Monaſterij matutinali interfuiſſe ſolemni. Aſſerebant inſuper optimè laudis officium, quod audierant illi diei congruere. Erat autem Dominica dies, octaua Pentecoſtes, in qua propter gaudij expletionem Reſurrectionis Dominicæ eiuſdémque Aſcenſionis, & Aduentus Spiritus ſancti, in pleriſque diuerſarum regionum locis, mos eſt pſallere Reſponſoria verbis valde honeſtiſſimis compoſita,

ac ſuaui ſonoritate referta, & vt mens valet humana, Deificæ Trinitati condigna. Cepit interea, qui præerat Epiſcopus ſuper altare ſancti Mauritij Martyris Miſſarum ſolemnia, eiuſdem Trinitatis antiphonam intonans, celebrare. Interim verò percunctatus eſt ſupradictus frater, qui, aut vnde eſſent, pro quaue cauſa illuc deueniſſent, cui ſatis leniter tale dederunt reſponſum. Profeſſionem, inquiunt, Chriſtianitatis geſtamus, ſed ob tutelam patriæ, Catholicæque plebis defenſionem gladius nos in bello Sarracenorum ſeparauit ab humanorum corporum habitatione. Idcirco nos omnes pariter diuina vocatio nunc transfert in ſortem beatorum. Sed ideo per hanc prouinciam nobis contingit habere tranſitum, quoniam plures ex hac regione infra breue temporis ſpatium noſtro ſunt addendi Collegio. Præterea is, qui Miſſarum explebat officium, finita oratione Dominica pacem omnibus dans, miſit vnum, qui ipſi fratri pacis oſculum daret. Qui vt feciſſet, innuit etiam ei vt ſequeretur. His ita completis, cùm vellet eos ſequi, diſparuerunt.

Annus Chriſti.

De officio Sanctæ Trinitatis, n.130.

Capvt III.

Ex eodem.

Alia viſio & mors Vulferij.

Intellexit quoque idem frater ſe in breui ſpatio exiturum à ſæculo, quod etiam ſic contigit fieri. Nam menſe quinto id eſt Decembrio, poſtquam hæc, quæ diximus, viderat ſui Abbatis imperio perrexit Autiſiodorum gratia medicandi aliquibus in Monaſterio beati Confeſſoris Chriſti Germani infirmantibus fratribus. Erat enim medicinæ artis ſtudiis inſtructus. Qui veniens illuc cepit commonere illos fratres, pro quorum cauſa aduenerat, vt quàm citiùs, quæ pro ſalute illorum agenda erant, exercere curarent. Cognouerat enim exitum ſuum proximum fore. Cui dum reſponderent, quieti indulge iam hodie pro

Annus Chriſti. fatigatione itineris, vt dies craſtina te valentiorem inueniat, ipſe ait. Si hodie quantum ſupereſt non expleuero, prout valeo, tum die craſtina noueritis me ex his nihil acturum. Qui ludere illum exiſtimantes, vt erat ſemper alacri mente placidus, quod monuerat, omiſerunt. Die autem altera illuceſcente præuentus acri dolore acceſſit, prout poterat, ad altare beatæ Mariæ ſemper Virginis ſacra Miſſarum celebraturus. Quibus peractis acceſſit ad domum infirmorum fratrum, iámque nimium dolentes artus compoſuit lecto. Cui vt talibus fieri ſolet ceperunt palpebræ ſomnum quærere inter anguſtias. Repente verò aſtitit ei virgo ſplendida coruſcans immenſo fulgore, interroganſque illum quam mentis dubietatem haberet. Quam cùm ipſe intuitus fuiſſet, adiecit, ſi de itinere metuis, non neceſſe eſt vt paueas, quoniam ego tibi cuſtos extitero. Ex qua viſione ſecurior effectus ad ſe venire mandans loci Præpoſitum, nomine Achardum, eruditiſſimum valde virum, qui poſtea eiuſdem Monaſterij Abbas extitit, narrauit ei non ſolùm præſentem, ſed etiam præteritam viſionem ex ordine. Qui dixit ei, confortare frater in Domino. Sed quoniam ea vidiſti, quæ raro humano viſui conceduntur, neceſſe habes perſoluere vniuerſæ carnis debitum, vt in eorum quos vidiſti poſſis admiſceri conſortium, conuocatiſque cæteris fratribus ſecundum morem ei viſitationem fecerunt. Tertia námque die peracta incipiente nocte migrauit à corpore.

Capvt IV.

Ex eodem.

Dæmonis in morte Vulferij voces.

QVem dum cuncti fratres ex more abluere, ac pannis componere pararent, ſignáque Monaſterij vniuerſa pulſarent, quidam laicus, ſed religioſus iuxta commanens ignorans obitum fratris, æſtimánſque ob nunciandos ma-

tutinos ſigna pulſari exſurrexit, vt ſolebat, pergere ad Ecclesiam. Qui cùm veniſſet ad pontem quendam ligneum, qui fere in medio erat itinere, audierunt plures ex vicinis voces quaſdam ex latere Monaſterij proclamantes, huiuſmodi. Extrahe, extrahe, & educ ad nos illum quantocius. Quibus etiam vocibus tale reſponſum redditum eſt. Hunc interim non queo, alium tamen educam ſi potero. Statim verò ille, qui ad Eccleſiam pergebat cernit ante ſe ſuper pontem, quaſi vnum vicinorum ſuorum, reuera ergo diabolum, contra ſe venientem, de quo etiam dubitare non poſſet. Quin etiam nomine proprio illum vocans monuit, vt prouidè tranſiret. Illico autem malignus ſpiritus turrigera ſpecie in altum ſe erigens, cupiénſque decipere hominem eius fallacem pompam viſibus ſequentem, quam tamen dum aſpiceret eius pes lapſus grauiter in ponte corruit, qui citiſſimè ſe erigens, muniénſque ſe ſigno crucis, cognita maligni diaboli fraude regreſſus domum, cautior eſt redditus. Paulo poſt nempe & ipſe in pace obiit. *Annus Christi.*

ODONIS I. ABBATIS XXXV.

Rerum Annotatio.

HÆc tantùm mihi hactenus de illo occurrit memoria. In veteri Catalogo Reomaenſi. Odo, inquit, qui fuit etiam Abbas Autiſiodorenſis. Et in Catalogo Abbatum S. Germani Autiſiodorenſis apud Robertum poſt Thealdum & Achardum, qui viuebat hoc tempore, vt eſt apud Glabrum lib. 2. Hiſtor. cap. 9. cenſetur Odo non alius vt puto ab hoc Reomaenſi.

MILONIS ABBATIS XXXVI.

Rerum Annotatio.

MILONIS geſtorum quæ ætatem tulere ſumma in eo tantum eſt quod ab Epiſcopo Lingonenſi Hu-

Annus Chriſti. gone, in cuius tempora incidiſſe videtur ipſius præfectura Eccleſiam Iuliacenſem Monaſterio ſuo impetrarit, vt traditur in priuilegio Guillenci.

HVGONIS I. ABBATIS XXXVII.

Rerum Annotatio.

REFERT in eodem Priuilegio Guillencus Lingonenſis Epiſcopus Arduinum prædeceſſorem in throno Lingonenſi ſuum Monaſterio Reomaenſi addixiſſe in poſterum Eccleſiam Aſiacenſem & quidquid ad eam attinebat. Quam rem incidiſſe in huius Hugonis præfecturam temporis ratio perſuadet.

HVGONIS II. ABBATIS XXXVIII.

Rerum Annotatio.

RAINALDVS Lingonenſis Epiſcopus quatuor Eccleſiarum Cortennacenſis, Ateienſis, Barrenſis & Camedonenſis decimis ac quotidianis muneribus auctiorem eſſe Reomaenſium rem familiarem voluit, vt reſtatur ibidem Guillencus, dum ſecundus iſte Hugo, vt veriſimilis calculus docet, præſideret.

THEODORICI ABBATIS XXXIX.

Rerum Annotatio.

MERVIT hic quoque Abbas Theodoricus, vt Robertus Lingonenſis Epiſcopus conceſſa à ſuperioribus priuilegia iuberet nouo priuilegio rata eſſe atque inuiolata.

GODEFREDI ABBATIS XL.

Rerum geſtarum excerpta.

Capvt I.

Ex Chronico Beſuenſi.

De Stephano Abbate Beſuenſi à quo inſtitutus Godefredus.

Stephanvs à venerabili Roberto Lingonenſi Epiſcopo & ab Abbate ſuo huic loco conceſſus, quamuis renitens Abbas effectus eſt anno Incarnationis Dominicæ CIↃ LXXXVIII, Indictione XI Epacta XXV. 1088
Iam verò quanta cura, quanto ſtudio hunc locum emendare & augmentare ſtuduerit, etſi ceſſent verba, ipſa teſtantur opera. Nam quamuis Monaſterium iſtud à quingentis aut eo amplius annis primitus fuerit conſtructum, à tempore omni Stephani Abbatis videtur ſumpſiſſe principium, ita omnia innouata, omnia ſunt in melius immutata. Nam quocumque gradiebatur hoc illi erat deſiderium, hæc illi mentis cupiditas, vt ſi alicubi aliquid vidiſſet honeſtum aut Eccleſiæ ſuæ neceſſarium, aut illud ipſe aſportaret aut ſimile in Eccleſia ſua ipſe conſtrueret. In religione verò ita refloruit locus iſte in diebus illis, vt vſque ad mundi dominam Romam famoſum nomen haberet Beſua, & per totam Galliam vſque ad maris littora. Vnde factum eſt, vt cùm primũ huc veniret, vix viginti eſſent Monachi, in diebus verò ipſius quinquaginta ſeu ſexaginta Domino ſeruientes, & victus ac veſtitus neceſſaria accipientes. Si verò computemus eos qui in Cellis noſtris extra Beſuam habitant, numerus vſque ad centenarium conſurget.

Annus Chriſti.

CAPVT II.

Ex eodem Chronico.

Godefredus & alij plures ad Præfecturas ex Beſuenſi Monaſterio adoptantur.

De Godefredi ætate & moribus, Ill n.137.

SED & illud eſt ei à Domino præſtitum, quod diebus eius aliqui conuerſi ad Dominum, & ab eo in hoc loco accipientes religionis habitum, poſtea facti ſunt & ipſi lumen Eccleſiarum. Præficitur namque Eccleſiæ S Michaëlis Tornodorenſi Dominus Vuido Abbas, præficitur Eccleſiæ S. Sequani Domnus Henricus Abbas, præficitur Domnus Euſtaſius Eccleſiæ Nouiomenſi S. Eligij, præficitur Eccleſiæ S. Ioannis Domnus Godefredus, & quamuis ipſe non fuiſſet noſter Monachus, de noſtro tamen Monaſterio eſt aſſumptus. Sed & alij complures ſub eo æmulatione paterna ducti in ædificando & aquirendo eum imitabantur patrem.

CAPVT III.

Ex Monumentis Reomaenſibus.

Præfectura, mores & mors Godefredi.

1098. GODEFREDVS præſidebat circa annum Domini milleſimum nonageſimum octauum. *Nota Chronica veteris Catalogi Abbatum.* Godefredus Abbas pacis amicus iacet in Capitulo. *Tabulæ funerariæ Reomaenſes.*

Annus Chriſti.

BERNARDI II. ABBATIS XLI.

Rerum geſtarum excerpta.

CAPVT I.

Ex Chronico S. Petri viui.

Litigium de Eccleſia Ritiacenſi inter Bernardum & Arnaudum Abbates.

RAINARDVS de Montebarro cenſum de Ritiaco ſi- Quis Rai-
mul, & de Pauliaco, qui Monaſterio ſancti Petri viui nardus de Montebar-
debebatur aliquot annis retinuit, poſtea Pauliacum vil- ro, Illuſt.
lam emit Abbas Moliſmenſis à Milone filio Rainardi, Ec- n.133.
cleſiam de Ritiaco Rainardus Eccleſiæ auctoritate iudi-
cante perdidit, & Bernardus Abbas ſancti Ioannis de Quis S.
Prato eam ab Epiſcopo expetiit, & inuaſit. Quod vbi ad Ioannes
notitiam noſtram peruenit, Arnaudus Abbas quia familia- de Prato, ibidem
ris, & ſocius noſtræ fraternitatis erat, literas ei miſit, qua- 1116.
rum exemplar hoc eſt.

Domno Bernardo amico ſuo Monaſterij S. Ioannis Reomenſis venerabili Abbati, frater Arnaudus Monaſterij S. Petri viui Abbas ſalutem in Domino.

Si bene & vos, & veſtra valeatis inde gaudemus. Cùm enim præcipuum ſit Domini mandatum, vt inuicem diligamus, tamen vos & veſtros inter amicos & fratres præcipuos accepimus. Verumtamen cùm in Synodo Lingonenſi nouiter habita, cui abſens fuiſtis, clamores renouaremus, quos in anteriori Synodo habuimus, inter cætera de Ritiacenſi Eccleſia, quam Rainardus de nobis tenebat, iuſtitiam Domini Epiſcopi inuocauimus, à quo vos eam occupaſſe accepimus. Ex conſulto itaque eius, & ei aſſidentium vos ſuper hac re conuenimus, & vt benignè, & cha-

Annus Chriſti.

ritatiuè noſtra dimittatis vos admonemus. Si enim quod abſit poſt firmatam inter nos, & vos ſocietatem ex induſtria occupaſtis noſtra, hoc eſt vnde in nimiam admirationem vertimur. Et quia Monachi veſtri Trecis ſatis contumeliosè noſtris Monachis dixerunt, nos in Synodo ſine ratiocinatione mutua de perſona veſtra querimoniam feciſſe, id penitus abnegamus, & vt veridicos nos comprobetis, exemplar literarum quas Lingonas miſimus, & vobis mittimus. Valete, & nobis ſuper hoc conuenientes literas reſpondete.

Capvt II.

Ex eodem.

Vadimonium inter Bernardum Reomenſem & Arnaudum S. Petri viui Abbatem.

HAs literas portauit Valbertus Monachus ad Monaſterium S. Ioannis, & non inueniens Abbatem dedit eas Priori, & Monachis eiuſdem Cœnobij, vt darent Abbati, quod dixerunt ſe facturos. Nec multò pòſt pro Comite de Montebardo, & Clarembaudo de Capis apud Caſtrilocum conuentu habito, idem Valbertus Epiſcopo, & Duci aliiſque principibus Burgundiæ ſe præſentauit reiterans clamores, quos erga præfatos Abbates habuerat. Epiſcopus verò humano pudore magis quàm Dei amore tactus Bernardo Abbati Monaſterij S. Ioannis diem, qua ad ius ipſe, & Arnaudus Abbas Monaſterij S. Petri viui conuenirent, per Archipreſbyterum Rainaudum in die Dominica, qua Miſericordia Domini cantatur, determinauit. Abbati verò Moliſmenſi ſic. Videlicet, quia ſi diem iuris Abbati Arnaudo denominare defugeret, ipſi Abbati apud Epiſcopum ſuper hac re nullam ſpem fore confugij. Huic interminationi Abbas Moliſmenſis ſe ſimulans fore obnoxium diem Abbati S. Ioannis itidem denominatam, & apud Ritiacum ſuſcepit. Abbas igitur Arnaudus vtrorumque

[illegible]s fuerit [illegible]us litis [illegible]s, Il- [illegible] n. 139.

rumque Abbatum aduentum Riciaci operiens ſpe fruſtratus eſt. Mainardo Archipreſbytero de Bardo ſuper Sequanam attendente, quis Abbatum veniret, & quis venire renueret. Iſte etiam Archipreſbyter apud Caſtrilocum, & teſtis dierum coram Epiſcopo poſitarum fuit, & ad diem veniens quomodo vtrimque ſe haberent vice Epiſc[illegible] expectauit. De importunitate tantæ iniuriæ omnibus mir[illegible]tibus Rainardus de Montebardo (intererat enim) nuſquam religionem eſſe acclamauit, & ſeſe vbique omnibus iudicialibus ſententiis deratiocinaturum euidenter patefecit, Eccleſiam Riciacenſem ſe & anteceſſores ſuos plus centum annis cenſualem de manu S. Petri viui tenuiſſe; & eam vi Epiſcopali ab eo extortam, Abbatem Monaſterij S. Ioannis occupaſſe, Abbate Arnaudo Monaſterij ſancti Petri viui hoc ignorante. Idem Abbas Arnaudus admirans, quid Moliſmenſis Abbatis abſentia ſignificaret, Moliſmum abiit, ſed Abbatem loci non inueniens tanto labore fruſtra conſumpto ad propria rediit. *Annus Christi.*

CAPVT III.

Ex eodem.

Eadem lis ad Legatum & Pontificem Romanum defertur.

ANNO CIↃCXIX Dominus Cono Præneſtinus Epiſcopus, & Legatus Romanæ Eccleſiæ Senonas venit, quem adiit Arnaudus Abbas, vt querimoniam faceret de Lingonenſi Epiſcopo, qui iuſtitiam diffugiebat ſibi facere de duobus Abbatibus ſupraſcriptis, cui miſit literas, quarum exemplar hoc eſt. 1119.

Cono Præneſtinus Epiſcopus & Romanæ Eccleſiæ legatus Iocetanno Lingonenſium Epiſcopo ſalutem.

Querimoniam venerabilis Arnoldi Abbatis Monaſterii S. Petri viui audiuimus de Abbate Moliſmenſi, & Abbate-

Annus Chriſti.

Monaſterii S. Ioannis de Prato, quorum vnus Eccleſiam ei aufert, alter villam cum ſuis appenditus. Vos autem iam bis diem placiti eis conſtituiſtis, ſed neque vos, neque Abbates ad vllam illarum venire voluiſtis, & quia iniuriam huius rei penes vos eſſe ſentimus, mandamus, & mandando obſecramus, vt inde plenariam iuſtitiam faciatis. Quod ſi facere nolueritis querimoniam eius ante Dominum Papam, quia de legatione noſtra eſt, me ſciatis perlaturum, & cauſam eius quantumcumque potero pro ecuturum.

Eodem anno Calixtus II. Papa poſt habitum Remis Concilium Senonas venit, quem adiit Abbas Arnaldus, & oſtendit illi literas de Pauliaco & Riciaco quas approbauit mittens Epiſcopo Lingonenſi literas ſuæ autoritatis ſigillo munitas, quarum exemplar eſt.

Callixtus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Ioceranno Lingonenſium Epiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Abbatis Arnaudi, & fratrum Monaſterii S. Petri viui querelam accepimus, quòd eis Moliſmenſis, & Reomenſis Abbates quaſdam poſſeſſiones, iamdiu à beati Petri Monaſterio poſſeſſas, iniuſtè abſtulerunt. Vnde fraternitati tuæ præcipimus, vt longa dilatione ſepoſita canonicam eis iuſtitiam facias, nec Monaſterio eidem obeſſe permittas, quòd ſecundum antiquam terræ conſuetudinem inſtrumenta ſine impreſſione ſigilli compoſita declarantur. Data Senonis Nonis Decembris.

De antiquo vſu ſigilli in Burgundia, Ill. n. 140.

Capvt IV.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Bernardus ſocietatem conſtituit inter ſuos, & ſancti Manſueti Tullenſis Monachos.

De ſocietatibus Reomaen. lib. 8, Ill. n. 141.

CATHOLICÆ fides Eccleſiæ totum diffuſæ per orbem neceſſario à ſe inuicem expoſcit, quorumcumque vnum caput Chriſtus eſt, vniuerſa compati ac congaudere

membra ſub capite Chriſto. Huic igitur formæ impreſſa Eccleſia S. Ioannis Reomaenſis, tempore Domni Bernardi Abbatis, ſtatuit cum Eccleſia Tullenſi, quæ ſub Patrocinio ſancti Manſueti fundata eſt ſocietatem huiuſmodi. Capitulum vtriuſque commune, ſtatutum eſt etiam aſſentientibus vtriuſque congregationis Abbatibus, & fratribus. vt ſi frater Reomaenſis Eccleſiæ propria voluntate, vel aliquo ſcandalo commotus Eccleſiæ beati Manſueti refugium petierit, & ibidem morari voluerit, gratanter & honeſtè quandiu libuerit ſuſcipiatur, etſi poſtmodum Eccleſiæ ſuæ reconciliati voluerit, abſque vlla ſatisfactione reconcilietur. Similiter & de S. Manſueti fratribus conceſſum eſt. Cùm verò obitus alicuius ex fratribus nunciatus fuerit, illico officium in generali, ſeptem Miſſæ, & ſeptem Officia, & triginta diebus, Verba mea, pro eo cantentur. Cùm vero obitus Domini Bernardi Abbatis, & Domini Rainaldi Abbatis nunciatus fuerit tricenarium integrum ei fiet. Feſtiuitas verò beatiſſimi Ioannis Confeſſoris & ſancti Manſueti ab vtriſque ſolemniter celebrabitur. Huius autem ſocietatis confœderatio temporibus perpetuis inuiolanda, conſentientibus nobis Guidone Abbate & conuentu Reomaenſis Monaſterii, & Vuillelmo Abbate, ac conuentu Eccleſiæ ſancti Manſueti Tullenſis in his temporibus eſt innouata. Actum anno Domini milleſimo ducenteſimo triceſimo quarto, decimotertio Calendas Iunii. *Annus Christi.* 1234.

CAPVT V.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Priuilegium Guilleuci Epiſcopi Lingonenſis Ricia-cum & alias Eccleſias Bernardo confirmantis.

In nomine ſummæ & indiuiduæ Trinitatis Patris & Filij & Spiritus ſancti. Amen.

SANCTORVM prædeceſſorum noſtrorum ordinatio labilis memoriæ defectum ſeu fortunæ mutabilitatem

in futurum præcauens, multimodis nos inſtruit exemplis ea, quæ in Eccleſia Dei ſolemniter aguntur, literalibus tradere monimentis, & Epiſcopalibus confirmare munimentis. Eorum igitur meritis, & dignis operibus pro ſpe, & retributione cœleſtium participare deſiderans, Guilencus ego nutu Dei almæ Lingonicæ ſedis Epiſcopus, hoc in diuinæ miſericordiæ reſpectu pietatis genere conſulendum deſtinaui, vt eleemoſynis, & benegeſtis prædeceſſorum meorum Monaſterio Reomaenſi rationabiliter ſubſcriptis, & deputatis manum fauoris mittam, & per bonæ voluntatis holocauſtum iuſtorum me benefactis intercludam. Laude igitur & conſilio fidelium noſtrorum totius Lingonenſis Eccleſiæ, interueniente Domno Bernardo Reomaenſis Monaſterii Abbate præſtantiſſimo, Deo primùm, & beatæ Dei Genitrici Mariæ, & beato Ioanni Reomaenſis Monaſterii, & Monachis ibi in ſeruitio Dei aggregatis, vel eis in perpetuum ſucceſſuris, de omnibus rebus ſubinſertis, ſecundum priuilegia Sanctorum prædeceſſorum meorum Lingonenſium Epiſcoporum, huiuſmodi teſtamentum ex parte mea conſtituo, conſcribo, & confirmo. Priuilegium Sigoaldi Epiſcopi de conſecratione Abbatis, de fraterna dilectione, de charitatiua fratrum caſtigatione, & emendatione, ſed & de omnibus, quæcumque Epiſcopaliter præcepit, & confirmauit, laudamus & confirmamus. Priuilegium Guidrici Epiſcopi, de tribus Eccleſiis, videlicet de Aſiaco, & de Similiaco, & de Vincis. Priuilegium Acchardi Epiſcopi de Eccleſia Corpus Sancti, de Eccleſia Montis Bertaldi, Berfontis, & Aſneriis, Riceij, & Nuidis. Priuilegium Hugonis Epiſcopi de Eccleſia Iuliaci. Priuilegium Arduini Epiſcopi, de iure Parochiæ Aſiaci, & de integritate ipſius. Priuilegium Raynardi Epiſcopi de Eccleſia Curtannaci, cum appendiciis ſuis, de Eccleſia Ateienſi, de Eccleſia Barri, de Eccleſia Camedonenſi. Priuilegium Ioceranni Epiſcopi de Eccleſiis Byrrei, Ricei, Curtannaci, cum appendiciis ſuis, Capella videlicet Montis Barri Eccleſiæ ſubſcripta, & ſubiecta, de iure fundorum, & caſamentorum beati Ioannis, de obla-

Cur hæ tabulæ dictæ teſtamentum, Illuſt. n. 142.

De exemptione Reomaenſium ab Epiſcopi ſubiectione, Illuſt. n. 143. 144.

Anno Chriſti.

tionibus, & decimis laicorum perſonis abiudicatis, & in omnibus parochiis illis per manus Epiſcoporum ſaluo iure Eccleſiæ noſtræ beato Ioanni redditis, & conceſſis. Priuilegium Roberti Epiſcopi de rebus ſupraſcriptis & inferius ſubiiciendis. Has igitur omnes denominatas Eccleſias, & quæcumque antiquorum Patrum ſeu Principum pia deliberatione ad proprietatem prædicti Monaſterij pertinere cognouimus, pro poſſe noſtro redintegrare, & reformare cupientes, iuxta legem, & determinationem ſingulorum propriè, & communiter ſalua conſiſtere, & inuiolata permanere cenſemus, & præcipimus. Et quidquid boni ratione iuſtitiæ ex noſtra parte ſuperaddere poſſumus, Spiritus ſancti gratia cooperante ſuperaddimus, & concedimus. De duabus verò Abbatiis illis Sanctimonialium, Orbiaci videlicet, atque Rubei montis, quarum vna in proprio beati Ioannis prædio, altera in propria parochia conſtructa eſſe cognoſcitur, ſcandalum diſcordiæ penitus contradicentes, vt debitum honorem, & reuerentiam Domno Abbati & ſuis exhibeant, mandamus & obſecramus. Non enim licet aliis Monachis ſubintrare, ſi aliquando contigerit in Abbatiis illis ordinem immutari ratione aliqua. Cœmiteria verò in ſuis parochiis antiquitus conſtructa, & conſecrata ſecundum parochialia iura ſuos vſus habeant, & obtineant, nec alterius parochianum aliqua Eccleſia recipiat, niſi per conſilium Eccleſiæ ſuæ, Abbas vel miniſter eius hoc fieri permittat. Hæc autem omnia tam ex prædeceſſorum noſtrorum, quàm ex noſtro præcepto generaliter aſtruentes, chartam ſubinde pleniſſimè conſcriptam, & adſtipulatam. In iſto Synodali conuentu manus propriæ tactu, & ſubſcriptione confirmamus, & Archidiaconis noſtris ordinabiliter confirmandam donamus. Si quis verò contra iſtius noſtræ definitionis paginam obuius ire præſumpſerit, bis vel tertio commonitus, niſi ſe correxerit, & ad emendationem venire feſtinauerit, inferni pœnis ſubiaceat, & cum miſero Diuite Lazarum à longè videat, nec ad illius felicitatem vnquam pertingere valeat.

De Monaſteriis Virginum ſubditis Reomaenſibus, Ill. n. 145.

Quid confirmatio per tactum manus, Illuſt. n. 146.

Annus Chriſti. Acta ſunt hæc Lingonis in plenaria Synodo, anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo viceſimo ſexto, Apoſtolicæ Sedis Cathedram obtinente Domno Honorio II, Francorum excellentiſſimo Rege Ludouico, Lingonenſis Eccleſiæ Epiſcopo Domino Guilenco.

1126. Quid eſſet plenaria Synodus, III. n. 147. Quis Archiclauus, III n. 148.

Ego Lambertus Lingonenſis Eccleſiæ Archiclauus ſubſcripſi.

Ego Aitardus Decanus Lingonenſis Eccleſiæ ſubſcripſi.

Ego Gocelinus Archidiaconus ſubſcripſi.

Ego Guido Archidiaconus ſubſcripſi.

Ego Garnerius Archidiaconus ſubſcripſi.

Ego Fulco Archidiaconus ſubſcripſi.

Ego Durannus Notarius ad vicem Fulconis Cancellarij ſcripſi, dictaui, & recitaui.

CAPVT VI.

Ex Catalogo Abbatum Reomaenſium.

Opera eius & tempus Præfecturæ.

BERNARDVS Eccleſiam Reomaenſem renouauit à fundamentis, & præfuit Monaſterio ab anno Domini
1133. milleſimo centeſimo nono, vſque ad annum milleſimum centeſimum triceſimum tertium.

CAPVT VII.

Ex Marmoreo eius ſepulchro in clauſtro.

Epitaphium.

PASTOR Bernardus Reomenſis vt optima nardus
Hac tegitur petra, ſed flamine viuit in æthra,
Cuique Calendarum Iani duodecima præbet
Lux obitum, claram ſed Chriſtus in æthere ſedem.

Anno Christi.

PETRI ABBATIS XLII.

Rerum geſtarum excerpta.

CAPVT I.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Priuilegium Stephani Eduenſis Epiſcopi, quo Petro Eccleſias nouem donatas olim Monaſterio ſancit.

SVMMÆ Charitatis eſt miſerias miſerorum releuare, pauperibus Chriſtum ſequentibus communicare, fidelium piis petitionibus acquieſcere. Quapropter ego Stephanus Eduenſis Eccleſiæ Epiſcopus licet indignus, Petre Reomaēſis Eccleſiæ venerabilis Abba, tuæ deuotionis precibus acquieſcens Eccleſiam Tiſiaci, Eccleſiam de Iox, Eccleſiam Sanctæ Magnentiæ, Eccleſiam de Suenciaco, Eccleſiam Rouuredi, Eccleſiam quæ dicitur ſancti Medardi, Eccleſiam ſancti Germani de Mundaum, Eccleſiam de Iuniaco, Eccleſiam Charreij in honore ſancti Petri conſtitutam cum appendiciis earum ad nos pertinentibus, pro remedio animæ meæ Reomaenſi Eccleſiæ ſancti Ioannis, cui præſides concedo. Quas etiam neceſſitatibus fratrum noſtros prædeceſſores huius ſanctæ ſedis Præſules conceſſiſſe, & eaſdem ab Eccleſia Reomaenſi diu poſſeſſas non ignoro. Donationes earumdem conſilio Archidiaconorum noſtrorum Gaufridi, Siguini, Humberti confirmo, & confirmans ſigilli noſtri autoritate corroboro laudante Capitulo; Teſtantur iſti

De ætate Stephani Eduenſis, III. n. 149.

Obertus Prior Sancti Symphoriani,
Guido Monachus qui erat cum Abbate,
Ebrardus Aualonenſis Archipreſbyter,

Annus Christi. Arnulfus Eccleſiæ Sedeloci Decanus & Archipreſbyter,
Girardus Lucciacenſis Præpoſitus,
Galterius Cappellanus,
Ioannes Canonicus,
Ioſbertus de Monteforti,
Gentinus Preſbyter,
Boſo Preſbyter,
Rotbertus Capellanus de Monte Regali,
Theobaldus Preſbyter de Corentiaco,
Rotbertus de Domno Petro Preſbyter,
Albertus Miles de Subernio,
Arnulfus Miles de Liniaco,
Durandus cliens Reomaenſis Eccleſiæ,
Lambertus Maior eiuſdem Eccleſiæ,
Bernardus de Sancto Georgio,
Vuicardus Seruiens,
Et alij quamplures.

Acta ſunt hæc Eduæ publicè anno ab Incarnatione Do-
1139. mini CIↃCXXXIX. regnante Ludouico Rege Iuniore, Odone Duce Burgundiæ menſe Maio, VIII. Kal. Iunij, Luna XII, Epacta VII, Indictione I, concurrente V, Innocentio Romanæ ſedis Cathedram gubernante.

Hoc Priuilegium totidem verbis innouauit anno poſt
1147. hunc octauo Humbertus Eduenſis Epiſcopus Eugenio III. Pontifice, teſtibus, Guillelmo Fontanetenſi Abbate, Balduino Caſtellionenſi Abbate, Guillelmo & Milone Fontanetenſibus Monachis, Guidone Clareuallenſi Monacho, Theobaldo priore, Guidone, Odone, altero Odone, Drogone Flauigniacenſibus Monachis, Gaufredo, Henrico, Nicolao Flauigniacenſibus Monachis, Henrico Archidiacono ſubſcribente, eodem Rege & Duce, ideoque hoc loco eſt omiſſum.

CA-

Annus Chriſti.

CAPVT II.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Sententia Godefridi Epiſcopi Lingonenſis Petri cauſa data, vt componeretur lis inter Eccleſiam S. Ioannis & Rubeimontis.

QVONIAM Deo annuente paſtoralis cura nobis commiſſa eſt, ſollicitè prouidere nos condecet, vt in gregibus nobis creditis, ſi quæ ſpinæ diſcordiarum pullulare ceperint, mox falce ſententiæ noſtræ recidantur. Ego igitur Godefridus ſanctæ Lingonenſis Eccleſiæ humilis miniſter cognita controuerſia, quæ inter Eccleſiam S. Ioannis de Pratis, & Eccleſiam S. Mariæ Rubeimontis de parochia Aſiaci, cæteriſque, quampluribus querimoniis diu exagitata fuerat, aſſenſu, & laude vtriuſque partis, ratione, æquitatéque dictante finem imponere curauimus. Præcepimus itaque, quatenus bis in anno, ſcilicet in feſto ſancti Germani, feſtóque omnium Sanctorum de Caſtro, atque de Burgo omnes de tota parochia ad Eccleſiam Aſiacenſem, cum debitis oblationibus generaliter conueniant. Præterea confeſſiones, reconciliationes, puerperarum, nuptiarum, iudiciorúmque benedictiones, cereus, & chriſma, omnia ad parochiam pertinentia, iuſſione noſtra eidem Eccleſiæ collata ſunt. De baptizandis infantibus ſic definitum eſt, vt qui potuerint occurrere ad Parochiam, ibidem baptizentur. Si autem neceſſitas popoſcerit à Parochiano Aſiaci in Eccleſia S. Mariæ baptizentur. Defuncti omnes ad Eccleſiam Aſiaci ſepeliantur, exceptis iis qui præmiſſo iure Parochiæ ad Eccleſiam S. Mariæ ſepeliri voluerint, qui redditi à Parochiano, conuentu exeunte recepti fuerint. Sin aliter nullo modo reddantur, immo ad Parochiam ſepeliendi deferantur. Hæc à nullo alio præſumantur niſi à Parochiano, vel ab eo cui ipſe neceſſitate exigente iniunxerit. Acta ſunt hæc VIII. Calen. Nouemb.

De iis quæ apud Aſiacum attribuit Godefridus Reomaenſibus, Illuſt. n. 150.

Annus Chriſti. 1141. Innocentio II. Romanæ ſedis Papa exiſtente, Regnante Ludouico Rege Iuniore, anno ab Incarnatione Domini CIↃCXLI, vtraque parte laudante.

Præſente Rainardo eiuſdem caſtri Domino. Audientibus his Garnerio Archidiacono, Boſone Decano de Montebarro, Milone Decano de Siſimis. Rainerio milite de Roca, Rogerio de Anciaco. Adfuerunt etiam hi ex parte Eccleſiæ S. Ioannis. Petrus eiuſdem Eccleſiæ Abbas, Odo Monachus, Bernardus Claudus, Bernardus Præpoſitus, Thebaudus filius eius, Galerannus, Stephanus Moran, Theodoricus de Taueniaco. Ex parte Eccleſiæ S. Mariæ Rubeimontis adfuerunt hi. Abbatiſſa eiuſdem Eccleſiæ nomine Damnuis, Maria de Nuceriis, Simon Capellanus eius, Petrus Arnaldus, Milo Faber, Galterius de Garda.

CAPVT III.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Alterum iudicium Godefridi Epiſcopi Petro agente in lite Eſtiuenſi pronunciatum.

In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis.

EGo Godefridus Dei gratia Lingonenſis Epiſcopus notum facio tam præſentibus quàm futuris, quòd diſcordia erat inter Rogerium de Anceio, & Garnerium de Diuione, & Humbertum de Mons, maritos ſororum ſuarum, Luciæ, & Margaritæ: & Eccleſiam S. Ioannis Reomaenſis de iis quæ capiebant in villa Eſtiue. Volebat enim Rogerius, & illi plus capere quàm deberent ibi. Cognouit itaque Rogerius in præſentia noſtra, quòd ibi deberet habere ſaluamentum ab Abbate, & illi ab eo pro ſororibus quarum viri erant. Fecit autem Rogerius hominium Petro Abbati, pro ſaluamento, quod tale eſt. In Manſis ſancti Ioannis (excepta terra quæ fuit Heriodi, & Manſis in quibus habitant homines vel habitaturi ſunt, in quibus

Quid eſſet ſaluamentum, Illuſt. n. 151.

clamat Heldietius) ſingulis annis ſextarium hordei, vel *Annus*
auenæ, & duo panes, & duo membra carnis porcinæ, ſi *Chriſti.*
porcus in eodem manſo nutritus fuerit, & occiſus. Sin
autem duæ gallinæ, & ſextarium vini; quòd ſi vinum deſit,
pro vino dent nummos, quantum venditur ſextarius apud
Rubeum montem. Manſi qui ſunt in cœmeterio dant dimidium
ſaluamentum. Extra cœmeterium ſunt decem &
ſeptem Manſi, qui ſimiliter dant dimidium ſaluamentum.
Si quis hoſpitatur in aliquo Manſo S. Ioannis, & non habeat
illum integrum, dabitur ei extra villam iugerum terræ,
& reddet integrum ſaluamentum. Et ſi quis Manſus
in pluribus partibus diuiſus fuerit, & hoſpitatur ab hominibus,
tale ſaluamentum quod debebat antequam diuideretur,
tale poſtea reddat. Annona & vinum redditur in feſto
Sancti Martini, panis & caro in feſto Sanctorum Innocentium,
vel in die craſtina. Quòd ſi panis non placet eis,
pro ſingulis dabuntur ſinguli denarij. Miniſtri militum
qui hæc accipiunt de ſuo viuant, & non de ruſticorum. Et
ſi ruſtici infra octo dies non dant quod debent, facient clamorem
famulis Abbatis, vel ipſi Abbati. Quòd ſi Abbas
vel miniſtri eius, intra quindecim dies poſt clamorem,
non faciunt eis iuſtitiam, ipſi deinceps per ſe faciant. Et
ſciendum quòd ſaluamentum iſtud nuſquam reddetur niſi
in eadem villa. Si verò milites vel miniſtri eorum propriam
iuſtitiam fecerint ibidem, vel apud Rubeum montem, ipſam
facient, & non longius. Hoc caſamentum laudauit
Rogerius, & hæc conſuetudo recognita eſt in præſentia
noſtra coram multis teſtibus. Vltra hanc conſuetudinem
quæ dicta eſt, ſub anathemate interdicimus, ne milites, vel
miniſtri eorum aliquid capere præſumant, & vt ratum, &
inconcuſſum deinceps habeatur, ſigilli noſtri impreſſione
munimus appoſitis teſtibus, qui huic negotio terminando
interfuerunt.

Engodus Monachus,	Boſo Archipreſbyter,
Odo Monachus,	Rainerius de Roca,
Pontius Archidiaconus,	Hugo Cheualchea,
Stephanus Archidiaconus,	Rainerius de Pulteria,

Annus Chriſti.

Rainaldus Vicecomes,	Bernardus Præpoſitus,
Humbaldus Altré,	Galerannus frater eius,
Milo Libornes,	Stephanus Moran,
Helias frater eius,	Henricus Maleſmainus,
Bruno Saluages,	Lambertus Maior,
Bernardus Ambeſas,	Petrus Maior,
Robertus de Leholi,	Varimbaltus,

1141. Acta ſunt hæc anno ab Incarnatione Domini CIↃCXLI, Apoſtolicæ ſedis Cathedram obtinente Domno Innocentio, Francorum excellentiſſimo Rege Ludouico.

CAPVT IV.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Iterata donatio Eccleſiarum de Aſneriis, & de Nuid à Gotefrido Epiſcopo Lingonenſi.

GODEFRIDVS Dei gratia Lingonenſis Epiſcopus, Petro venerabili Abbati Monaſterij Reomēſis, eiúſque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum. Æquitatis ratio poſtulat, vt qui Deo familiariùs ſeruiunt, eis diligentiùs ſolicitudinis noſtræ curam impendamus. Ea propter dilecte in Chriſto fili, Petre, do & concedo tibi, tuiſque ſucceſſoribus ad vſum fratrum tuorum apud Reomaum Monaſterium Deo famulantium, liberè & quietò perpetuò poſſidendam Eccleſiam de Aſneriis,& Eccleſiam de Nuid & præſentationem Presbyteri in eiſdem Eccleſiis, ſaluo iure Lingonenſis Epiſcopi; & vt hoc donum apud poſteros ratum maneat, & inconcuſſum proprij ſigilli impreſſione, & teſtium adnotatione confirmo.

Signum Nicolai Abbatis Caſtillionis,
Signum Garnerij Archidiaconi,
Signum Pontij Archidiaconi,
Signum Hugonis de Calma,
Signum Achardi præpoſiti.

1145. Actum anno gratiæ CIↃCXLV.

Annus Chriſti.

CAPVT V.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Priuilegium Gotefridi Epiſcopi Lingonenſis de Eccleſiarum donationibus.

In nomine ſummæ & indiuiduæ Trinitatis Patris & Filij & Spiritus ſancti, Amen.

SANCTORVM prædeceſſorum noſtrorum ordinatio labilis memoriæ defectum, ſeu fortunæ mutabilitatem in futurum præcauens, multimodis nos inſtruit exemplis ea, quæ in Eccleſia Dei ſolemniter aguntur literalibus tradere monumentis. Eorum igitur meritis, & dignis operibus pro ſpe, & retributione cœleſtium participari deſiderans, Gotefridus ego nutu Dei almæ Lingonicæ ſedis Epiſcopus, hoc in diuinæ miſericordiæ reſpectu pietatis genere conſulendum deſtinaui, vt Eleemoſynis, & benè geſtis prædeceſſorum meorum Monaſterio Reomaenſi rationabili iure ſubſcriptis, & deputatis, manum fauoris mittam, & per bonæ voluntatis holocauſtum iuſtorum me benefactis intercludam. Laude igitur & conſilio fidelium noſtrorum, & totius Lingonenſis Eccleſiæ, interueniente Domno Petro Reomaenſis Monaſterij Abbate præſtantiſſimo, Deo primùm, & beatæ Mariæ Virgini Dei Genitrici, & B. Ioanni Reomaenſis Monaſterij, & Monachis ibi in ſeruitio Dei aggregatis, vel eis in perpetuum ſucceſſuris de omnibus rebus ſubinſertis, ſecundùm priuilegia prædeceſſorum meorum Lingonenſium Epiſcoporum, huiuſmodi teſtamentum ex parte mea conſtituo, conſcribo & confirmo. Priuilegium Sigoaldi Epiſcopi de conſecratione Abbatis, de fraterna dilectione, de charitatiua fratrum caſtigatione, & emendatione, ſed & de omnibus quæcumque Epiſcopaliter præcepit, & confirmauit, laudamus & confirmamus. Priuilegium Guidrici Epiſcopi

Annus Chriſti.

de tribus Eccleſiis, videlicet de Aſiaco, de Similiaco, & de vineis. Priuilegium Acchardi Epiſcopi de Eccleſia de Scolis cum appenditiis ſuis. Priuilegium Brunonis Epiſcopi de Eccleſia Corporis ſancti, Montis Berraldi, Betfontis, Aſneriis, Ricei, & Niudis. Priuilegium Hugonis Epiſcopi de Eccleſia Iuliaci. Priuilegium Arduini Epiſcopi de iure Parochiæ Aſiaci, & de integritate ipſius. Priuilegium Rainardi Epiſcopi de Eccleſia Curtannaci, cum appenditiis ſuis, de Eccleſia Ateienſi, de Eccleſia Barri, de Eccleſia Camedonenſi. Priuilegium Ioceranni Epiſcopi de Eccleſiis Byrrei, Ricei, Curtannaci cum appendiciis ſuis, Capella videlicet Montis Barri Eccleſiæ ſubſcripta, & ſubiecta, de iure fundorum, & Caſamentorum B. Ioannis, de oblationibus, & decimis laicorum perſonis abiudicatis, & in omnibus Parochiis illis per manus Epiſcoporum ſaluo iure Eccleſiæ noſtræ B. Ioanni redditis, & conceſſis. Priuilegium Roberti Epiſcopi de rebus ſupra ſcriptis, & inferius ſubiiciendis. Priuilegium Guilenci Epiſcopi de rebus ſupraſcriptis, & de duabus Abbatiis Sanctimonialium, Orbiaci videlicet atque Rubeimontis. Has igitur omnes denominatas Eccleſias, & quæcumque antiquorum patrum, ſeu principum pia deliberatione ad proprietatem prædicti Monaſterij pertinere cognouimus pro poſſe noſtro redintegrare, & reformare cupientes iuxta legem, & determinationem ſingulorum propriè, & communiter ſalua conſiſtere, & inuiolata permanere, cenſemus, & præcipimus, & quidquid boni ratione iuſtitiæ ex noſtra parte ſuperaddere poſſumus, Spiritus ſancti gratia cooperante ſuperaddimus, & concedimus. De duabus verò Abbatiis illis, Orbiaci videlicet, atque Rubeimontis, quarum vna in proprio B. Ioannis prædio, altera in propria parochia conſtructa eſſe cognoſcitur, ſcandalum diſcordiæ penitus contradicentes, vt debitum honorem, & reuerentiam Domno Abbati & ſuis exhibeant, mandamus, & obſecramus. Non enim licet aliis Monachis ſubintrare, ſi aliquando contigerit in Abbatiis illis ratione aliqua ordinem immutari. Cœmeteria verò in ſuis parochiis antiquitus con-

ſtituta, & conſecrata, ſecundum parochialia iura, ſuos vſus habeant, & obtineant, nec alterius parochianum aliqua Eccleſia recipiat, niſi per conſilium Eccleſiæ ſuæ Abbas, vel miniſter eius hoc fieri permittat. His etiam præſcriptis addimus Eccleſiam de Spiſſia cum appendiciis ſuis, ſaluis Synodis & conſuetudinibus Eccleſiæ Lingonenſis, & eam cum laude & conſilio Religioſorum virorum & Archidiaconorum ſupradictæ Eccleſiæ Reomaenſi in perpetuum concedimus. Addimus etiam & concedimus Eccleſias de Eſteth, de Cameredo, Eccleſias annexas villæ S. Remigij Betfontis, Viſarnei, Teleiaci. De electione verò ſacerdotum in Eccleſia Spiſſiæ, canonicam poteſtatem eidem Eccleſiæ Reomaenſi concedimus. Hæc autem omnia tam ex prædeceſſorum noſtrorum, quàm ex noſtro præcepto generaliter aſtruentes, chartam ſubinde pleniſſimè conſcriptam, & aſtipulatam manus propriæ tactu, & ſubſcriptione confirmamus, & Archidiaconis noſtris ordinabiliter confirmandam donamus. Si quis verò contra iſtius noſtræ definitionis paginam obuius ire præſumpſerit, bis vel tertiò commonitus, niſi ſe correxerit, & ad emendationem venerit, anathematis vinculo teneatur. *Annus Christi.*

Acta ſunt hæc anno ab Incarnatione milleſimo centeſimo quadrageſimo ſeptimo, Apoſtolicæ ſedis cathedram obtinente Domino Eugenio, Francorum excellentiſſimo Rege Ludouico. Sub quo omnes fere nationes contra paganorum infidelitatem commotæ ſunt, Lingonicæ ſedis Epiſcopo Domino Gotefrido. 1147. De anno huius priuilegij. Illuſt. n. 154.

Ego Hulricus ſubſcripſi.

Ego Pontius Lingonenſis Eccleſiæ Archidiaconus ſubſcripſi.

Ego Garnerius Archidiaconus ſubſcripſi.

Sunt etiam teſtes huius rei Lingonici Canonici Hugo de Riueria, Vuido Venator.

Gaulterius Trecenſis Canonicus.

Rainaldus Decanus Montis Barri.

Petrus de ſancto Georgio.

Odo de Furno.

Annus Chriſti.

Herbertus Abbas S. Stephani Diuionenſis.
Raimbaldus Abbas de Alba Riua.
Clarembaldus Sacerdos.

Capvt VII.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Priuilegium Eugenij III.

Confirmatio Eccleſiarum, quæ ab Epiſcopis hactenus data.

Eugenius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilectis filiis Petro Abbati Monaſterij S. Ioannis Reomaenſis, eiúſque fratribus tam præſentibus, quàm futuris Regularem vitam profeſſis.

In perpetuum.


DESIDERIVM quod ad religionis propoſitum & animarum ſalutem pertinere monſtratur, autore Deo, ſine aliqua eſt dilatione complendum. Quapropter dilecti in Domino filij veſtris iuſtis poſtulationibus clementer annuimus, & præfatum B. Ioannis Monaſterium, in quo diuino mancipati eſtis obſequio glorioſorum virorum Clodouei, Caroli, & aliorum Regum Francorum præceptis munitum, & fratrum noſtrorum Sigoaldi, Brunonis, Iocceranni, Guilenci, & aliorum Lingonenſium Epiſcoporum ſcriptis roboratum, ad exemplar prædeceſſoris noſtri felicis memoriæ Papæ Innocentij, cum poſſeſſionibus, & bonis ſuis, ſub B Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti priuilegio communimus, ſtatuentes, vt quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona idem Monaſterium in præſentiarum iuſtè, & canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis iuſtis modis, Deo propitio, poterit adipiſci, firma vobis, veſtriſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus

ximus vocabulis exprimenda. Eccleſiam videlicet de Villâ, quæ dicitur Corpus Sancti, Eccleſiam Ateienſem, Eccleſiam S. Georgij de Simiriaco, Eccleſiam de Beriaco, Eccleſiam de Vineis, Eccleſiam de Tultriaco, Eccleſiam de Aſiaco, Eccleſiam de Nuidis, Eccleſiam de Aſinariis, Eccleſiam de Cortenniaco, Capellam Montis Barri; Eccleſiam de Bunciaco, Eccleſiam de Riciaco, Eccleſiam de Iuliaco, Capellam S. Medardi, Eccleſiam de Scolis, Eccleſiam Camedonenſem, Eccleſiam Eſtiuei, Eccleſiam de Eſter, Eccleſiam de Spiſſia cum appendiciis ſuis, Eccleſiam de Barro, quidquid iuris habetis in villis S. Remigij, videlicet Betfontis, Viſernei, Teliaci; quidquid etiam venerabilis frater noſter Goteſtridus Lingonenſis Epiſcopus vobis iuſtè conceſſit, & ſcripto ſuo firmauit. In Eduenſi Epiſcopatu Eccleſiam de Ionaio, Eccleſiam de Suintiaco, Eccleſiam de S. Germano de Mondaum, Eccleſiam de Tiſiaco, Eccleſiam Sanctæ Magnentiæ, Capellam de Rouuredo, Eccleſiam de Cadriaco, cum Capella eiuſdem villæ, Eccleſiam S. Medardi, Eccleſiam B. Mariæ in villa Iouis. In Epiſcopatu Matiſconenſi, in Saturniaco Eccleſiam S. Andreæ, cum Capella S. Leodegarij, Eccleſiam S. Martini de Cereis, cum Capellis ad eam pertinentibus, Capellam de Buſariis cum appendiciis ſuis. In Epiſcopatu Niuernenſi Monaſterium S. Petri de Glanno. In Tullenſi Epiſcopatu Eccleſiam S. Stephani. Concordiam præterea inter vos, & ſorores Eccleſiæ S. Mariæ de Rubeomonte, de Parochia Aſiaca, à venerabili fratre noſtro Gotefrido Lingonenſi Epiſcopo vtriuſque partis aſſenſu rationabili prouidentia factam, noſtro munimine roboramus. Decernimus ergo, vt nulli omnium hominum liceat præfatum Monaſterium temere perturbare, aut eius poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, ſed omnia conſeruentur eorum, pro quorum gubernatione, & ſuſtentatione conceſſa ſunt vſibus omnimodis profutura. Salua ſedis Apoſtolicæ autoritate & diœceſanorum Epiſcoporum Canonica iuſtitia. Si qua ergo in futurum Eccleſiaſtica ſæcularisve perſona

Annus Christi.

Annus Christi.

hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temerè venire tentauerit ſecundo tertióve commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendauerit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reámque ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, à ſacratiſſimo Corpore ac Sanguine Dei Domini redemptoris noſtri Ieſu Chriſti aliena fiat, vtque in extremo examine diſtrictæ vltioni ſubiaceat. Cunctis autem eidem loco iuſta ſeruantibus ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatenus hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen.



Ego Eugenius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Albericus Oſtienſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Imarus Tuſculanus Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Hubaldus Preſbyter Cardinalis Sanctorum Ioan. & Pauli ſubſcripſi.
Ego Iulius Preſbyter Cardinalis Tit. Sancti Marcelli ſubſcripſi.
Ego Guido Preſbyter Cardinalis Tit. Paſtoris ſubſcripſi.
Ego Otho Diaconus Cardinalis S. Georgij ad velum aureum ſubſcripſi.
Ego Octauianus Diaconus Cardinalis Tit. S. Nicolai in carcere Tulliano ſubſcripſi.
Ego Ioannes Diaconus Cardinalis S. Mariæ nouæ ſubſcripſi.

Ego Guido Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in porticu ſubſcripſi.

Ego Hiacynthus Diaconus Card. S. Mariæ in Coſmedin ſubſcripſi.

Datum apud S. Florentinum per manum Guidonis S.R.E. Diaconi Cardinalis & Cancellarij III. Idus Octobris Indict. XI. Incarnationis Dominicæ anno CIↃCXLVII. Pontificatus Domini Eugenij tertij Papæ anno III. 1147. De loco dati huius priuilegij, Ill. n. 153.

CAPVT VIII.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Iudicium Godefridi Lingonenſis Epiſcopi in lite Petri Reomaenſis Abbatis, contra Luciam de Anceio & filios de iure Eſtiuci.

In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis.

EGO Godefridus Dei gratia Lingonenſis Epiſcopus, notum facio tam præſentibus quàm futuris, quòd diſcordia erat inter Rogerium de Anceio, & Eccleſiam Sancti Ioannis Reomaenſis, de villa quæ dicitur Eſtiue. Rogerius enim volebat ibi capere plus quàm deberet. Cognitum eſt & dictum in præſentia noſtra, quòd ibi debet habere ſaluamentum, & quòd ab Abbate illud habere debebat eſt conceſſum. Poſtea orta eſt contentio inter Luciam ſororem ipſius Roberti, & filios ſuos Rogerium, & Hugonem, contra Petrum Abbatem Reomaenſem de eadem villa, iurante illa & filiis eius ſe facturos de hac controuerſia quidquid ego dicerem. Ego autem dixi vt tali conſuetudine contenti eſſent, qualem recognouerat ſe habere in præſentia noſtra prædictus Rogerius. Eſt autem hæc conſuetudo, id eſt ſaluamentum in manibus Sancti Ioannis, excepta terra, quæ fuit Hariodi, & exceptis Manſis, in quibus habitant homines, vel habitaturi ſunt in quibus clamat Heldierius. Quod ſaluamentum tale eſt. Singulis De ſaluamento, n. 151.

Annus Chriſti. ſcilicet annis ſextarium hordei, vel auenæ, & duo panes, & duo membra carnis porcinæ, ſi porcus in eo Manſo nutritus fuerit, & occiſus. Sin autem duæ gallinæ, & ſextarium vini. Huius ergo prædicti ſaluamenti medietatem habet Lucia cum filiis ſuis. Quam ſcilicet ipſa, à prædicto Rogerio habere debebat. Quòd ſi vinum defuerit, pro vino dant nummos, quantum venditur ſextarius apud Rubeum Montem, Manſi qui ſunt in cœmeterio dant dimidium ſaluamentum. Extra cœmeterium ſunt decem & ſeptem Manſi, qui ſimiliter dant dimidium ſaluamentum. Si quis hoſpitatur in aliquo Manſo S. Ioannis, & non habeat illum integrum, dabitur ei extra villam iugerum terræ, & reddet integrum ſaluamentum. Et ſi quis Manſus fuit partitus in duabus, vel pluribus partibus, & ibi hoſpitantur homines, vnum ſaluamentum perſoluunt. Annona & vinum redduntur in feſto Sancti Martini, panis & caro in feſto Sanctorum Innocentium, vel in die craſtina. Quòd ſi panis non placet eis, pro ſingulis dabuntur ſinguli denarij. Miniſtri militum, qui illud accipiunt, de ſuo viuent, non de ruſticorum. Et ſi ruſtici infra octo dies non dant quod debent, facient clamorem miniſtris Abbatis, vel ipſi Abbati. Et ſi Abbas, vel miniſtri eius intra quindecim dies poſt clamorem non faciunt eis iuſtitiam, ipſi deinceps per ſe facient, & ſciendum quòd ſaluamentum iſtud nuſquam reddetur, niſi in eadem villa: Si verò milites, vel eorum miniſtri propriam iuſtitiam fecerint ibidem, vel apud Rubeum montem illam facient, & non longius. Hæc conſuetudo recognita eſt in præſentia noſtra coram multis teſtibus. Vltra hanc conſuetudinem quæ dicta eſt, ſub anathemate interdicimus, ne milites vel miniſtri eorum aliquid capere præſumant. Et vt hoc ratum & inconcuſſum deinceps firmiter habeatur, ſigilli noſtri impreſſione munimus.

Huius rei teſtes ſunt,
Reinaldus Monachus Claræuallis,
Odo Monachus,
Acchardus Monachus,
Arnulfus,
Gerardus,
Paganus milites,

Petrus Magiſter,	Milo de Caſtellu,	*Annus*
Simeon &	Hugo de Monz,	*Chriſti*
Engelbertus Preſbyteri,	Huldierius de Birri,	
Andreas de Montebarro,	Iocerannus &	
Calo de Gency,	Guido,	
Theobaldus de Griſingny,	Odo.,	
Matthæus de Caſtellu,	Simon.	
Raimaldus Vicecomes,		

Acta ſunt hæc anno ab Incarnatione Domini CIƆCL. Indictione XIII, Epacta XX, concurrente V, ciclo XVIII, Apoſtolicæ ſedis Cathedram obtinente Domno Eugenio. Francorum excellentiſſimo Rege Ludouico. 115

CAPVT IX.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Henricus Eduenſis Epiſcopus conciliat Reomaenſes Ciſtertienſibus.

QVONIAM antiquorum fuit conſuetudo ea, quæ commendare memoriæ voluerunt monumentis literarum tradere, eorum doctrinam imitantes notum fieri volumus tam futuris, quàm præſentibus quòd querela illa & diſcordia quæ fuit inter Ciſtertienſem & Reomaenſem Eccleſiam de loco Sancti Germani de Mundaum, & poſſeſſionibus ad eundem locum pertinentibus, in præſentia Domini Henrici Eduenſis Epiſcopi verſa eſt in concordiam. Ego enim Rainardus Abbas Ciſtertienſis, & conuentus eiuſdem Eccleſiæ poſſeſſionem ſupradictam tranquillam, & quietam habere Reomaenſi Eccleſiæ conceſſimus. Nullam enim inquietationem ſiue à nobis, ſiue à noſtris ſucceſſoribus Eccleſiam Reomaenſem ſuſtinere volumus ſuper his. Vnde ea quæ ſuprà diximus, & ſcripto commendauimus, & ſigillo noſtro confirmauimus. Huius conceſſionis teſtes ſunt, *circa 1151. De anno huius conciliationis, lib. 2 154.*

Domnus Abbas Airardus de Perſenia.

Annus Chriſti.

Prior Ciſtercij Lutegerus,
Angelerius eiuſdem loci Monachus,
Stephanus Lombardus,
Hugo Pauper,
Aymo,
Simon Præceſitor,
Otto Hoſpitalarius,
Vuillelmus Anglicus,
Thomas Scriptor eiuſdem loci Monachus,
Domnus Abbas Petrus Reomaenſis,
Boſo eius Monachus.

CAPVT X.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Godefridus Lingonenſis duas de nouo Eccleſias Petro donat.

GODEFRIDVS Dei gratia Lingonenſis Epiſcopus Petro venerabili Abbati Monaſterij Reomaenſis, eiúſque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis.

In perpetuum.

Æquitatis ratio poſtulat, vt qui Deo familiarius ſeruiunt eis diligentius ſolicitudinis noſtræ curam impendamus. Ea propter dilecte in Chriſto fili Petre concedo tibi, tuiſque ſucceſſoribus ad vſum fratrum tuorum apud Reomaenſe Monaſterium Deo famulantium liberè, & quietè perpetuò poſſidendam Eccleſiam de Belaun, cum capella de Reu ſaluo, iure Lingonenſis Epiſcopi, & vt hoc donum apud poſteros ratum maneat, & inconcuſſum noſtri ſigilli impreſſione, & teſtium adnotatione confirmo.

Signũ Pontii Archidiaconi,
Nicolai Abbatis Caſtellionis,
Seguini Decani,
Achardi Præpoſiti,
Petri Capellani Caſtellionis,
Hugonis de Chalma,
Iocelini Clerici,
Hurrici Capellani de Claromonte,
Matthæi Caſtellionenſis,
Rainerii de Puteriis militis,
Henrici Chanlate,
Andreæ Gizelit Præpoſiti & aliorum multorum.

Actum anno milleſimo centeſimo quinquageſimo primo Incarnationis Dominicæ. *Annus Chriſti.* 1151.

Capvt XI.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Godefridus componit litem Reomaenſem cum Sanctimonialibus Fuſſei.

In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis.

EGo Godefridus Dei gratia Lingonenſis Epiſcopus notum eſſe volo præſentibus, & futuris, quòd inter Monachos Monaſterii S. Ioannis & Sanctimoniales Fuſſei controuerſia diutiùs ventilata tandem per manum noſtram finem accepit. Monachi ſiquidem aduerſus Sanctimoniales clamabant decimas cuiuſdam grangiæ, quam ipſæ conſtruxerant in parochia Iullei, quæ Monachorum eſt, ſed & terram intra curtem eiuſdem grangiæ, necnon etiam molendinum quod factum eſſe dicebant in aqua ipſorum. De his autem omnibus querelis poſt multas altercationes inter Petrum tunc Abbatem præfati Monaſterii, & Heliſendem Prioriſſam Fuſſei laudante Audeburge Abbatiſſa Fontis Ebraudi, & vtriuſque Capituli Monachorum ſcilicet, & Sanctimonialium aſſenſu hoc modo facta eſt compoſitio. Monachi guerpiuerunt Sanctimonialibus, & quittam dimiſerunt terram, quàm ſupra diximus, quæ erat intra curtem præfatæ grangiæ, & prædictum molendinum. Ita tamen vt Sanctimoniales prouideant ne molendinum Monachorum per ipſum ingurgitetur, & decimas terrarum, quas eo tempore Sanctimoniales tenebant, & amplius decimas ab eis non accipient Monachi illarum terrarum, quas deinceps de boſco extrahent in ipſo finagio. Porrò Sanctimoniales propter hoc reddent monachis annuatim ad feſtum ſancti Remigii quindecim ſolidos, qui tamen ſi eo die redditi non fuerint, vſque ad quintum de-

Voces aliquot in his tabulis enodatæ, Ill. n. 151.

Annus Christi. cimum diem recipient eos monachi ſine vlla ſatisfactione, vel occaſione. Quòd ſi etiam tunc eos non habuerint, pro ſatisfactione non plus quàm denarii duodecim ſupra capitale eis dabuntur. Huius autem compoſitionis teſtes ſunt,

Auiuialo tunc Abbas Pultarienſis,
Frater Rainaudus cellarius Claræuallis,
Clarembaldus Decanus Muſſeti,
Ioſbertus de Firmitate,
Rainerius de Mareſco,
Bartolomeus Kokille.

1155. Actum eſt hoc anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo quinquageſimo quinto.

Capvt XII.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Priuilegium Alexandri III. Papæ.

De Eccleſiis Monaſterio adnexis.

Alexander Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilectis filiis Petro Abbati Monaſterij S. Ioannis Reomaenſis eiúſque fratribus tam præſentibus quàm futuris regularem vitam profeſſis.

In perpetuum.

Desiderivm quod ad religionis propoſitum & animarum ſalutem pertinere monſtratur, autore Deo, ſine aliqua eſt dilatione complendum. Quapropter dilecti in Domino filij veſtris iuſtis poſtulationibus clementer annuimus, & præfatum B. Ioannis Monaſterium, in quo diuino mancipati eſtis obſequio glorioſorum virorum Clodouei, Caroli, & aliorum Regum Francorum præceptis munitum, & fratrum noſtrorum Sigoaldi, Brunonis, Ioceranni, Guilenci, & aliorum Lingonenſium quondam Epiſcoporum ſcriptis roboratum, ad exemplar Patrum & præ-

prædeceſſorum noſtrorum ſanctæ recordationis Innocen- *Annus Chriſti*
tii & Eugenii Romanorum Pontificum, cum poſſeſſionibus
& bonis ſuis, ſub B. Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, De priuilegio Innocentij II & aliis, Probat. n. 156
& præſentis ſcripti priuilegio munimus, ſtatuentes, vt
quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona idem Mona-
ſterium in præſentiarum iuſte, & canonicè poſſidet, aut in
futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum, vel
Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis modis iuſtis præ-
ſtante Domino poterit adipiſci firma vobis, veſtriſque
ſucceſſoribus illibata permaneant. In quibus hæc pro-
prus duximus exprimenda vocabulis. Eccleſiam videlicet
de Villa, quæ dicitur Corpus Sancti, Eccleſiam Ateien-
ſem, Eccleſiam Sancti Georgij de Simiriaco, Eccleſiam
de Berriaco, Eccleſiam de Vineis, Eccleſiam de Tultria-
co, Eccleſiam de Aſiaco, Eccleſiam de Nuidis, Eccleſiam
de Aſinariis, Eccleſiam de Cortenniaco, Capellam Mon-
tis Barri, Eccleſiam de Bunciaco, Eccleſiam de Iuliaco.
Capellam ſancti Medardi, Eccleſiam de Scolis, Eccle-
ſiam Camedonenſem, Eccleſiam Eſtiuei, Eccleſiam de
Eſtet, Eccleſiam de Spiſſia cum appendiciis ſuis, Eccle-
ſiam de Belaum cum Capella de Reu, Eccleſiam de Barro,
cum Capella de Torceio, Eccleſiam de Piſi cum appen- Cur hic nominata Eccleſia de Piſi nondū ab Epiſcopo donata, ibid.
diciis ſuis, Eccleſiam de Marmeiaus, Eccleſiam de Sati-
gny, Eccleſiam de Villamorina, cum appendiciis ſuis, Ec-
cleſiam Monaſterij Sanctis Ioannis, Eccleſiam de Corum-
blis. Quidquid iuris habetis in villis ſancti Remigij, vide-
licet Betfontis, Viſarnei, Teliaci. Quidquid etiam fra-
ter noſter Gotefridus Lingonenſis Epiſcopus vobis iuſtè
conceſſit, & ſcripto ſuo firmauit. In Eduenſi Epiſcopatu
Eccleſiam de Iouiaco, Eccleſiam de Simeriaco, Eccleſiam
de Sancto Germano de Mondaum, Eccleſiam de Tiſia-
co, Eccleſiam Sanctæ Magnentiæ, Capellam de Route-
do, Eccleſiam de Cadriaco, cum Capella eiuſdem villæ,
Eccleſiam Sancti Medardi, Eccleſiam B. Mariæ in villa
Iouis. In Epiſcopatu Matiſconenſi, in Saturniaco Eccle-
ſiam S. Andreæ, cum Capella S. Leodegarij, Eccleſiam
S. Martini de Cereis, cum Capellis ad eam pertinentibus,

Dd

Anno Christi

Capellam de Buſarus cum appendicus ſuis. In Epiſcopatu Niuernenſi Monaſterium Sancti Petri de Glanno. In Tullenſi Epiſcopatu Eccleſiam Sancti Stephani. Concordiam præterea inter vos, & ſorores Eccleſiæ S. Mariæ de Rubeomonte in Parochia Aſiaca, à fratre noſtro Gotefrido Lingonenſi Epiſcopo vtriuſque partis aſſenſu rationabili prouidentia factam, noſtro munimine roboramus. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat præfatum Monaſterium temere perturbare, aut eius poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuſlibet vexationibus fatigare. Sed omnia integra conſeruentur eorum, pro quorum gubernatione, ac ſuſtentatione conceſſa ſunt vſibus omni modo profutura, ſalua ſedis Apoſtolicæ autoritate & Diœceſanorum Epiſcoporum Canonica iuſtitia. Siqua igitur in futurum Eccleſiaſtica, ſæcularisve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temerè venire tentauerit, ſecundo tertióve commonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reámque ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo Corpore, & Sanguine Dei Domini Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ vltioni ſubiaceat. Cunctis autem eidem loco ſua iura ſeruantibus ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatenus hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum iudicem præmia æternæ pacis inueniant.

Ego Alexander Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.
Ego Hubaldus Oſtienſis Epiſcopus.
Ego Bernardus Portuenſis & S. Rufinæ Epiſcopus.
Ego Gaulterius Albanenſis Epiſcopus.
Ego Hubaldus Preſb. Card. tituli S. Crucis in Ieruſalem.
Ego Henricus Preſb. Cardin. tituli SS. Nerei & Achillei.
Ego Ioannes Preſb. Cardin. tituli S. Anaſtaſiæ.
Ego Albertus Preſb. Card. tituli S. Laurentii in Lucina.
Ego Guillelmus tituli S. Petri ad vincula Preſb. Cardin.
Ego Hiacynthus Diaconus Card. S. Mariæ in Coſmedin.
Ego Odo Diaconus Card. S. Nicolai in carcere Tulliano.

Ego Boſo Diaconus Cardin. SS Coſmæ & Damiani. *Annus Chriſti.*
Ego Cynthius Diaconus Cardin. S Adriani.
Ego Manfredus Diaconus Card. S. Georgij in Velabro.

Datum Senonis per manum Hermanni S. R. E. Subdiaconi & Notarii III. Kal. Nouemb. Indict. XIII Incarnat. Dominicæ anno CIↃCLXIV. Pontificatus verò Domini Alexandri Papæ III. anno VI. 1164. An hic fuerit annus VI. Alexandri, n. 156

CAPVT XIII.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Galterius Lingonenſis Epiſcopus Petro Eccleſiam donat.

Galterius Dei gratia Lingonenſis Epiſcopus dilectis filiis Petro Reomaenſis Monaſterii venerabili Abbati & fratribus ibidem Domino ſeruientibus.

In perpetuum.

DIGNVM eſt vt fideles filios, & Eccleſias nobis commiſſas Domino attenta benignitate foueamus, & ad eorum ſuſtentationem pia largitione beneficiis amplie-mus. Ea propter dilecti in Domino filii deuotionem veſtram erga nos benignius attendentes, iuſtæ petitioni veſtræ clementius accedentes, vobis, & ſucceſſoribus veſtris Eccleſiam de Villamorina cum appendiciis ſuis donando & concedendo largimur, & ne hoc in irritum veniat, aut poſſit venire ſigilli noſtri munimine perpetua ſucceſſione firmamus. Huius noſtræ donationis teſtes ſunt, Cur Monachis attributæ Eccleſiæ parœciales, III. n. 157.

Hugo, Girardus Lingonenſes Archidiaconi.
Guido, Girardus, Nerdunus Canonici.

Annus Christi.

CAPVT XIV.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Sanctio Hugonis III. Ducis Burgundiæ de iuriſdictione Abbatis in ciues Reomaenſes.

De iuriſdictione Monachis in laicos conceſſa à Principibus, Illuſt. n. 158.

EGo Hugo Dux Burgundiæ notum facio & teſtificor tam preſentibus quàm futuris, quòd Burgenſes Monaſterij Sancti Ioannis iurauerunt, quod Abbati & Monachis redderent quidquid iuris atque conſuetudinis ipſorum eſſe ſcire poſſent. Præterea iurauerunt quòd in curia Abbatis iuſtitiæ ſtarent, & quidquid iuſtitia dictaret, ei totum exequerentur. Si verò Burgenſes iſtud non facerent, ego promiſi Abbati & Monachis quòd eis inde auxiliator eſſem. Et præcepi & adhuc præcipio vt vbicunque ego ſim ſeruientes mei auxilium promiſſum loco & vice mei Abbati & Monachis faciant. Huius rei teſtes ſunt,

Galterus Lingonenſis Epiſcopus.
Petrus Decanus Barri.
Magiſter Girardus de Vangionis riuo.
Nicolaus Capellanus meus.
Boinus Præpoſitus Caſtellionis.
Petrus de Lingonis.

CAPVT XV.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Godefridus poſtquam renunciarat Epiſcopatui Lingonenſi teſtificatur de concordia Petri cum Monaſterio Putei Orbis.

[illegible] Galtero, [illegible] n. 119.

EGo Godefridus Epiſcopus quondam Lingonenſis, præſenti ſcripto omnibus notificari volo, ob conſeruationem pacis, & nunc & in perpetuum qualiter de Molendi-

no ſubtus Curtãge, de quo inter Petrum venerabilem Abbatem Reomaenſem, & Aglentinam Abbatiſſam Putei Orbis diſcordia erat, per manum noſtram, aſſenſu vtriuſque Capituli, talis facta eſt compoſitio. Statutum eſt à nobis, vt Monachi molendinum ſibi retineant donantes prædictis Sanctimonialibus propter hoc annuatim tres ſextarios bladi, & dimidium, de tali dumtaxat blado quale in eodem molendino molitur, medietatem ſcilicet de hibernali, & alteram de trimeſio. Dabitur autem hoc bladum à Priore de Courtangè nuntio Abbatiſſæ medietas in craſtino feſtiuitatis omnium Sanctorum, & altera medietas in craſtino Sancti Paſchæ, vel ex tunc quando competenter fuerit requiſitū, remota omni occaſione, & malo ingenio. Si tamen in illis partibus talis fortè fuerit guerrarum malitia, vt molendina, quæ ſunt ſuperiùs & inferiùs præfatum molendinum, & ipſum combuſtum ſit, vel deſtructum, ita vt ea reædificari communis terræ malitia non ſinat, interim prædictæ Sanctimoniales donec valeat molendinum reædificari, de prætaxata annona nihil a Monachis exigere poſſunt. Huius rei teſtes ſunt, *Annus Christi.*

Frat. Gilbertus de Claraualle &
Frat. Vuillelmus de Giſigne Monachi.
Rainaldus Decanus Montis Barri.
Simon de Courtangè miles. 1165.

Actum anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo ſexageſimo quinto.

CAPVT XVI.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Petrus Abbas litem cum Priore Monaſterij de Charitate tranſactione componit.

NOTVM ſit omnibus tam præſentibus, quàm futuris, litem fuiſſe inter Monachos de charitate qui habitabant tunc temporis apud Braſciacum, & Monachos de

Annus Chriſti. Monaſterio S. Ioannis ſuper terra quæ dicitur S. Martini, quæ etiam adiacet ſecus S. Germanum de Mundaum. Tandem prædicta lis hoc modo terminata eſt ex conſilio Domni Petri tunc Abbatis de Monaſterio S. Ioannis, & ex conſenſu Domni Rodulfi tunc Prioris de Charitate, & vtriuſque conuentus confirmatione. Monachus S. Germani de Mundaum pro pacis prædictæ durabilitate ſeptem libras & dimidiam dedit, & annuatim tres ſolidos in æternum perſoluet Priori de Braſciaco de prædicta terra quæ dicitur S. Martini. Si forſitan prædictos tres ſolidos retinuerint illi de S. Germano, nec requiſiti ſatisfacere voluerint ad terram quæ dicitur S. Martini vertent ſe Monachi de Braſciaco, donec ſibi ſatisfaciant Monachi de Monaſterio S. Ioannis. Tres iſti ſolidi perſolui debent in die S. Mariæ in Martio. In hoc cenſu continetur quidquid terræ illi S. Martini pertinet tam in pratis, quàm in nemore, & aqua, & tertiis, & decimis, & parochia, & in omnibus terræ illi pertinentibus. Hoc autem vt firmius teneatur laudamus, & ſigilli noſtri munimine confirmamus ego Rodulfus Prior & Arnulfus Subprior, & Conuentus.

Teſtes ex parte Monachorum de Charitate.

Raimaldus Prior de Dampetra,
Stephanus de Sancto Ionetunc Prior Braſciaci,
Ioannes eiuſdem villæ Capellanus,
Hugo de Sancto Boneto,
Martinus de Viuert,
Beſinus de Valle,
Conſtantius Roclauis,
Vaſlinus de Montort,
Simon de Briſun.

Ex parte Monachorum Sancti Ioannis.

Guntardus Monachus,
Seguinus Monachus,
Lambertus Monachus,
Lucius Prior de Sancto Germano,
Adalardus Monachus,
Lambertus Maior,
Achardus Cocus,
Petrus Brunnus,
Martinus Foreters de Sancto Andrea.

Anni Christi.

Caput XVII.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Stephani Eduenſis & Bernardi Niuernenſis Epiſcopi iudicium pro Reomaenſibus ex delegatione Pontificis.

EGo Stephanus Dei gratia Eduenſis, & ego Bernardus eiuſdem prouidentia Niuernenſis Epiſcopi, notum facimus omnibus, ad quorum audientiam literæ iſtæ peruenerint, quod cùm cauſa, quæ inter Abbatem Reomaenſem de Monaſterio S. Ioannis, & Abbatiſſam Rubeimontis, & Sanctimoniales eiuſdem loci agitabatur nobis commiſſa eſſet à Domino Papa, ante cætera iudicauimus pacem, quæ facta erat per Godefridum Lingonenſem Epiſcopum inter eos de aſſenſu partium, & ſigillo eiuſdem Epiſcopi confirmata, & priuilegiis duorum Apoſtolicorum Eugenij, & Alexandri roborata, omnino ſtare debere nec per nos, nec per alios delegatos iudices aliquo modo poſſe infringi. Iudicium iſtud factum fuit apud Pontem Sancti Deſiderij ſuper Icaunam, & poſtea inter Rubeum montem, & Aſiacum recordatum, & ex parte Abbatis, & prædictæ Abbatiſſæ collaudatum. Teſtes,

Acelinus Abbas Regniaci,
Gaucherius Abbas Flauigniacenſis,
T. Decanus Niuernenſis,
Hugo Vaſtini Archipreſbyter,
G. Capellanus Epiſcopi Niuernenſis,
Dodo de Cona &
Piſcis Canonici Niuerni,
Lambertus de Seelo,
M. Paganus Canonicus Autiſiodorenſis,
Obertus de Monte Regali,
Milo de Noeriis,
Hugo de Argentolio frater eius,
Iobertus de Anci,
Columius Præpoſitus Tornodori multi alij,

Actum eſt vero hoc anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo ſeptuageſimo tertio, & ſigillorum noſtrorum munimine confirmatum. 1173.

CAPVT XVIII.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Literæ immunitatis ab hoſpitio, Hugonis III. Ducis Burgundiæ pro Eccleſia de Belaon.

EGo Hugo Dux Burgundiæ notum facio omnibus præſentibus & futuris, quòd cùm quædam controuerſia

De Geſtiorum iure, II. n. 160. verteretur inter me ex vna parte, & Eccleſiam Reomaenſem ex altera ſuper Geſtio, quod dicebam me habere in terra prædictæ Eccleſiæ de Belaun, & in hominibus ſuis, in eadem terra manentibus, & ego nolens iniuriam Eccleſiæ facere per homines & ſeruientes meos inquiſiui, quòd de iure geſtium in prædicta terra, & in hominibus ſuis non habebam, prædictos homines à Geſtio omnino quittaui, & literas meas ſæpefatæ Eccleſiæ in teſtimonium tradidi. Huius rei teſtes ſunt,

Vuillelmus de Leſineis,
Iocelinus de Aualone,
Stephanus de Rauerijs,
Petrus Monachus,
Vuillelmus de Quinceio,
Boinus Præpoſitus Caſtellionis,
Petrus Maior Caſtellionis,
Henricus Rufus Burgenſis.

1179. Actum eſt hoc anno incarnati Verbi milleſimo centeſimo ſeptuageſimo nono.

CAPVT XIX.

Ex Catalogo Abbatum.

Petri Abbatis diuturna fuit præfectura.

PETRVS præfuit Monaſterio Reomaenſi per plures annos, ab anno Domini milleſimo centeſimo quadrageſimo, vſque ad annum milleſimum centeſimum ſeptuageſimum octauum, & vltra.

RAI-

Annus Chriſti.

RAINALDI I. ABBATIS XLIII.

Rerum geſtarum Excerpta.

CAPVT I.

Ex notis Chronicis Catalogi Abbatum.

RAINALDVS præſidebat Monaſterio Reomaenſi anno Domini milleſimo centeſimo octogeſimo ſecundo. 1182.

CAPVT II.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Rainaldus tranſigit cum Lamberto Priore domus ſancti Bernardi de Alpium iugis in lite de decimis.

NOTVM ſit omnibus tam præſentibus quàm futuris, quòd diſcordia, quæ inter Eccleſiam S. Ioannis Reomaenſis, & Domum quandam S. Bernardi de Alpium iugis, quæ in Monteregali habetur pro decimis Domus eiuſdem Sancti Bernardi, quæ ſunt in villa vocabulo Sineuincis nuncupata, quas Canonici debebant & minimè reddebant, ita pacificata eſt. Vtriuſque igitur Domus aſſenſu eſt definitum, & ſigillorum præſentium autoritate firmatum, quòd Domus Sancti Bernardi pro decimis prædictis, quas Eccleſiæ præfati S. Ioannis debebat annuatim, ipſi Eccleſiæ pro vnaquaque carruca tres ſextarios redderet mediam partem frumenti, & mediam hordei. Si autem terram prædicti Sancti Ioannis exercere vellent ius Eccleſiæ redderent. Hæc concordia facta eſt iſtis audientibus & laudantibus.

Quis S. Bernardus de iugis Alpium, Ibi.n. 161.

Ec

Annus Chriſti.

Ex parte Domus S. Bernardi.

Prior ipſius Domus Lambertus, & Amalricus, & Arnulphus, & alij Conuerſi.

Ex parte autem Eccleſiæ S. Ioannis teſtes iſti fuerunt.

Rainaldus Abbas ipſius Eccleſiæ, Petrus Monachus, Vuillelmus Monachus, & alij Monachi eiuſdem Eccleſiæ, Teredus Maior, Achardus Cocus, & alij quamplurimi.

Hæc pax facta eſt in tempore prædicti Rainaldi Abbatis, & Petri Præpoſiti Montis Iouis, ipſis laudantibus, &
1182. concedentibus anno incarnati Verbi milleſimo centeſimo octogeſimo ſecundo.

CAPVT III.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Manaſſes Epiſcopus Lingonenſis Rainaldum donat Eccleſia de Piſeio.

EGo Manaſſes Dei gratia Lingonenſis Epiſcopus notum facio omnibus, quòd ob ſalutem animæ meæ, & prædeceſſorum meorum donaui Monaſterio Reomenſi in perpetuum Eccleſiam de Piſe cum omnibus appendicus ſuis, ita vt medietatem prouentuum percipiat, reliqua medietas ſit preſbyteri cum iure preſbyteratus, quod tale eſt. Peræ peregrinorum, oblationes ſponſi & ſponſæ, reconciliationes mulierum, oblationes campionum. Ita tamen quòd ſolus ſit in prædictis quatuor. Oblationes ſequentium partientur, tricenarij, procurationis mortuorum & nuptiarum. Ita tamen quòd ſi aliquid proximorum trium præcedentium redimatur, partietur. Confeſſiones, abſolutiones, Baptiſmatum oblationes, denarius, & candela charitatis, decimæ groſſæ, & minutæ partiantur. Si quid reſiduum fuerit de cereo Paſchali partiatur. Prædicto quoque Monaſterio conceſſi electionem preſbyteri quoties præno-

De iure preſbyteratus in Parochus, Illuſt. n. 162. & 163

minata Eccleſia vacauerit, & inde inueſtiui Domnum Renaudum tunc eiuſdem cœnobij Abbatem, teſtibus *Annus Chriſti.*

Lamberto Archidiacono, Magiſtro Hunaudo,
Milone Cantore, Hugone de Chaumont.
Petro Decano Barri.

Actum anno incarnati Verbi milleſimo centeſimo octogeſimo quinto. 1185.

Capvt IV.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Priuilegium Lucij III. Papæ de Eccleſia S. Thomæ apud Montembarrum.

Lvcivs Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis Abbati & Capitulo Reomaenſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Iuſtis petentium deſideriis dignum eſt nos facilem præbere conſenſum, & vota quæ à rationis tramite non diſcordant effectu proſequente complere. Ea propter dilecti in Domino filij veſtris iuſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, Eccleſiam quam venerabilis frater noſter Lingonenſis Epiſcopus, iuxta Pontem Montisbarri in honorem Beati Thomæ martyris de nouo fundauit, & vobis ad inſtituendos ibi Monachos de Capituli ſui aſſenſu conceſſit, ſicut vobis canonicè collata eſt, & vos eam cum omnibus pertinētiis ſuis canonicè poſſidetis deuotioni veſtræ, autoritate Apoſtolica confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus. Statuentes vt nulli omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Veronæ xv. Kal. Octobris.

Annus Chriſti.

CAPVT V.

Ex Priuilegio Innocentij Papæ III.

Alias Eccleſias à Manaſſe Epiſcopo obtinet.

EX donatione Manaſſerij quondam Lingonenſis Epiſcopi Eccleſiam de Marmaiaus, Eccleſiam de Santigny, Eccleſiam de Piſi cum appendiciis ſuis, Capellam S. Thomæ apud Turin & Eccleſiam de Corumblis.

CAPVT VI.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Præceptum Philippi Auguſti de protectione ditionis S. Andreæ Reomaenſis.

PHILIPPVS Dei gratia Francorum Rex. Nouerint vniuerſi quòd homines vniuerſos qui ad preſens manſionarij ſunt in poteſtate beati Andreæ, & illos qui deinceps ibidem manſuri venient in protectionem & cuſtodiam noſtram per poſſe noſtrum ſuſcipimus, quamdiu per rationem eos tueri poterimus, eiſdémque conſuetudines Lorriaci conceſſimus, ſub ea conditione quòd omnium prouentuum, qui de poteſtate illa prouenerint, medietatem percipiemus.

De iure protectionis & cuſtodiæ principum, in rebus Eccleſiaſticis, Illuſt. n. 164

1188. Actum Senonis anno incarnati Verbi milleſimo centeſimo octogeſimo octauo, menſe Februario.

Annus Christi.

HVGONIS III. ABBATIS XLIV.

Excerpta rerum geſtarum.

CAPVT I.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Donatio Hugonis III. Burgundiæ Ducis Hugoni Abbati Reomaenſi.

NOTVM ſit omnibus tam præſentibus quàm futuris, quòd ego Hugo Dux Burgundiæ, & Albonij Comes dedi, & conceſſi in perpetuum laude & aſſenſu Odonis filij mei, iam militis, Alexandri ſimiliter filij mei pro remedio animæ meæ, & anteceſſorum meorum, & pro anniuerſario meo annuatim faciendo Deo & Eccleſiæ Monaſterij S. Ioannis geſtium quod habebam in villa Monaſterij S. Ioannis vna die per annum, & Domum Beati Thomæ quæ eſt iuxta eiuſdem Eccleſiam apud Montembarrum, ſimiliter & furnagium hominum vltra pontem manentium, ita tamen quòd aliquis non poſſit ibi furnum ædificare præter Monachos præfatæ Eccleſiæ, vel eorumdem mandatorium. Dedi quoque præmemoratæ Eccleſiæ hoc quod habebam in Preſſortis quæ ſunt vltra pontem, ſaluo iure Petri Ioye & hæredum ſuorum. Dedi adhuc ſupradictæ Eccleſiæ Robertum, & Radulfum de Ateis cum ſuis hęredibus, & vxorem Vier de Lenne, & hęredes ipſius.

Sigillum non habuere authenticum, qui nondum erant milites Illuſt. n 165.

Huius rei teſtes ſunt,

Manaſſes Epiſcopus Lingonenſis,
Guillelmus Abbas Ciſtercienſis,
Pontius Cellerarius Ciſtercienſis,
Guillelmus de Quince,
Durannus de Flauigny,
Guillelmus de Ginum,
Guillelmus de Moneta Monachi S. Iannis,
Simon de Brecun,

Annus Chriſti.

Aimo de Marrineio Conneſtabilis,
Rainaudus de Vernei,
Aruius de Safra,
Boinus Præpoſitus Caſtellionis,
Petrus Maior Caſtellionis,
Eurardus Præpoſitus Diuionenſis.

Et vt hoc ratum habeatur ſigilli mei munimine præſens ſcriptum confirmaui, ſimiliter & Odo filius meus id ſcriptum ſigillo ſuo muniuit.

1189. Acta ſunt hæc anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo octogeſimo nono, IV. Kal. Auguſti, Domno Hugone eiuſdem Eccleſiæ exiſtente Abbate.

Capvt II.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Manaſſis Epiſcopi Lingonenſis teſtimonium de ea donatione.

EGo Manaſſes Dei gratia Lingonenſis Epiſcopus notum facio omnibus, quòd Hugo Dux Burgundiæ, & Albonij Comes laude, & aſſenſu filiorum ſuorum Odonis, & Alexandri pro remedio animæ ſuæ, & anteceſſorum ſuorum, pro anniuerſario ſuo annuatim faciendo dedit in eleemoſynam Deo, & Eccleſiæ Monaſterij S. Ioannis Geſtium, quod habebat in villa Monaſterij S. Ioannis ſemel in anno, & Domum beati Thomæ, quæ eſt iuxta eiuſdem Eccleſiam apud Montembarri, ſimiliter & furnagium hominum vltra pontem manentium, ita tamen quòd nullus poſſit ibi furnum ædificare prætei Monachos eiuſdem Eccleſiæ, vel eorumdem mandatorium. Dedit quoque memoratæ Eccleſiæ quòd habebat in Preſſoriis, quæ ſunt vltra pontem, ſaluo iure Petri Ioye & hæredum ſuorum, dedit etiam eidem Eccleſiæ Robertum & Radulfum de Ateis cum ſuis hęredibus, & vxorem Vuier de Lenne, & hæredes ipſius. Hæc autem donatio facta eſt per manum meam, quæ vt rata habeatur literis annotatam ſigilli præſentis impreſſione muniui. Teſtes,

Vuillelmus Abbas Ciſterctienſis,	Aimo de Marigny Connectabilis,	*Annus Chriſti.*
Vuillelmus de Quince,	Petrus Maior Caſtellionenſis,	
Durannus de Flauigni,		
Monachi Sancti Ioannis,	Eurardus Prępoſitus Diuionenſis.	
Simon de Brecun,		

Actum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo centeſimo octogeſimo nono. *Idē ann.*

CAPVT III.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Donatio Clarembaudi de Noers Hugone Abbate.

SCIANT præſentes & poſteri quòd nobilis vir Clarembaudus Dominus de Noers, ob remedium animæ ſuæ, & anteceſſorum ſuorum cum laude vxoris ſuæ, dedit & conceſſit Deo & Eccleſiæ beati Ioannis Reomenſis homines quos apud Rubeummontem habebat, ſcilicet Gauterium Texerãnum, & eius vxorem Ermingardem, & Beatricem vxorem Guidonis de Foro cum ipſorum hęredibus. Abbas verò Reomenſis, & totus conuentus eiuſdem Eccſię, pro impenſo ſibi beneficio conceſſerunt ei fratrum ſocietatem in orationibus, & omnibus eiuſdem Eccleſię beneficiis. Audito autem eius obitu de eo ſicut de Profeſſo Eccleſię exequentur, & anniuerſarum eius, & patris ſui ſolemniter peragetur. Donationem autem iſtam laudauerunt Domnus Hugo Autiſſiodorenſis Epiſcopus, & Domnus Guido frater eius, & ſigillis ſuis confirmauerunt, laudauit etiam mater ipſius Clarembaudi.

Quid eſſet donari ſocietate à Monachis, III.n.166.

Huius donationis teſtes ſunt,

Durannus,	Laurentius,
Godefredus,	Leodegarius,
Milo,	Imbertus famuli Abbatis,
Vuillelmus eiuſdem Eccleſiæ Monachi,	Stephanus de Argentueil,
	Iobertus de Mollini,

Annus Chriſti.	Stephanus le Bornez,	Guido Tardel Milites,
	Iobertus de Bar,	Theobaudus de Sanci Præpoſitus de Noers.
	Huo filius eius,	

Idē ann. Actum eſt hoc anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo octogeſimo nono, tempore Domni Hugonis Abbatis.

Capvt IV.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Donatio Guidonis de Noers, Hugone Abbate.

NOtvm ſit tam præſentibus quàm futuris, quòd nobilis vir Guido frater Domini Clarēbaudi de Noers, ob remedium animæ ſuæ, & anteceſſorum ſuorum Eccleſiæ Beati Ioannis Reomaenſis dedit, & conceſſit vſuarium in paſturis de Ious tam in nemoribus, quàm in planis vniuerſaliter, hominibus eorumdem villæ, ſcilicet hominibus prædictæ Eccleſiæ & iuſticialibus; & in puteo de Huimus ſimiliter vſuarium liberè & abſolutè, ſicut ſui homines habitantes in eadem villa habere ſolent. Conceſſit etiam iam dictæ Eccleſiæ manſum vnum, quod eſt intra clauſuram Prioratus eiuſdem villæ. Præterea quatuor homines, Ioannem & fratres eius, qui in eadem villa prędictæ Eccleſiæ antea liberi fuerant, & pro ſui forefacto in ſeruitutem prædicto Guidoni ſe redegerant, Eccleſiæ prænominatæ Guido ipſe de voce conceſſit, ita ſanè ſi prædicti homines ad Eccleſiam redire voluerint, ea conditione vt ipſi homines alterum Dominum, niſi Eccleſiam, deinceps nec facere nec habere poſſint. Iterum quidam homo in eadem villa prænominatæ Eccleſiæ antea liber ſe cum vxore in ſeruitutem prædicto Guidoni redegit filio ſuo non laudante, horum etiam filium nomine Nazarium, quem ſæpedictus Guido propter parentes reclamabat, Eccleſiæ prælibatæ liberè, & abſque calumnia conceſſit. Ob iſtius autem ſuſceptionem beneficij Hugo Abbas Reomenſis, & Capitulum

tulum eiuſdem Eccleſiæ prædictum Guidonem de illatis iniuſtè ab eo Eccleſiæ prædictæ abſoluerunt, conſtituentes illi proprium altare, in quo totius vitæ ſuæ curriculo ſingulis diebus ſibi Miſſam celebrare conſtituerunt de Spiritu ſancto, exceptis diebus Lunæ pro fidelibus Dei, diebus Sabbathi de ſancta Maria. Audito autem eius obitu, & comperto nomen eius in Regula cum nominibus fratrum ſcribetur, & ſicut de profeſſis ipſius Eccleſiæ fieri ſolet, de eodem proſequetur; & vlterius pro eius anima & anteceſſorum ſuorum Miſſa pro fidelibus Dei in perpetuum celebrabitur, & eiuſdem & patris ſui anniuerſarum non prætermittetur. Ne autem iſtud beneficè conſtitutum malignè reſtringi valeat vel calumniari, ego Hugo Autiſiodorenſis Epiſcopus, & ego Clarembaudus Dominus de Noers, & ego Guido autor huius beneficij & conceſſor, iſtud ſigillis noſtris corroborauimus, laudante hoc vxore Domini Clarembaudi. Hæc omnia facta ſunt in præſentia Domini Hugonis Autiſiodorenſis Epiſcopi, & fratris ſui Clarembaudi Domini de Noers, qui hoc laudauerunt tempore Domini Hugonis eiuſdem Eccleſiæ Abbatis. *Annus Christi.* Quid ſit ſcribi nomen alicuius in Regula, Ill. n. 166.

Huius rei teſtes ſunt,

Durannus Flauigniacenſis,	Lambertus famuli Abbatis,
Villelmus,	Stephanus de Argentueil,
Milo tunc Prior de Ious,	Ioſbertus de Melanni,
Godefredus Prior Cortengiaci Monachi,	Stephanus Libornez,
	Ioſbertus de Bar,
Laurentius,	Huo filius eius,
Leodegarius,	Guido Fardel milites.

Anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo octogeſimo nono. *Idē ann.*

Annus Chriſti.

CAPVT V.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Canonici Belnenſes Hugoni Abbati cedunt Eccleſiam Cadriaci.

NOVERINT vniuerſi præſentes & futuri, quòd Canonici Beatæ Mariæ Belnenſis Eccleſiæ per manum Domini Galterij Eduenſis Pontificis reſignauerunt Hugoni Abbati, & Eccleſiæ Reomaenſi, ſi quid iuris habebant in Eccleſia Cherriaci, & vt hoc ratum perpetuis temporibus habeatur, prædicti Canonici Chartam præſentem fecerunt ſigilli ſui munimine roborari, ſi quam autem confirmationem habent ſuper eadem Eccleſia in priuilegiis, vel aliis ſcriptis ſimiliter reſignauerunt.

1190. Anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo nonageſimo.

CAPVT VI.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Decimæ Eccleſiæ de Ious donantur in ſolidum Hugoni.

EGO Petrus Dei gratia S. Benigni Diuionenſis Abbas Domini Lingonenſis Epiſcopi vicarius, notum facio vniuerſis, quòd Matthias filius Maioris de Chableia calumniabatur duas partes in decima de Ious, tandem verò recognouit, quod iniuſtè vexabat Eccleſiam S. Ioannis Reomenſis ſuper eadem decima, totamque calumniam guerpiuit, & ſi quid in ipſa decima iuſtè, vel iniuſtè habebat, vel habere debebat, totum ex integro prædictæ Eccleſiæ pro remedio animæ ſuæ, & anteceſſorum ſuorum liberè in eleemoſynam tradidit & conceſſit. Fecit autem

hoc apud Odunum grangiam de Rigneio coram his teſti- *Annus*
bus. Teſtes, *Chriſti.*

Hugo Abbas S. Ioannis Reomaenſis,	Ioannes de puteo,
Vuillelmus de Quinceio,	Iterius Præpoſitus de Malleio,
Hugo de Molendinis,	Rainaldus Bucherans vitricus eius,
Simon de Vezeliaco,	Humbaudus Miles,
Milo Prior de Ious.	Laurentius, &
De Laicis, Martinus Pelliparius,	Leodegarius,
Martinus Carnifex,	Famuli Abbatis.

Vt verò hoc firmiùs ſtaret, & quietiùs, fecit iſtud idem Matthias laude matris ſuæ Bonæ, & nepotum ſuorum Ioannis & Odonis qui apud Chableam laudauerunt, vbi coram eis eleemoſyna ipſa recognita fuit, & recitata.

Teſtes de laude ipſorum.

Guarinus Cantor,	Arbertus Pannellus,
Villelmus Brito,	Bertrandus de Ponte,
Magiſter Menardus,	Stephanus Godarz,
Huelierius Capellanus,	Eruinus & Galterius Præpoſiti Erui,
Armannus Canonicus,	Martinus Buchars.
Rodulfus Preſbyter,	
Hugo de Nugle Miles,	

Nobis etiam apud Caſtellionem quædam tractantibus acceſſit prædictus Matthias, & eleemoſynam præſcriptam ſe ita feciſſe multis audientibus coram nobis recognouit, Donatio-
eámque in manu noſtra poſuit, & vt de illa Eccleſiam bea- nes datæ in
ti Ioannis inueſtiremus, & chartam faceremus poſtulauit. manus tertij vt Char-
Nos igitur per manum Vuillelmi de Quinceio Eccleſiam tã faceret,
beati Ioannis de ipſa eleemoſyna inueſtiuimus, & vt eam Ill.n.167.
in perpetuum liberè & quietè poſſideat præſentis Chartæ autoritate confirmamus. Si quis ergo contra eam ire tentauerit, niſi reſipuerit, & emẽdauerit anathema ſit. Actum
eſt hoc apud Caſtellionem anno ab Incarnatione Domini 1191.
milleſimo centeſimo nonageſimo primo.

Annus Christi.

Caput VII.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Hugo Abbas cum Hugone de Vergei permutat iura aliqua.

Cur ſe Dei gratia Abbatem ſignate dicat, Illuſt. n. 168.

EGo Hugo Dei gratia Monaſterij S. Ioannis dictus Abbas præſentibus, & futuris notum facimus, quod fauente Capitulo noſtro quietum dimiſimus nobili viro Domino Hugoni de Vergei, & eius hæredibus, quidquid habebamus apud Vetus Caſtrum, & in eiuſdem caſtri poteſtate, & etiam vxorem Hugonis Longi in perpetuum poſſidendam, præter vxores Alexandri & Petri quæ ſunt apud Valonis. Ipſe autem iam dictus Hugo, pro recompenſatione huius dimiſſionis, conceſſit nobis quidquid habebat, vel reclamabat apud Soenci, & apud Moneſterel, tam in hominibus, quàm in mulieribus, & etiam filios Ioannis Preſbyteri Petrum & Michaëlem. Et vt hoc ratum habeatur, ego Hugo iam dictus Abbas pręſentem Chartam ſigilli noſtri impreſſione fecimus confirmari.

1192. Actum eſt hoc anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo nonageſimo ſecundo, menſe Iunio.

Caput VIII.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Odo Dux Burgundiæ III. ius hoſpitij cedit Hugoni Abbati.

NOTVM ſit omnibus tam præſentibus quàm futuris quòd ego Odo Dux Burgundiæ dedi & conceſſi perpetuo poſſidendum Deo & Eccleſiæ S. Ioannis Reomaenſis pro remedio animæ meæ, & anteceſſorum meorum geſtuum quod habebam in villis ſcilicet Vineis, Barro, & Ateis

De iure Geſtij ſupra, n. 160.

tam in hominibus iam dictæ Eccleſiæ, quàm in hominibus *Annus*
quorumlibet Dominorum, & vt hoc ratum & inuiolabi- *Chriſti.*
le permaneat præſentem paginam ſigilli mei atteſtatione
confirmaui. Huius rei teſtes ſunt,

Rainaldus Vigerius Eduẽſis,
Dominus Huo Miles,
Dominus Odo Caiſſoth,
Et ex parte Abbatis Ber-
nardus & Hugo ſacriſta,
Leodegarius,
Laurentius eiuſdem Abbatis ſeruientes.

Actum eſt hoc anno ab Incarnatione Domini milleſimo 1194.
centeſimo nonageſimo quarto, Domino Hugone eiuſdem
Eccleſiæ exiſtente Abbate.

Capvt IX.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Donatio Odonis III. Burgundiæ Ducis Hugoni III. Abbati.

Ego Odo Dux Burgundiæ notum facio, tam præſentibus, quàm futuris, quòd pro Dei amore, & pro remedio animæ meæ, & patris mei, & anteceſſorum meorum dedi in eleemoſynam Deo, & Hugoni Abbati Monaſterii S. Ioannis Reomaenſis, & eius ſucceſſoribus Milonem de Montbar filium Pontiæ, & hæredes ſuos cum poſſeſſionibus eorum, quas in poteſtate mea habent perpetuò poſſidendos, eos omnino quitans. Et vt hoc in poſterum perpetuam habeat firmitatem, præſens ſcriptum inde factum contra omnes calumniatores autoritate ſigilli mei confirmaui. Iſti affuerunt,

Vuillelmus de Brenna,
Vuillelmus de Barris,
Maius de Acie,
Rainaudus Vierius Eduẽſis,
Guillelmus de Sancto Bour,
Theobaudus Præpoſitus de Montbar,
Vuillelmus de Quinciaco,
Hugo Prior de Tiſi,
Laurentius,
Leodegarius,
Achardus famuli Abbatis,
Petrus Nicolai & Brictius filius eius.

Annus Chriſti.

HVGONIS IV. ABBATIS XLV.

Rerum geſtarum excerpta.

Capvt I.

Ex Notis Catalogi & Tabulario S. Stephani Diuionenſis.

HVgo IV. præſidebat anno Domini milleſimo centeſimo nonageſimo ſexto, & vnus erat ex ſignatoribus Actorum Matildis repudiatæ ab Odone III. quæ notantur anno milleſimo centeſimo nonageſimo octauo.

1198.

Capvt II.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Confirmat Dux Odo III. emptiones aliquot Hugonis Abbatis.

EGo Odo Dux Burgundiæ notum facio præſentibus, & futuris, quòd Guiardus Iunain, & Odo filius eius vendiderunt Eccleſiæ Reomaenſi, & omnino quitauerunt quidquid habebant in villa de Viſarne laudantibus vxoribus ſuis Petronilla, & Adenorde, & hæredibus ipſius Guiardi. Vnde de bonis ipſius Eccleſiæ habuerunt vſque ad valentiam nonaginta librarum. In hunc modum vendidit Oſmundus de Plaanci, laudantibus vxore ſua, & hæredibus, quidquid in eadem villa in decimis, & in omni vtilitate habebat, vnde habuit vſque ad viginti ſeptem libras, & vnam vaccam. Hoc autem in præſentia mea fuit recognitum. Sciendum eſt etiam, quod Oſmundus de Rubeomonte in præſentia mea conſtitutus dedit, & conceſſit præfatæ Eccleſiæ quidquid habebat in ſaluamento de

Cheuigneio in omni vtilitate, in nemoribus ſcilicet, & terris, & hominibus. Hanc conceſſionem laudauit Humbaudus filius eius, vnde habuit viginti libras Prouinenſes. Cognouerunt in præſentia mea, quòd iſta donatio erat de feodo prædictæ Eccleſiæ. Nihilominus Dominus Andreas de Montebarro dedit eidem Eccleſiæ omnem cenſum, quem habebat apud Riceium, exceptis ſeptem ſolidis, quos dederat Eccleſiæ S. Petri Viui Senonenſis. Hoc autem poſtmodum laudauerunt Mabilia relicta ipſius Andreæ, & Dominus Bartolomeus de Poleiſi maritus eius, & habuerunt inde quindecim libras. Et cùm venditiones iſtæ & donationes in præſentia mea recognitæ fuiſſent ad inſtantiam ipſorum prædictorum eas confirmaui manucapiens & promittens per præſentis Chartæ tenorem, quòd ſi quis ipſam Eccleſiam ſuper his vexare voluerit, ego eam manutenebo. *Annus Chriſti.*

Actum eſt hoc anno Incarnationis Verbi milleſimo centeſimo nonageſimo ſexto. *1196.*

Capvt III.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Donat Odo III. eidem homines aliquot & prædia.

Ego Odo Dux Burgundiæ notum fieri volo præſentibus & futuris, me dediſſe in eleemoſynam Deo & Eccleſiæ beati Ioannis Reomaenſis quendam hominem apud Belnam Bricium cognomento Tabernarium & eius hæredes cum omnibus ſuis tenementis liberè & abſolutè abſque omni exactione in perpetuum poſſidēdos. Dedi etiam eidem Eccleſiæ locum, in quo grangia mea conſtiterat, & hortum qui eſt retrò grangiam eidem grangiæ adiacentem. Præterea dedi eidem Eccleſiæ quendam hominem apud Caſtellionem ſuper Sequanam Angebertum de Chamunt, & eius hæredes cum vxoribus eorum, & omnibus tenementis eadem libertate, qua & ſuper ores in perpe-

Annus Chriſti. tuum poſſidendos. Dedi etiam eidem terram, & homines quos poſſederat Eirardus Floiche apud S. Euphronium, & in Sinemuro, & ſicut Radulfus de Pomarz poſt mortem eiuſdem Eirardi in gageria poſſidebat, & omnem terram arabilem, quam habebam in meo dominio in finagio Sinemuri. Huius rei teſtes ſunt,

Reinaudus Vigerius Eduenſis,
Theobaldus Præpoſitus Montiſbarri,
Robertus Sacerdos Magiſter domus leproſorum.

Quod vt ratum firmúmque permaneat literis meis annotaui, & ſigilli mei impreſſione firmaui. Actum eſt hoc
1196. anno milleſimo centeſimo nonageſimo ſexto.

Capvt IV.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Hugo Pignoratitio contractu quærit Monaſterio Villam de Soenci.

De contractus inuadiationis iuſtitia, III.n.169.

EGo Gauterius Dei gratia Eduenſis Epiſcopus, notum facimus præſentibus, & futuris, quòd Ioannes de Garart per manum noſtram, & in præſentia noſtra inuadiauit Eccleſiæ S. Ioannis Reomaenſis villam quæ dicitur Soenci pro trecentis & viginti libris Prouinenſis monetæ, & quidquid habebat in finagio eiuſdem villæ, ea videlicet conditione quòd ſupradictam villam ex alieno cenſu redimere non poſſet, niſi ex ſuo proprio, & tempore Quadrageſimæ, ſcilicet à Dominica qua cantatur, Inuocauit me, vſque ad Octauas Paſchæ. Recognouit etiam coram nobis, quòd prædicta villa, & totum ipſius villæ finagium eſſet de feodo Reomaenſis Eccleſiæ & quòd tale pactum fuit inter ipſum, & fratres eiuſdem Eccleſiæ, quod ſi ipſa moneta quocumque modo viluerit, pro ſingulis quinquaginta ſolidis vna marca argenti reddetur. In hac quidem villa Raimundus de Eſpiſlia dicitur habere quandam partem, quam iamdicta Reomaenſis Eccleſia tenet ſub nomine Gage-

Gageriæ ſeptem librarum & quindecim ſolidorum. Cùm *Annus*
verò præfatus Raimundus voluerit redimere nominatam *Chriſti.*
partem, tantumdem cadet de prædicta pecunia. Hanc autem Gageriam & omnia quæ prædiximus laudauit Flandina vxor jam dicti Ioannis & liberi eorum ad quos prædictorum ſcilicet villæ & finagij ius pertinebat. Fiduciauit & iſdem Ioannes in manu noſtra, quòd bona fide ea, quæ prædicta ſunt teneret, & nunquam contraire attentaret. Huius rei teſtes fuerunt,

Theobaudus Præpoſitus Montisbarri,

Vuillelmus Præpoſitus Sinemuri.

Actum eſt hoc anno incarnati Verbi milleſimo centeſi- 1197.
mo nonageſimo ſeptimo.

CAPVT V.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Odo III. iuriſdictionem Cortennaci & Creſpeæ ac Prædia aliquot donat.

EGo Odo Dux Burgundiæ notum facio tam præſentibus quàm futuris, me pro ſalute animæ meæ, & anteceſſorum meorum dediſſe in eleemoſynam Abbati, & Eccleſiæ Monaſterij S. Ioannis Reomaenſis perpetuo & libere poſſidendam omnem iuſtitiam, quam me habere dicebam in villa de Cortengi & in villa de Creſpea, tam in terris, quàm in hominibus, & in omni vtilitate. Eodem modo conceſſi Abbati, & Eccleſiæ prædictæ omnem cenſum quem Andreas portarius de me tenebat, vbicumque eſſet, ipſo Andrea ius ſuum reſignante, & eadem Eccleſia eum propter hoc in Monachum recipiente. Vt autem hæc mea donatio perpetuam obtineat firmitatem, præſentem Chartam inde fieri feci, & ſigillo meo confirmari.

Actum eſt hoc anno incarnati Verbi milleſimo cente- *Idē ann.*
ſimo nonageſimo ſeptimo.

Annus Chriſti.

GVILLELMI II. ABBATIS XLVI Rerum geſtarum excerpta.

Capvt I.

Ex Notis Chronicis Catalogi Abbatum.

Tempus Præfecturæ Guillelmi.

GVillelmvs prẹſidebat Monaſterio Reomaenſi an-
1198. no Domini milleſimo centeſimo nonageſimo octauo.

Capvt II.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Hilduinus Epiſcopus Lingonenſis Domum Dei Eſpiſſienſem donat.

EGo Hilduinus Dei gratia Lingonenſis Eccleſiæ Electus notum facio, tam prẹſentibus, quam futuris, nos intuitu pietatis & miſericordiæ dediſſe Domum Dei de Eſpiſſia ædificatam à B. Domino eiuſdem villæ Eccleſiæ Reomaenſi, quia donatio & diſpoſitio eiuſdem Domus ad nos de iure pertinet, & præcipuè quia in Parochia ipſius ædificata eſt.

1200. ℣ Actum eſt hoc anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſimo.

Annus Chriſti.

CAPVT III.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Galterus Eduenſis Epiſcopus litem terminat inter Reomaenſes & Preſbyteros Cadriaci.

EGo Galterus Dei gratia Eduenſis Epiſcopus, atteſtatione preſentis paginæ ad cunctorum notitiam volumus peruenire, quòd controuerſia quæ inter Reomenſes Monachos & Capellanum de Cherriaco ſuper eiuſdem loci Eccleſiæ prouentibus vertebatur coram nobis, in hunc modum terminata eſt. Siquidem de omni prouentu memoratæ Eccleſiæ quoquo modo eueniat, habebit Reomenſis Eccleſia medietatem, Preſbyter verò aliam medietatem, excepto quòd Preſbyter habebit extra partem communem denarium baptiſmi & communionis & panis benedicti. Si autem Capellanus vicarium habuerit & intuitu eleemoſynæ aliquid ei conceſſum fuerit, vſque ad duodecim denarios vicarij erit. Quod autem vltra duodecim fuerit, Monachi & Capellanus per medium partientur. Reomenſes quoque Monachi ius habent inſtituendi Preſbyterum in prædicta Eccleſia Cherriaci. Vt autem iſtud deinceps firmiùs teneatur vtriuſque partis aſſenſu, præſentem chartam noſtro ſigillo fecimus inſigniri.

Actum eſt hoc anno Verbi incarnati milleſimo ducenteſimo. *Idē ann.*

CAPVT IV.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Guillelmus Abbas cum Belnenſibus Canonicis tranſigit de decimis Ginniaci.

NOVERINT vniuerſi præſentes & futuri, quòd Abbas Reomaenſis & eiuſdem loci conuentus ſuper de-

Annus Chriſti. cimatione Ginniaci in hunc modum pacis conuenerunt, quòd idem Abbas, vel conuentus ſolueret præfatis Canonicis pro vniuerſis prouentibus illius decimæ, qui ad Canonicos pertinent, ſingulis annis vſque ad tres annos duos modios auenæ, & modium frumenti, & alium modium auenæ, ſaluo tamen poſt illum terminum iure vtriuſque Eccleſiæ. Si verò tempeſtas vel incendium ingruerint, ſecundùm conſuetudinem Eduenſis patriæ Canonici concordarent cum Monachis de ſolutione decimæ. Ad confirmationem huius compoſitionis actum eſt hinc inde de illa compoſitione duas Chartas eiuſdem tenoris fieri, ex quibus vnam Chartam habebit memoratus Abbas ſigillo beatæ Mariæ Belnenſis conſignatam. Canonici verò habebunt aliam Chartam ſigillo præfati Abbatis roboratam.

Idē ann. Actum eſt anno Verbi incarnati iſtud milleſimo ducenteſimo.

CAPVT V.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Guillelmus Monaſterio de nouo aquirit Suentiacum alio contractu pignoraticio.

EGo Gaulterius Dei gratia Eduenſis Epiſcopus, omnibus præſentes literas inſpecturis notum facimus, quòd cùm Ioannes de Guarart olim inuadiaſſet Eccleſiæ Reomenſi villam de Suence, quæ de ipſius Eccleſiæ caſamento eſt, pro trecentis & viginti libris monetæ Pruuinenſium, vxore ſua Flandina & infantibus ſuis inuadiationem iſtam laudantibus, tandem ſuper præfata Gageria inter ipſum Ioannem & prædictum Abbatem orta eſt controuerſia, quæ poſtmodum de conſenſu vtriuſque partis hoc modo coram nobis fuit pacificata. Vuillelmus Abbas Reomenſis pro bono pacis dedit dicto Ioanni xxv. libras monetæ Diuionenſium, & dabit ei annuatim vnum modium

ſegetis in horreo Reomaenſi, medietatem frumenti, & *Annus*
medietatem hordei : frumentum reddetur ad menſuram *Chriſti.*
eiuſdem villæ, & hordeum ad menſuram Reomenſis horrei, & ipſe Ioannes dedit, & quitauit in eleemoſynam de cætero omnes prouentus ipſius Gageriæ Reomenſi Eccleſiæ, hoc adiuncto quòd villam illam niſi de ſuo proprio redimere non valebit, & ſi eam fortè redimi contigerit, Eccleſia Reomenſis à prædicta penſione ſegetis erit libera & ſoluta. Si verò Pruuimenſes pondere vel libra viluerint, vna marca argenti ad pondus Treearum pro quinquaginta ſolidis Reomaenſi Eccleſiæ perſoluetur. Quod ratum ſit ac firmum, ad mandatum eorum pręſentem Chartam ſigillo noſtro fecimus confirmari.

Actum eſt hoc anno incarnati Verbi milleſimo ducen- 1202.
teſimo ſecundo.

Capvt VI.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Donatio Clarembaudi de Capis Iuliaco Reomaenſium.

IN principio naſcentis Eccleſiæ illam conſtat credentium de Gentibus religionem fuiſſe, vt per loca effuſis pecuniis Monaſteria ædificarent ſtudioſè, ædificatis clerum adderent, clero quoque rerum commoda attribuerent, quos non eſt incertum per hanc benignitatis diſpenſationem ad illam veram Eccleſiam quæ Ieruſalem appellatur peruolaſſe, ad quam currentium, iſta quædam via & limes dignoſcitur eſſe. Quippe quos iſta, typica variáque curationum ratione noxis emaculat, illa ſorte hinc euulſos placidiſſima recipit, fouet, & coronat. Quantis poſtmodum perfruantur gaudiis, quibus interſint feſtiuitatum ſolemniis, quàm plena iucunditate præſentiam ſemper aſpiciant creatoris nullo officio humanæ linguæ, vel ſtili poteſt enucleari. Idcirco Dominus Clarembaudus Ca-

De Clarébaudis de Cappis, Ill.n. 170.

Annus Chriſti. parum atque Hermengardis vxor eius ex parte ſua conceſſit Deo atque ſanctæ Mariæ Iuliacenſis Eccleſiæ quoddam pratum, quod eſt inter Molendinum & fontem prædictæ Eccleſiæ, & hoc facit dominus Clarembaudus laudare ſuis hominibus, videlicet Gauterio ſuo Præpoſito, Roberto coco, Gauterio Caſerio, Herberto Monacho. Inſuper Silueſter de Iuliaco, Stephanus & Gauterius hoc idem laudant.

Hoc actum eſt Henrico Trecenſi Comite & M. Comite Barri regnantibus. De conceſſione iſta habuit dominus Clarembaudus triginta ſolidos & vxor eius quinque.

Capvt VII.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Donatio Clarembaudi de Capis altera.

Clarembavdvs de Capis, omnibus in poſterum: Noſcant præſentes & futuri, quòd ego Clarembaudus pro remedio animæ meæ & patris mei & anteceſſorum meorum trado Deo & Eccleſiæ Beati Ioannis Reomenſis in villa Iuliaci de reditibus meis iuſtis, qui in feſto S. Remigij recipiuntur quadraginta ſolidos ſingulis annis in perpetuum reddendos. Maior meus hos nummos in die prædicta, vel in craſtina Monachis ſine vlla occaſione, vel impedimento perſoluet. Præterea iuſtitiam, quam in domo Monachorum in prædicta villa Iuliaci habebam, cum omnibus quæ intra clauſuram eorum continentur, quietam & liberam omni tempore concedo. Laudauerunt hoc fratres mei Galterius & Vuido.

Et hi teſtes ex mea parte qui viderunt & audierunt.

Odo de Vendoure,
Tetbaudus du Fraiſne,
Silueſter Maior,
Aubericus, &
Mornis famuli,
Iocelinus Monachus & Medicus,
Pontius Medicus de Monte Regali.

Ethi ex parte Abbatis,	chi,	*Annus*
Humbertus Monachus tūc Prior,	Terredus Maior,	*Chriſti.*
Garnerius tunc Prior Iuliaci,	Robertus de Ricei,	
Petrus,& Villelmus Monachi,	Petrus Martins,	
	Thomas Huguet.	

CAPVT I.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Guido Reomaenſis concedit Guidoni de Capis Presbyterum in Capella Iuliacenſi.

ROBERTVS Dei gratia Lingonenſis Epiſcopus, omnibus ad quos præſentes literæ peruenient ſalutem in Domino. Notum volumus fieri, quòd Guido Abbas, & conuentus Reomenſis conceſſerunt, Guidoni domino de Capis, quod in noua capella ſua quam fecit apud Iuleium poteſt habere proprium Capellanum, ita etiam quòd ille Capellanus iurabit ſe omnes oblationes, & prouentus qui venient ad altare dictæ Capellæ per manum ſuam Capellano, vel Priori eiuſdem villæ integrè redditurum. Dicti verò Capellanus & Prior in dicta Capella tanquam in ſua licitè pro ſua voluntate diuina officia celebrabunt. De priuatis Capellanis, Illuſt. n 171.

Actum anno gratiæ milleſimo ducenteſimo ſexto. 1206.

CAPVT II.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Guido oppigneratas decimas ſoluto pretio redimit.

EGo Guido Abbas S. Michaëlis de Tornodoro, & ego Theobaudus Decanus Montisbarri notum facimus vniuerſis, tam præſentibus, quàm futuris præſentes literas

Annus Chriſti.

inſpecturis, quod dum controuerſia agitaretur inter Guidonem Abbatem Reomenſem ex vna parte & Petrum Acordatum, ac Siguinam vxorem eius ex altera ſuper medietate decimæ de Tuli & tertiis de Tuli & de Charreres, dictus Acordatus & vxor eius in pręſentia noſtra recognouerunt, quòd ſupradictam medietatem decimæ, & tertias illas titulo gageriæ poſſidebant, quam gageriam redemit ab eis memoratus Abbas Reomenſis, & de pretio quod erat ſuper gageriam illam, vtrique illorum ſatisfecit. Quod vt ratum, & inconcuſſum perpetuò permaneret dicto Abbati ad petitionem memorati Petri Acordati, & vxoris eius inde literas noſtras tradidimus ſigillorum noſtrorum munimine roboratas.

De redemptione decimarum de manu laica, Illuſt. n.172.

1207. Actum eſt hoc menſe Februario, anno gratiæ milleſimo ducenteſimo ſeptimo.

GVIDONIS II. ABBATIS XLVII.

Rerum geſtarum Excerpta.

CAPVT III.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Priuilegium Innocentij III. Guidoni & ſuis datum.

Innocentius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis Guidoni Abbati Monaſterij S. Ioannis Reomenſis, eiúſque fratribus tam præſentibus, quàm futuris Regularem vitam profeſſis.

In perpetuum.

DESIDERIVM quod ad religionis propoſitum & animarum ſalutem pertinet autore Deo ſine aliqua eſt dilatione complendum. Quapropter dilecti in Domino filij veſtris

veſtris poſtulationibus clementer annuimus, & præfatum beati Ioannis Monaſterium in quo diuino mancipati eſtis obſequio glorioſorum virorum Clodouei, & Caroli, & aliorum Regum Francorum præceptis munitum; & fratrum noſtrorum Sigoaldi, Brunonis, Ioceranni, Guillenci, & aliorum Lingonenſium Epiſcoporum ſcriptis roboratum, ad exemplar Patrum & prædeceſſorum noſtrorum Innocentij, Eugenij, Alexandri, & aliorum Pontificum, cum poſſeſſionibus & bonis ſuis ſub B. Petri, & noſtra protectione ſuſcepimus, & præſentis ſcripti priuilegio communiuimus, Statuentes vt quaſcunque poſſeſſiones, quæcunque bona, idem Monaſterium in præſentiarum iuſtè & Canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitate Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis modis iuſtis præſtante Domino poterit adipiſci; firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimere vocabulis. Eccleſiam videlicet de Villa quæ dicitur Corpus Sancti, Eccleſiam Ateienſem, Eccleſiam S. Georgij de Simiriaco, Eccleſiam de Berriaco, Eccleſiam de Vineis, Eccleſiam de Tultriaco, Eccleſiam de Aſiaco, Eccleſiam de Nuidis, Eccleſiam de Aſinariis, Eccleſiam de Cortenniaco, Capellam Montiſbarri, Eccleſiam de Bunciaco, Eccleſiam de Riciaco, Eccleſiam de Iuliaco, Capellam ſancti Medardi, Eccleſiam de Scolis, Eccleſiam Eſtiuei, Eccleſiam Camedonenſem, Eccleſiam de Eſtet, Eccleſiam de Bellaun, cum Capella de Reu, Eccleſiam de Barro, cum Capella de Torceio; quidquid iuris habetis in Villis S. Remigij, videlicet Betfontis Viſarnei, Teliaci; quidquid etiā frater noſter Godefridus Lingonenſis Epiſcopus vobis iuſtè conceſſit, & ſcripto ſuo firmauit. In Eduenſi Epiſcopatu Eccleſiam de Ionaio, Eccleſiam de Suentiaco, Eccleſiam de S. Germano de Mundaum, Eccleſiam de Tiſiaco, Eccleſiam S. Magnentiæ, Capellam de Rouredo, Eccleſiam de Cadriaco, cum Capella eiuſdem Villæ, Eccleſiam ſancti Medardi, Eccleſiam S. Mariæ in Villa Iouis. In Epiſcopatu Matiſconenſi in Saturniaco Eccle-

Annus Christi.

Annus Chriſti.

ſiam S. Andreæ, cum Capella S. Leodegarij, Eccleſiam S. Martini de Cereis, cum Capellis ad eam pertinentibus, Capellam de Buſariis cum appendiciis ſuis. In Epiſcopatu Niuernenſi Monaſterium S. Petri de Glanno. In Tullenſi Epiſcopatu Eccleſiam S. Stephani. Monaſterium etiam S. Mariæ de Rubeomonte in parochia Aſiaca, in quo à fratre noſtro Godefrido Lingonenſi Epiſcopo vtriuſque partis aſſenſu rationabili prouidentia concordiam factam noſtro munimine roboramus. Ex donatione Galteri quondam Lingonenſis Epiſcopi Eccleſiam de villa Morina cum appendicis ſuis. Ex donatione Manaſſerij quondam Lingonenſis Epiſcopi Eccleſiam de Marmaiaus, Eccleſiam de Santigny, Eccleſiam de Piſi cum appendiciis ſuis, Capellam S. Thomæ apud Turin, Eccleſiam de Corumblis. Ex donatione Hilduini quondam Lingonenſis Epiſcopi Domum Dei de Eſpiſſia. Ex donatione Hugonis quondam Ducis Burgundiæ Geſtium, quod habebat in villa Monaſterij S. Ioannis, & domum S. Thomæ iuxta Capellam apud Montembarrum, Furnagium hominum vltrà pontem manentium, & quod nullus ibi furnum ædificet præter vos, Preſſores Montiſbarri, & prouentus eorum. Ex donatione Odonis Ducis Burgundiæ filij prædicti Hugonis ea quæ habebat in villis, ſcilicet vineis, Barro & Ateia tam in hominibus quàm in poſſeſſionibus quorumlibet aliorum. Ex donatione Garnerij quondam Lingonenſis Epiſcopi in Eccleſia de Eſpiſſia quatuor libras, in Eccleſia de Piſi quatuor libras. In Eccleſia de Corumble quadraginta ſolidos monetæ Ducis. Concordiam quoque inter vos & Canonicos de Eſpiſſia ſuper decem libris monetæ vſualis per terram nobilis viri Ducis Burgundiæ, ſeu aliis rebus, ſicut in authentico Hilduini quondam Lingonenſis Epiſcopi continetur non irrationabili prouidentia factam. Nec non compoſitionem inter vos & nobilem virum Guidonem de Capis, ſuper Capella quam idem nobilis vir conſtruxit apud Iuliacum, ſicut prouidè factæ ſunt, & ab vtraque parte ſponte receptæ, firmamus. Ad hæc etiam prohibemus ne aliquis Profeſſus, vel Conuerſus ſub profeſſio-

ne domus veſtræ aſtrictus ſine conſenſu & licentia Abbatis, & maioris partis veſtri Capituli pro aliquo fideiubeat, vel ab aliquo pecuniam mutuò accipiat vltra pretium Capituli veſtri prouidentia conſtitutum, niſi propter manifeſtam domus veſtræ vtilitatem. Quòd ſi id fortè præſumpſerit non teneatur conuentus de his aliquatenus reſpondere. In Parochialibus verò Eccleſiis quas habetis liceat vobis Sacerdotes eligere, & Diœceſano Epiſcopo præſentare, quibus ſi idonei fuerint Epiſcopus curam animarum committat, vt ei de ſpiritualibus, vobis verò de temporalibus debeant reſpondere. Obeunte verò te nunc eiuſdem loci Abbate, vel tuorum quolibet ſucceſſorum nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia ſeu violentia præponatur, niſi quem fratres communi conſenſu, vel fratrum pars maioris & ſanioris conſilij: ſecundùm Deum & Beati Benedicti Regulam prouiderint eligendum. Decernimus ergo vt nulli omninò hominum liceat præfatum Monaſterium temere perturbare, aut eius poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, vel quibuſlibet vexationibus fatigare; ſed omnia integra permaneant eorum pro quorum gubernatione, & ſuſtentatione conceſſa ſunt vſibus omnimodis profutura, ſalua ſedis Apoſtolicæ autoritate, & Diœceſanorum Epiſcoporum Canonica iuſtitia. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſæculariſve perſona, hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire tentauerit, ſecundo tertiove commonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat, reámque ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſanctiſſimo corpore, ac ſanguine Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ vltioni ſubiaceat. Cunctis autem eidem loco iuſta ſeruantibus ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatenus hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum iudicem præmia æternæ pacis inueniant.

Annus Chriſti.

De interdicto fideiubendi aut mutuandi. III. n. 171.

Annus Chriſti. Ego Innocentius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Cynthius S. Laurentij in Lucina Preſbyter Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Centius SS. Ioannis & Pauli Preſbyter Cardin. tituli Pammachij ſubſcripſi.
Ego Petrus S. Marcelli Preſbyter Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Benedictus S. Suſannæ Preſbyter Cardin. ſubſcripſi.
Ego Leo S. Crucis in Ieruſalem Preſbyter Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Guala S. Martini Preſbyter Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Pelagius S. Cæciliæ Preſbyter Cardinalis ſubſcripſi.
Datum Laterani per manum Ioannis tituli S. Mariæ in Coſmedin Diaconi Cardinalis S. Romanæ Eccleſiæ Cancellarii XI. Kal. Iunij Indict. XIV. Incarnationis
1211. Dominicæ anno CIↃCCXI. Pontificatus Domini Innocentij. Papæ III. anno XIV.

Capvt IV.

Ex Lib. II. *Innocentij III. Papæ Regeſto* XIV. *epiſt.* LIV. *ad Abbatem & Conuentum Reomenſem.*

Vetat ne indebitis exactionibus ab Epiſcopis grauentur.

CVm à nobis petitur quod iuſtum eſt, & honeſtum tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, vt id per ſolicitudinem officij noſtri ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecti in Domino filij veſtris iuſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu præſentium auctoritate diſtrictius inhibemus, ne Venerabilis frater noſter Lugdunenſis Archiepiſcopus, & Epiſcopus Lingonenſis, vel aliquis veſter Prælatus procurationes, aut exactiones indebitas à vobis extorquere præſumat. Sed iis quæ iuxta Lateranenſis ſtatuta Concilii debentur iidem contenti exiſtant. Statuentes ne aliquis in vos, vel villas veſtras, ſine manifeſta, & rationabili cauſa excommunicationis,

De priuilegio, ne Reomenſes cenſuris peterentur. Ill. n. 174.

ſuſpenſionis, vel interdicti ſententiam audeat promulgare. *Annus*
Decernimus ergo vt nulli omninò hominum liceat hanc *Chriſti.*
paginam noſtræ inhibitionis, & conſtitutionis infringere, vel ex auſu temerario contraire, &c.

Datum Laterani VIII. Calen. Iunij, Pontificatus noſtri anno XIV. 1211.

CAPVT V.

Ex eodem Regeſto Innocentij III. Epiſtola LV. *Abbati Theoloci & Priori Ciſtertienſi.*

Delegatos ab Inquiſitione in Monaſterium Reomenſe prohibet, quòd ſubreptitia eſſet delegatio.

QVOTIENS per ſuggeſtionem falſitatis, & veritatis ſuppreſſionem circumuenire nos aliqui ſatagunt, circumueniunt potiùs ſemetipſos, quia cognita veritate, quidquid taliter impetrant nullius decernitur eſſe valoris, cùm mendax precator carere debeat impetratis. Sanè cum olim ad noſtram audientiam perueniſſet quòd Reomenſe Monaſterium, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus non modicum foret collapſum, Venerabili fratri noſtro, Eduenſi Epiſcopo, & dilecto filio Abbati de Buxeria dedimus in mandatis, vt ad idem Monaſterium accedentes, quæ ibidem corrigenda eſſent corrigerent, tam in capite, quàm in membris, ipſi verò, ſicut ex litteris eorum accepimus, mandatum Apoſtolicum exequentes ad locum perſonaliter acceſſerunt, & inquiſitione præhabita diligenti præfatum Monaſterium, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus inuenerunt multo meliùs ſe habere, quàm ſe longè retroactis temporibus habuiſſet. Quoſdam etiam de fratribus, qui cum dilecto filio eiuſdem Cœnobij Abbate diſcordes erant, ad veram pacem & firmam concordiam reuocarunt. Nuper autem nuncius venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Lingonenſis ad præſentiam noſtram accedens à nobis inquiſitionem contra dictum Abbatem

De Guidonis innocentiæ protecta. Illuſt. n. 174.

Annus Chriſti. ad vos, prædictorum mentione non habita, impetrauit. Cùm igitur ſicut ex multorum Religioſorum virorum teſtimonio, nec non & Capituli Reomenſis accepimus idem Abbas Monaſterium ipſum ſicut vir prouidus, & diſcretus tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus per Dei gratiam non modicum augmentarit. Diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus ſuperſedentes negotio memorato, in facienda inquiſitione auctoritate literarum noſtrarum nullatenus procedatis ne innocentia confundatur, aut veritas conculcetur.

Annus idem. Datum Laterani VIII. Cal. Iunij Pontificatus noſtri anno XIV.

CAPVT VI.

Ex eodem Regeſto Epiſt. LVI.

S. Columbæ Senonenſis, & S. Germani Autiſiodorenſis Abbatibus, & Decano Autiſiodorenſi.

Committit executionem Priuilegij Reomenſibus conceſſi ſupra capite quarto.

DVM dilectis filiis Abbati & Monachis Reomenſibus duxerimus indulgendum, ne venerabilis frater noſter Lugdunenſis Archiepiſcopus, & Epiſcopus Lingonenſis, vel aliquis eorum Prælatus procurationes, aut exactiones indebitas ab ipſis extorquere præſumat, & diſtrictiùs inhibuerimus authoritate Apoſtolicâ, ſtatuendo ne aliquis in eos, vel villas ipſorum, ſine manifeſta, & rationabili cauſa excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententiam audeat promulgare. Diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus illos, qui contra inhibitionem, & conſtitutionem noſtram duxerint temerè veniendum, vt ab huiuſmodi præſumptione deſiſtant cenſura Canonica ſublato appellationis obſtaculo compeſcatis. Quòd ſi non omnes &c. duo veſtrûm ea, &c.

Datum Laterani xvi. Calend. Iunij, Pontificatus noſtri anno xiv. *Annus Chriſti.* 1211.

CAPVT VII.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Ioannis de Garart liberi Suentiacum, & ſeipſos Guidoni donant coram Duce Odone, Ducíſſa Aalide, Gauterio Eduenſi Epiſcopo, tribus diſtinctis chartis, ſed verbis & anno iſtius.

NE in poſterum tenebroſum fiat quod præſentialiter agitur, Ego Aalis Duciſſa Burgundiæ notum facio vniuerſis præſentibus & futuris, quòd Odo filius Ioannis de Garart & Regina, & Adelina filiæ eiuſdem Ioannis in præſentia mea conſtituti cognouerunt ſe dediſſe in eleemoſynam Deo, & Eccleſiæ beati Ioãnis Reomaenſis, quidquid habebant & reclamabant in omnibus, & per omnia in villa, quæ dicitur Suenci, & finagio, ac pertinentiis eiuſdem villæ, quæ de feodo iam dictæ Eccleſiæ erant, & eſſe recognoſcebant. Quæ videlicet omnia Ioannes, & Flandina pater & mater eorũ coram me recognouerunt Odoni, & Reginæ & Adelinæ pro portione patrimonij ſui dediſſe ipſis Ioanne, & Flandina, & aliis eorum liberis laudantibus. Prætereà ſæpè dicti Odo, & Regina & Adelina dederunt ſe prætaxatæ Eccleſiæ, vt liberos in perpetuum poſſidendos: vt autem res ita contracta firmitatem obtineat, ad inſtantiam multoties dictorum Odonis, Reginæ, Adelinæ, Ioannis & Flandinæ precum, præſentem paginam ſigilli mei feci munimine roborari. *De homiſnum liberorum deditione. III n.175.*

Actum anno Incarnati Verbi milleſimo ducenteſimo duodecimo. 1212.

Annus Chriſti.

Capvt VIII.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Iudicum à Pontifice delegatorum ſententia pro Guidone & ſuis.

Ego G. Decanus de Eſpiſſia, & Held. Prior de Tiſiaco notum facimus præſentibus & futuris, quòd cùm Abbas & Conuentus Reomaenſis ex vna parte, & Theobaldus olim Præpoſitus Montisbarri litigarent coram Abbate, Decano, Cantore Vizeliacenſibus Iudicibus à Domino Papa delegatis ſuper terris, pratis, & rebus aliis, tandem dictæ partes de voluntate, & aſſenſu dictorum Iudicum in nos compromiſerunt, & promiſſionem fide præſtita confirmantes, de ſeruando arbitrio noſtro, plegios vſque ad quinquaginta libras dederunt. Nos igitur iura vtriuſque partis diligenter inquirentes, cùm conſtitiſſet nobis per teſtes ab vtraque parte productos, quædam foſſata ſita ſubtus ſtagnum Montisfortis, & quendam campum qui eſſet ſuper foſſata, & alium campum, qui eſt ſubtus foſſata, & quandam terram ſitam deſuper tramitem iuxta foſſata, & quoddam pratum iuxta paſcua Montisbarri ſitum, & partem cuiuſdam virgulti ſiti prope oreum virgulti prænominati Theobaldi ad Reomaenſem Eccleſiam pertinere, ea eidem Eccleſiæ adiudicauimus. Introitum etiam præfati virgulti iuxta Dominum Iosbelinum decreuimus fieri. Ita quod idem Theobaldus tenebitur introitum, & cuncta damna eis reſarcire. Et vt iſtud ratum, factum, & inconcuſſum permaneat, ſigillis noſtris illud fecimus roborari.

Quorūdam vocum expoſitio. Ill n. 176.

1214. Actum anno gratiæ milleſimo ducenteſimo quarto-decimo.

Caput IX.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Permutatio inita Guidone Præſidente de vinea Tiſiacenſi.

EGo Hugo Archidiaconus Tornodorenſis omnibus præſentes litteras inſpecturis notum eſſe volo, quòd ego commutationem illam quam Prior Tiſiaci, & Ogerus de Teliciaco, inter ſe fecerunt de vinea, quæ dicitur de Praella ad campum qui eſt in clauſo de Biſgremam, in quo videlicet campo coſtumam meam habebam, & prætereà qui de caduco meo erat, laudo & concedo Priori nominato. Ita ſcilicet, quòd nec cenſum, nec coſtumam, nec *Quid caducum.* iuſtitiam in dicto campo mihi retineo: nec dictus Prior in *III.n.176.* iam dicta vinea ſimiliter nec cenſum, nec coſtumam, nec iuſtitiam ſibi vel Eccleſiæ Reomaenſi retinet, vel reſeruat. In huius verò rei teſtimonium præſentes litteras Priori tradidi ſigilli noſtri teſtimonio confirmatas.

Actum anno gratiæ milleſimo ducenteſimo quarto-decimo, menſe Iunio. *Idē ann.*

Caput X.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Tranſigit Guido Abbas cum Guidone Domino Iulei de oblationibus Capellæ Iúliacenſis.

NOverint vniuerſi, ad quos litteræ præſentes peruenerint, quòd cùm nos, Abbas, & Conuentus Reomaenſis ex vna parte, & ego Guido Dominus de Iuleio ex altera, litigaremus coram Decano Capellæ Diuionenſis, & Coniudicibus ſuis à Domino Papa delegatis, ſuper permutatione oblationum Capellæ de Iuleio, tandem poſt mul-

Annus Christi. tas altercationes compoſuimus in hunc modum. Quòd nos, Abbas, & Conuentus Reomaenſis conceſſimus Domino Guidoni, & Clericis ſeruientibus in Capella de Iuleio oblationes, quæ ibidem fient à Domino Guidone, & vxore ſua, & hoſpitibus ſuis, & familia ſua, illis ſcilicet quos Dominus Guido tenebit propriis expenſis tam in victu, quàm in veſtitu, ſaluo iure Parochiali Eccleſiæ de Iuleio in omnibus, tam in decimis, quàm in aliis, quæ hîc ſpecialiter non exprimuntur. Si verò alios Parochianos de Iuleio in eadem Capella offerre contingat, Clerici Capellæ tenentur per fidelitatem ſuam Presbytero, & Priori reddere oblationes eorum. Et ego Guido Dominus de Iuleio in recompenſationem oblationum dedi, & conceſſi dictis Abbati & Conuentui, & Curato de Iuleio dimidium modium bladi in decima de Fulcheriis annuatim percipiendum, tertiam partem frumenti, & tertiam hordei, & tertiam auenæ, cuius medietas Monachorum eſt, & medietas alia Capellani. Si verò de parte quam ego habeo in prædicta decima tota ſumma illa non poſſit perſolui, in molendino meo de Ferreio reſiduum perſoluetur. Et hoc laudauit Petronilla vxor mea. Conceſſi etiam ego Guido, & creantaui, quòd de cætero nec ego, nec alius de mandato meo, vel aſſenſu procurabit augmentum Capellæ ſæpè dictæ in detrimentum, vel læſionem matricis Eccleſiæ, nec Monachi ſimiliter, vel Curatus augmentum Eccleſiæ matricis procurabunt in detrimentum, vel læſionem Capellæ memoratæ. Conceſſi etiam, quòd ſi Capella prædicta quod abſit, remaneat Clericorum ſeruitio deſtituta, oblationes prædictæ ad matricem Eccleſiam reuertentur, & iſtas conſtitutiones iurauerunt Huo Presbyter, Ioannes Boucharz, Thomas de Fulcheriis ſe fideliter obſeruaturos, & ſucceſſores eorum, & Vicarij, tam ab illis, quos hîc nominauimus, quàm à ſucceſſoribus eorum conſtituti ad obſeruandum ſimiliter iurare tenentur antequam dictæ Capellæ beneficio inueſtiantur. Et vt factum iſtud ratum & ſtabile permaneat, ego Guido Abbas Reomaenſis, & ego Guido Dominus de Iuleio ſigillorum noſtrornm munimine roborauimus.

Quid creãtare. n. 176.

Actum eſt hoc anno ab Incarnatione Domini milleſimo ducenteſimo decimo-quinto, die Mercurij ante natiuitatem beatæ Mariæ. *Annus Chriſti. 1215.*

Capvt XI.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Confirmatur ſuperior tranſactio à Iudicibus delegatis à Pontifice.

Robertvs Capellæ Ducis, Ioannes Chriſtianitatis Diuionenſis, A. Oſcarienſis Decani vniuerſis præſentes litteras inſpecturis, in Domino ſalutem. Cùm eſſemus Iudices authoritate Apoſtolicâ delegati ſuper cauſa, quæ vertebatur inter Eccleſiam Reomaenſem, & Guidonem Dominum de Iuleio ſuper permutatione oblationum Capellæ ſuæ de Iuleio, poſt multam altercationem, bonis viris mediantibus, inter ſe compoſuerunt de prædictis querelis, quam compoſitionem ad petitionem ipſorum, ſicut in authentico ſigillis ſuis roborato, &coram nobis recitato, continetur authoritate Apoſtolicâ, quâ fungimur in hac parte, approbamus & confirmamus. Qui eſſent Decani Chriſtianitatis. Ill.n.177.

Actum eſt hoc anno ab Incarnatione Domini milleſimo ducenteſimo decimo-quinto. *Idē ann.*

Capvt XII.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Guido redimit iura ſaluamenti Eſtiuci.

Ego Hugo Dei patientiâ Lingonenſis Epiſcopus, notum facimus vniuerſis præſentes litteras inſpecturis, quòd Ioannes Rubeus miles de Merlegniaco vendidit Guidoni Abbati Reomaēſis Monaſterij, quidquid habebat in ſaluamento de Eſtiueio. Videlicet in pane & vino, &

Annus Christi. carne, & gallinis, & in omnibus aliis rebus. Iſtam autem venditionem laudauerunt Adelina vxor dicti militis, & Iobertus de Venoſſes, à quo idem miles tenebat, & dictus Iobertus tenebat in feodo ab Eccleſia Reomenſi. Et ne ſuper iſta venditione quæſtio de cætero ſuboriretur, ad preces vtriuſque partis præſentes litteras ſigilli noſtri munimine corroborauimus.

Quid ſaluamentum, illuſt. n.

1222. Actum eſt hoc anno Domini milleſimo ducenteſimo vigeſimo-ſecundo, menſe Septembri.

Capvt XIII.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Arnulfus S. Petri Autiſiodorenſis Abbas interpretatur iura Reomaenſium & Rubeimontis arbiter vtrinque electus.

CVm tempore bonæ memoriæ Godefridi Lingonenſis Epiſcopi quædam controuerſia verteretur inter Eccleſiam Reomaẽſem ex vna parte, & Eccleſiam beatæ Mariæ Rubeimontis ex altera, ſuper iure Parochiali Eccleſiæ Aſiaci, vt in charta eiuſdem Epiſcopi apparet. Dictus Epiſcopus, qui Iudex ordinarius vtriuſque Eccleſiæ erat, finem dictæ diſcordiæ imponere volens, partes ſuas interpoſuit ad pacem inter dictas Eccleſias reformandam de aſſenſu & laude vtriuſque partis, ſecundùm quod ius & æquitas exigebat, & pacem illam ad memoriam futurorum in quandam chartam redegit, & ad maius robur eandem ſigillo ſuo, vt iudex ordinarius roborauit. Sed quia in eadem charta aliqua videntur aliquibus obſcura, de nouo alia eſt orta controuerſia ſuper præmiſſis, vnde in nos communi aſſenſu & voluntate vtraque pars compromiſit, ad tollendam & declarandam dictæ chartæ obſcuritatem, concedentes ſub pœna quinquaginta librarum, quod dictum noſtrum ſuper hoc decreto firmiter obſeruabunt.

Nos itaque, diligenter inſpecto primæ chartæ capitulo, ſcilicet quòd omnes homines de Caſtro & Burgo, & de tota Parochia ad Eccleſiam Aſiaci, bis in anno, ſcilicet in feſto ſancti Germani, & in feſto omnium Sanctorum, cum debitis oblationibus generaliter conueniant, ipſum in primis declarare curauimus, quia quidam dicebant quòd in aliis diebus, niſi in diebus prænominatis ſecundùm chartæ tenorem, dicti homines non tenebantur venire ad Eccleſiam Aſiaci, aliis contrarium dicentibus, & ſentientibus. Nos itaque hanc obſcuritatem declarando, dicimus quòd de communi iure & conſuetudine in partibus iſtis hactenùs approbata, dicti homines tenentur venire ad Eccleſiam ſuam Parochialem Aſiaci Dominicis diebus & feſtiuis, & aliis ſecundùm quod opportunitas eis permiſerit. Sed non dicimus cum debitis oblationibus: quia in illis diebus non fiunt debitæ oblationes, ſed voluntariæ. Tenentur venire ibi ad audiendum verbum ſalutare, & præcepta Eccleſiaſtica, & quæ ſunt feſtiuitates feriales omnibus, & quæ feriales fœminabus, non hominibus, & alia corporibus & animabus vtilia, & ad ſciendum qui ſunt excommunicati nominatim, vt eos tanquam excommunicatos euitare poſſint, ne ſententiæ in ipſos latæ participes fiant. Et cùm omnia Parochialia iura iuſſione dicti Epiſcopi Eccleſiæ Aſiaci collata ſint, de confeſſionibus, reconciliationibus puerperarum, nuptiarum, iudiciorúmque benedictionibus, cùm nullâ indigeant declaratione, dicimus, vt ſic obſeruetur ſicut continetur in charta dicti Epiſcopi. De cereo benedicto, & chriſmate, ſicut diſtinctè in Synodo præcipitur Presbyteris dicimus, vt ſint in diligenti cuſtodia Presbyteri Aſiaci, ne de illis poſſint fieri ſortilegia, vel alia maleficia. De infantibus baptizandis dicimus, vt ſicut definitum eſt à prædicto Epiſcopo de cætero firmiter obſeruetur. Etſi neceſſitas tanta ſit, quòd Presbyter Aſiaci non poſſit tempeſtiuè venire, baptiſetur ab aliquo alio Clerico, vel laico in Eccleſia, vel extra, ſecundùm quod neceſsitas popoſcerit. Dicit dictus Epiſcopus in charta ſua ſuper hoc confecta, quòd omnes defuncti ad Eccleſiam

Annus Chriſti.

De feſtis fœmineis & virilibus III. n. 179.

Annus Chriſti. Aſiaci ſepeliantur, nullo excepto, niſi iis qui præmiſſo iure Parochiali ad Eccleſiam beatæ Mariæ ſepeliri voluerint. Vnde dicimus, quòd de illis, qui peruenerunt ad legitimam ætatem tantummodò intelligendum eſt, & non de illis paruulis qui non habent diſcretionem, & velle, nec poſſunt eligere ſepulturam, cùm charta dicat de iis qui voluerint, & non de quolibet alio. Et quia in articulo illo, qui dicit præmiſſo iure Parochiali reddantur Conuentui beatæ Mariæ, videntur aliqui dubitare quale ius Eccleſia Aſiaci debeat habere in illis Parochianis ſuis; nos ita dignum ducimus declarare. Ius Parochiale tale eſt de iure communi & conſuetudine approbata, quòd inprimis debet facere infirmus teſtamentum Presbytero ſuo, & Eccleſiæ ſuæ, poſteà quibus voluerit: mortuus debet primò deferri ad Eccleſiam Aſiaci Parochialem, & ibi Miſſa pro defunčto celebrari. Poſtmodùm verò Presbyter Aſiaci debet reddere corpus defunčti Conuentui Eccleſiæ beatæ Mariæ Rubeimontis, ordine ſeruato hinc inde, qui continetur in charta dičti Epiſcopi ſuper hoc confečta. Dicunt aliqui, quòd pueri infra legitimos annos conſtituti debent ſepeliri apud Rubeummontem, ſi Patres eorum eiſdem ibi elegerint ſepulturam, dicentes eos hoc iure vſos fuiſſe per quadraginta annos & ampliùs. Hoc etiam dicunt de confeſsionibus, & ponunt cauſam, eo quòd non audent accedere ad Eccleſiam Aſiaci propter guerrarum pericula. Sed nos dicimus in his duobus articulis homines Rubeimontis nullam acquiſiuiſſe præſcriptionem, quia ſi quando homines prædički non ſunt auſi accedere ad Eccleſiam Aſiaci ad confitendum peccata ſua propter guerras, vt ſuperiùs dičtum eſt, dicimus quòd ceſſante cauſâ ceſſat effečtus, quia modò non ſunt ibi tales guerræ. De ſepulturis puerorum dicimus, quòd ipſi, vel patres eorum per hoc nullam acquiſierunt præſcriptionem, cùm Presbyter Aſiaci nullum faciens præiudicium Eccleſiæ ſuæ, vel ſucceſſoribus ſuis, & pueros & adultos poſſit ſepelire in quibuſlibet cæmeteriis pro voluntate ſua, de aſſenſu tamen parentum & amicorum. Quia delictum perſonæ non redundat

in detrimentum Eccleſiæ. Vnde per hoc nulla alicui potuit acquiri præſcriptio, maximè cùm ipſa ſemper debeat habere iuſtum titulum, & bonam fidem, quod dicti homines habere non potuerunt, ſcientes quòd omnia iura Parochialia tam caſtri, quàm Burgi pertineant ad Eccleſiam Aſiaci, ſicut continetur in charta ſuper hoc confecta. De expenſis verò in lite factis hîc nihil, & de chatex nihil modò definimus, quia chatex nondum ſunt probata, nec expenſæ iuratæ, vel taxatæ. Sed poteſtatem penès nos retinemus de dicendo pro voluntate noſtra ſuper his tempore opportuno. *Annus Christi.* Quid fuerit Catalum. Ill. n. 179.

Ego Arnulfus Abbas S. Petri Autiſiodorenſis huic dicto meo ſuper præmiſsis coram partibus, & pluribus aliis probis viris ſolemniter prolato ad petitionem partium, & ad memoriam futurorum, ſigillum noſtrum apponere dignum duximus.

Actum anno Domini milleſimo ducenteſimo vigeſimoſexto, menſe Octobri, die Martis proxima poſt feſtiuitatem beati Remigij. 1226.

Capvt XIV.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Hugo IV. Dux Burgundiæ Guidoni fit aſſertor Suenciaci.

Ego Hugo Dux Burgundiæ notum facimus omnibus præſentes litteras inſpecturis, quòd in præſentia Andreæ Domini Eſpiſiæ, & mandati noſtri à nobis conſtituti, videlicet Boini Vigerij Caſtellionis, & Petri de Corbigny Præpoſiti Aualonis, Ioannes de Vineis, & filij eius, videlicet Andreas, Nicolaus Clericus, Hugoino & Achardus, & omnes alij hæredes ſui quitauerunt Eccleſiæ Reomaenſi ſpontanei, non coacti, abſque vlla reclamatione, quidquid iuris ſe dicebant habere in omni vtilitate in villa de Soanceio cum appendiciis ſuis, & in finagio eiuſdem

Annus Chriſti. villæ, ſi quid iuris in eodem habebant. Dictus autem Andreas Dominus Eſpiſſiæ, Ioannes de Vineis, & filij eius ſupradicti non humiliter rogauerunt, vt dictam villam de Soanceio cum appendiciis ſuis aduersùs eos, & aduersùs omnes homines manuteneremus & defenderemus Abbati & Conuentui Reomaenſi, & de dictæ quitatione legitimam garantiam eidem Eccleſiæ portaremus. Nos verò precibus ſupradictorum inclinati, dictam villam de Soanceio cum appendiciis ſuis tenemur defendere & conſeruare bona fide memoratæ Eccleſiæ Reomaenſi. Et vt iſta quitatio rata maneat & inconcuſſa, ad inſtantiam ſupradictorum præſentes litteras ſuprà dictis Abbati & Conuentui tradidimus ſigilli noſtri munimine roboratas.

De Garantiis. Ill. n. 181.

1230. Actum eſt hoc anno Domini milleſimo ducenteſimo triceſimo, menſe Ianuatio.

Capvt XV.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Emptio Guidonis de Remundo Abbate Diuionenſi.

VNiversis & ſingulis præſentes litteras inſpecturis. Nos Laurentius Curatus de Salmaſia Eduenſis Diœceſis, & Humbertus Curatus de Charanceio, Lingonenſis Diœceſis, notum facimus quòd nos vidimus, examinauimus, & verbo ad verbum legimus quaſdam litteras ſanas & integras non raſas, non abolitas, nec cancellatas, nec aliqua parte ſui litura, vel ſigillo vitiatas, formam ſubſequentem continentes. Ego Guido Reomaenſis Monaſterij dictus Abbas, & eiuſdem loci Conuentus notum facimus omnibus præſentes litteras inſpecturis. Quòd venerabilis Pater Remundus Dei gratia S. Benigni Diuionenſis Abbas, & eiuſdem Eccleſiæ Conuentus dederunt, & in perpetuum conceſſerunt nobis quidquid iuris Prioratus ſuus de Salmaſia habebat, & habere poterat apud Viſarne, & apud Vilen-

Vilennes, & in appendiciis earundem villarum, & quatuor *Annus* ſextarios bladi de eleemoſyna Domini Vuilelmi de Salma *Chriſti.* militis, ad menſuram Montis Regalis annuatim percipiendos in decima ſua de Taleceio. Videlicet vnum ſextarium frumenti, alterum ſiliginis, & duos auenæ perpetuò poſſidendos pro quinquaginta ſolidis Diuionenſibus reddendis ſingulis annis Priori de Salmaſia, & apud Salmaſiam infrà octauas Annunciationis Dominicæ. Et ſi fortè, quod abſit, intra dictum terminum non reddamus, nos tenemur prouidere nuncio Prioris ſupradicti in expenſis eundo & redeundo ad nos factis, quòad vſque dictus Prior de quinquaginta ſolidis ſe teneat pro ſe & Eccleſia ſua penitùs propagato. In cuius rei teſtimonium ego Abbas præſentibus litteris ſigillum meum appoſui. Et quia nos Conuentus ſigillum non habemus, ſigillo Decani Montisbarri præſentes litteras fecimus ſigillari.

Cur hactenus ſigillum non habuerit Conuentus Reomenſis. Ill. n. 182.

Actum anno Domini milleſimo ducenteſimo triceſimoquarto, menſe Martio. Viſio noſtra anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo-nono, menſe Martio. 1234.

CAPVT XVI.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Robertus Epiſcopus Lingonenſis donationem Guidoni factam teſtatur.

NOTVM ſit omnibus præſentes litteras inſpecturis, quòd Dominus Hugo Boiche miles, & Domina Petronilla vxor eius, & Huguenius & Vvilelmus filij ipſorum dederunt & conceſſerunt, & penitùs quitauerunt quidquid iuris habuerant & habebant in furno de Marmeaus, & in molendino nouo, quod eſt ſubtus villam quæ dicitur Vineas: & in media parte decimæ de Vaſſeió, & in media parte tertiarum de Glenon in perpetuam eleemoſynam Eccleſiæ Reomaenſi. In cuius rei teſtimonium, ego Robertus Dei gratiâ Lingonenſis Epiſcopus, ad preces & inſtan-

Donationes cur dictæ eleemoſynæ. Ill n. 183.

Kk

Annus Chriſti. tiam vtriuſque partis præſentibus litteris ſigillum noſtrum fecimus apponi.

Annus idem. Actum eſt hoc anno Domini milleſimo duceenteſimo triceſimo-quarto, menſe Decembri.

Capvt XVII.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Concordia inter Guidonem Abbatem, & Iterium de Brocia in lite Riceienſi.

Robertvs Dei gratiâ Lingonenſis Epiſcopus, vniuerſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem & notitiam rei geſtæ. Noueritis, quòd nos vniuerſas diſcordias, quæ inter Abbatem & Conuentum Reomaenſem, ex vna parte; & Dominum Iterium de Brocia militem, ex altera, occaſione villæ de Riceio; coram Abbate de Chora & coniudicibus ſuis anthoritate Apoſtolicâ delegatis vertebantur, pacificauimus in hunc modum. Quòd excaſuræ & talliæ, & queſtæ quæ factæ fuerint in hominibus Eccleſiæ Reomaenſis de Riceio, & placitum generale, & chauagia dictorum hominum, & coruei æ eorundem per medium partientur inter dictos Abbatem, & Conuentum, & Dominum Iterium. Iuſtitia verò de terra Reomaenſis Eccleſię apud Riceium, & hominum ipſius videlicet commorantium in terra, & manſis eiuſdem Eccleſię, per medium ſimiliter partientur. Si verò latro deprehenſus fuerit, qui debeat mortem ſubire, tradetur nudus Domino Iterio ad ſuſpendendum, vel ſi aliquis alius deprehendatur in forefacto, pro quo debeat puniri ad effuſionem ſanguinis, vel mutilationem membrorum, res illius per medium partientur. Domus verò ſancti Ioannis Reomaenſis habebit plenum vſuarium in tribus nemoribus, ſcilicet de Loſenna, des Anuers, & de la Foreſt. Ita quod primò capiet in vno nemore ſibi oſtenſo, quòd poſſit ſufficere ad vſuarium dictæ domus. Illo verò deficiente in alio nemore capiet, &

De excaſuris & chauagiis. Ill. n. 184.

poſteà in tertio. De terris dictorum nemorum, ſi extirpata *Annus*
fuerint, dicimus quòd terræ per medium partientur inter *Chriſti.*
prædictas partes. Si verò Abbas Reomaenſis venerit ad
villam de Riceio, piſcationem habebit quandiu fuerit in De piſca-
villa, in tota riparia de Riceio cum rete & lorra. Eccleſia tione cum Lorra.
verò Reomaenſis habebit ibi ſeruientem ſuum liberum, & Ill.n.197.
Dominus Iterius ſuum, qui facient ſibi inuicem ſacramentum fidelitatis, quòd ſeruabunt fideliter ius vtriuſque partis. Si autem Dominus Iterius voluerit alicui dare manſum ad domificandum, dabit primò manſum vacuum, ſi repertum fuerit in villa, poſteà ſi neceſſe fuerit extra villam ordinatè vnum poſt alium, ſecundùm conſuetudinem villæ; ita quòd coſtumæ penes Eccleſiam Reomaenſem remanebunt, ſi terra ſua fuerit. Manſus verò & domus Preſbyteri de Riceio cum toto tenemento adiacenti, & tota eſcaſura ſua remanebunt integrè Eccleſiæ Reomaenſi. Res verò ſupradictas, videlicet eſcaſuras, tallias, iuſtitiam, placitum generale, corueias, & ea in quibus aſſociati ſunt, non poterit Dominus Iterius, vel hæredes ſui in eleemoſynam concedere, prxterquam Eccleſiæ Reomaenſi, nec ab alio Domino in feodo recipere. Dominus verò Iterius debet ſoluere Eccleſiæ Reomaenſi decimam de terris propriis & vineis. Si ergo eſcaſura venerit Eccleſiæ Reomaenſi, vel Domino Iterio intra annum bona fide tenentur vendere: & ſi non poſſunt vendere in primo anno, in ſubſequenti vendere tenentur. De molendinis verò de quercu dicimus, quòd partem illam, quam neutra pars poſſidet, acquirent bona fide, & communiter ſoluent; & communiter partientur, & communiter reficient. Et vt iſta compoſitio rata maneat & inconcuſſa ad preces & inſtantiam vtriuſque partis, præſentes litteras ſigilli noſtri munimine fecimus roborari.

Actum eſt hoc anno Domini milleſimo ducenteſimo tri- 1235.
ceſimo-quinto menſe Iunio.

Annus Chriſti.

Capvt XVIII.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Guido ſocietatem inſtituit inter ſuos & Cellenſes Trecarum.

VEnerabilibvs in Chriſto fratribus Religioſis viris Guidoni Eccleſiæ Reomaenſis diuina permiſſione Abbati, & eiuſdem loci Conuentui, Frater Letericus diuina permiſſione ſancti Petri de Cella dictus Abbas, & eiuſdem loci Conuentus Trecenſis, Salutem & ſinceram in Domino charitatem. Noueritis quòd ad petitionem chariſſimi noſtri Guidonis Eccleſiæ Reomaenſis Abbatis, & quorundam fratrum Eccleſiæ prædictæ in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti vnanimi aſſenſu talem contraximus vobiſcum ſocietatem. Si Domnus Abbas Reomaenſis ad nos venerit, & Capitulum tenere voluerit, ei licebit, & quæcunque ibi tractanda ſunt diſponere, & fratres de quacunque ſententia abſoluere poterit. Similiter noſtræ Eccleſiæ Abbati in Eccleſia Reomaenſi idem ſi voluerit, facere licebit. Item, ſi aliquis Monachus veſter, excepto furto, diſcordatus ab Abbate & Capitulo veſtro, ad nos venerit, quoad vſque reconciliatus fuerit, eum retinebimus, & ei neceſſaria prouidebimus: & vos ſimiliter de noſtro facietis. Si autem breuis defuncti ante Capitulum venerit Commendatio, Vigiliæ & Miſſa matutinalis, ac ſi præſens eſſet corpus, pro eo celebrabitur. Breues in Capitulo legentur, poſt Capitulum omnes campanæ pulſabuntur, generale fiet officium. Si autem poſt Capitulum quacunque hora venerit vſque ad collationem ſtatim Vigiliæ cantabuntur, cætera vſque in craſtinum differentur. In Conuentu ſeptem Vigiliæ & ſeptem Miſſæ fient, inter fratres tricenarius Miſſarum diuidetur, pro eo triginta diebus in Refectorio præbenda dabitur, vnuſquiſquę Sacerdotum Miſſam vnam, vnuſquiſque Diaconorum, Subdiacono-

De ſocietatibus Reomaenſibus. Illuſt. n. 185.

rum, Acolythorum Pſalterium vnum, Conuerſi centum *Annus*
Miſerere mei Deus, vel totidem *Pater noſter* dicent. In Calen- *Chriſti.*
dario nomen defuncti ſcribetur, & anniuerſarium quaſi pro noſtro profeſſo celebrabitur. In Anniuerſariis Abbatum magnæ Vigiliæ fient. Ad hanc ſocietatem confirmandam & retinendam feſtiuitas ſancti Ioannis Reomaenſis hominis Dei in duodecim Lectionibes celebrabitur apud nos, & feſtiuitas S. Frodoberti apud vos in duodecim Lectionibus ſimiliter. In cuius rei teſtimonium & memoriam præſentes litteras ſigillorum noſtrorum munimine fecimus roborari.

Anno gratiæ milleſimo ducenteſimo triceſimo ſexto, 1236.
menſe Februario.

GVILLELMI III. ABBATIS XLVIII.

Rerum geſtarum excerpta.

CAPVT I.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Robertus Lingonenſis Epiſcopus de donatione Guillelmo facta dicit teſtimonium.

ROBERTVS Dei gratia Lingonenſis Epiſcopus vniuerſis præſentes litteras inſpecturis, ſalutem in Domino. Vniuerſitati veſtræ notum facimus, quòd in noſtra conſtitutus præſentia Ioannes de Riceio Capellanus, nepos Stephani quondam Curati de Riceio, dedit & conceſſit in perpetuam eleemoſynam, pro remedio animæ ſuæ, Monaſterio Reomaenſi domos ſuas, cum omnibus appendiciis, & porpriſio dictarum domorum ſitas apud Riceium, iuxta domos dicti Monaſterij Reomaenſis. Tradidit etiam dictus Ioannes Capellanus in noſtra præſentia Vuillelmo Abbati

Annus Christi. Reomaenſi nomine Monaſterij Reomaenſis veram poſſeſ-
De Vvillelmi initiis Ill. n. 185. ſionem dictarum domorum, & porpriſij, & ipſum Abbatem de eiſdem inueſtiuit, promittens per iuramentum ſuum in manu noſtra corporaliter præſtitum ſe eiuſmodi donationem bona fide inuiolabiliter ſeruaturum, & nunquam per ſe, vel per alium de cætero contra dictum Monaſterium ſe moturum quæſtionem, volens & nobis ſupplicans, vt ſi contingeret, quod abſit, ipſum contra dictam donationem venire, & erga dictum Monaſterium quæſtionem mouere; quod in ipſum animaduerteremus, & excommunicaremus eundem. In cuius rei teſtimonium præſens inſtrumentum ad preces, & inſtantias dicti Abbatis, & dicti Ioannis, ſigilli noſtri munimine fecimus roborari.

1238. Actum anno Domini milleſimo ducenteſimo triceſimooctauo, menſe Ianuario.

Capvt II.

Ex Tabulario Reomaenſi

Concordia Guillelmi cum Domino Rupis fortis.

Ego A. Dominus Rupis fortis omnibus præſentes litteras inſpecturis notum facio, quòd cùm diſcordia eſſet inter Religioſos viros Abbatem & Conuentum Reomaenſem ex vna parte, & nos ex altera, ſuper Borda ſita iuxta molendinum ſancti Ioannis apud Aſiacum, & ſuper clauſura prati ſui iuxta Prioratum de Aſiaco per bonos viros, videlicet Abraham Priorem de Vaucia, & Dominum Andream de Sauuoiſiaco pacificati ſumus in hunc modum.

Quid eſſet in Borda amaſire. Ill. n. 185. Quòd Borda iam dicta ita maneat, quòd Abbas, vel Prior de Aſiaco non poſſunt aliquem in eadem amaſire, & quòd dicta clauſura prati maneat, & fiat ſicut eſt incepta. Et ad maiorem firmitatem huius rei ad inſtantiam ſupradicti Abbatis, & ſupradictorum mediatorum, videlicet Prioris de Vaucia, & Domini de Sauuoiſiaco in teſtimonium huius rei præſentes litteras ſigillaui.

Actum anno Domini milleſimo ducenteſimo triceſimo-nono, menſe Martij. *Annus Chriſti.* 1239.

Capvt III.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Iudicium Decani Reomaenſis pro Guilelmo & Monachis.

T. Decanus Reomaenſis Presbytero de Crie ſalutem in Domino. Cùm Abbas & Conuentus Reomaenſis Laurentium de Crie piſcatorem coram nobis authoritate Domini Lingonenſis, ſuper terris tercialibus ſitis in finagio de Crie, in quibus dictus Laurentius dicebat ſe tractum habere, & ſuper Serganteria ad Prioratum de Aſiaco ſpectantibus traxiſſent in cauſam, lite ſuper præmiſſis coram nobis legitimè conteſtata, teſtibus productis, atteſtationibus publicatis, omnibus ritè peractis. Nos dè conſilio prudentium virorum, prænominatis Abbati & Conuentui, In nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, dictas terras terciales tractum & Serganteriam per ſententiam definitiuam adiudicauimus; contradictores, rebelles, & perturbatores ſententiæ excommunicationis decreuimus ſupponendos. Inde eſt quòd vobis mandamus, quatenus dictos Abbatem, & Conuentum in dictis terris tercialibus, tractu, & Serganteria authoritate noſtra tueamini, contradictores, rebelles & perturbatores per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcendo.

De terris tercialibus. III.n.110.

Quid tractus & Serganteria. II.n.187.

Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo triceſimo-nono, menſe Maij, die Martis ante Aſcenſionem Domini. Reddidi litteras. *Annus idem.*

Annus Chriſti.

CAPVT IV.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Guillelmus ius Feudalis Dominij in allodia quædam Eſtiuenſia commutat.

VNIVERSIS præſentes litteras inſpecturis, Robertus Dei gratia Lingonenſis Epiſcopus, ſalutem in Domino. Vniuerſitati veſtræ notum facimus, quòd in noſtra conſtituti præſentia Milo de Lania miles, & Ioanna vxor eius, quidquid habent & poſſident in terris, pratis, hominibus, nemoribus, & aliis rebus in villa Eſtiue, & eius finagio, quæ mouent de capite dictæ Ioannæ, cœperunt in feodum à viro Religioſo Guillelmo Abbate Reomaenſi, nomine Eccleſiæ Reomaenſis, & eidem Abbati in noſtra præſentia de rebus dictis homagium fecerunt, recognoſcentes ſe dicto Abbati & Eccleſiæ Reomaenſi feodum omnium rerum prædictarum, quas de Alodio tenebant pro quadraginta libris Diuionenſibus vendidiſſe. Renuntiauerunt etiam per iuramenta ſua omni exceptioni, quæ ſibi de iure poſſet competere, & deceptioni vltra dimidium iuſti pretij. Renunciauit autem dicta Ioanna, &c.

An licuerit ius feudi in allodio emere. Ill.n:188.

Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo triceſimonono, menſe Iunio.

Annus idem.

CAPVT V.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Guillelmus cenſum in tria nemora Monaſterio reſtituit.

VNIVERSIS præſentes litteras inſpecturis, Guido Dei gratia Eduenſis Epiſcopus, ſalutem in Domino. Vniuerſitati veſtræ notum facimus, quòd cùm diſcordia verte-

verteretur inter Abbatem, & Conuentum Reomaenſem, ex vna parte, & Ioannem Dominum de Rocha, de Brunim ex altera, ſuper quibuſdam nemoribus ſitis in territorio de Valeriis, quæ vocantur nemus de Valeres, nemus de dorſo aſini, nemus de Booloy, tandem Vvilelmo Abbate Reomaenſi, & dicto Ioanne in præſentia mea conſtitutis, dictus Ioannes recognouit ſe tenere ad cenſum dicta nemora pro duobus ſolidis Diuionenſibus cenſualibus in annunciatione Dominica ſoluendis, &c. Hoc autem dictus Ioannes Dominus de Rocha, de Brunim, & Galterius filius eius per iuramenta ſua in noſtra præſentia corporaliter præſtita, & Sibilla vxor dicti Ioannis, per iuramentum ſuum in præſentia mandati noſtri, videlicet Dauid Archipresbyteri Corbiniaci præſtitum, promiſerunt ſe bona fide ſeruaturos; promiſerunt etiam per iuramenta ſua, quòd nunquam in poſterum per ſe, vel per alium contra huiuſmodi venirent, nec dictam Eccleſiam ſcienter moleſtarent, nos rogantes, quòd ſi contingeret, quod abſit, eos vel eorum hæredes contra ſuperiùs nominata venire, quòd nos ipſos, & eorum hæredes ad inſtantiam Abbatis & Conuentus Reomaenſis excommunicaremus, & eos tandiu teneremus excommunicatos, quovſque de exceſſu, & iuramenti violatione ad condignam venirent ſatisfactionem. In cuius rei teſtimonium ad preces, & inſtantiam vtriuſque partis præſens inſtrumentum ſigilli noſtri munimine fecimus roborari. *Annus Chriſti.*

Anno Domini milleſimo ducenteſimo triceſimo-nono, menſe Decembri. *Idē ann.*

Capvt VI.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Priuilegium à Gregorio Papa IX. Guillelmo datum de Noualium decimis.

Gregorivs Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis Abbati, & Conuentui Monaſterij ſancti

Annus Christi. Ioannis Reomaenſis ordinis ſancti Benedicti Lingonenſis Diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm à nobis petitur quod iuſtum eſt, & honeſtum, tam vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, vt id per ſolicitudinem officij noſtri ad debitum perducatur effectum. Quapropter dilecti in Domino filij veſtris iuſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu præſentium vobis authoritate concedimus, vt in Parochiis Eccleſiarum veſtrarum pro ea portione, qua in eiſdem veteres iuſtè percipitis, decimas Noualium, de quibus aliquis hactenùs non perceperit, ſine iuris præiudicio alieni, percipere valeatis. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

1240. Datum Laterani VIII. Cal. Martij, Pontificatus noſtri anno duodecimo.

Capvt VII.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Guillelmus ſocietatem ſibi & ſuis inſtituit cum Monachis S. Rigaudi Matiſconenſis.

De ſocietatibus Reomenſibus. Ill. n. 141.

HÆc eſt ſocietas, quæ Monachos Monaſterij ſancti Ioannis Reomaenſis, & Monachos S. Rigaudi connectit. Si fortè aliquis fratrum Monaſterij S. Ioannis in Eccleſia ſua turbatus ad S. Rigaudum venerit, cum eis quaſi vnus ex eis morabitur, donec cum gratia ad Eccleſiam ſuam redierit. Similiter fratres S. Rigaudi apud Monaſterium S. Ioannis. Pro defunctis vero id agitur. Cùm breuis defuncti ad alterutram venerit Eccleſiam, ſtatim poſt recitationem fiet officium, & ſigna pulſabuntur, & ſeptem Miſſas, & ſeptem officia habebunt in Conuentu, & ſeptem diebus habebunt præbendam, ſiue vnus, ſiue

plures fuerint. Capitulum, Dormitorium, Refectorium, vtrumque commune erit. Abbates verò ſuum alternatim tricenarium habebunt. *Annus Chriſti.*

Hæc autem ſocietas acta eſt Guillelmi videlicet Monaſterij ſancti Ioannis Abbatis, & Ioceranni Abbatis S. Rigaudi temporibus, anno Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo. 1240.

Caput VIII.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Robertus Lingonenſis probat acta Decani Reomaenſis de Suentiaco.

ROBERTVS Dei gratia Lingonenſis Epiſcopus, vniuerſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem in Domino. Noueritis quòd T. Decano Reomaenſi ad mandatum noſtrum anno Domini milleſimo ducenteſimo triceſimo octauo, die Veneris ante ramos Palmarum apud Eſpiſſiam, ſicut nobis per ſuas litteras inſinuauit, accedente in ipſius Abbatis Reomaenſis pręſentia conſtituti Ioannes de Eſpiſſia dictus de Vineis, & filij eius, videlicet Nicolaus, Andreas, & Huguinio, & Achardus, & filiæ eiuſdem Ioannis, videlicet Haramburgis, Maria, & Agnes: & vxores Andreæ & Huguinionis, videlicet Margarita, & Adelina, quitauerunt omnes ſucceſſiuè in manu eius, quaſi in noſtra quidquid iuris habebant, vel habere poterant in villa de Suence, & in appendicus eiuſdem villæ, & in finagio, & in villa de Cordois, ſponte, ac proinde non vi, non metu compulſi, non dono inducti, ſicut ipſi concorditer aſſerebant. Iurauerunt inſuper omnes ſupradicti ſuper ſancta Euangelia, quòd contra eiuſmodi quitationem per ſe, vel per alios aliquo modo non venirent. Proceſſu verò temporis Robertus Præpoſitus de Rupe, & Robinus leproſus generi ſupradicti Ioannis omnia ſupradicta ſub eadem forma quitauerunt, & modo conſimili iurauerunt. *De ſigillis Roberti Epiſcopi & Tirrici Decani. Illuſt. n. 189.*

Annus Chriſti. Idē ann. Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo, menſe Iunio, die Veneris ante octauas Pentecoſtes.

RAINALDI II. ABBATIS XLIX.

Rerum geſtarum excerpta.

CAPVT I.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Andreas Rubeimontis Dominus Rainaldo & ſuis læſis ſatisfacit.

De iis quæ Rainaldus à Domino Rubeimontis vēdicauit. Ill.n.190.

EGo Andreas Dominus Rubeimontis miles notum facio vniuerſis præſentes litteras inſpecturis, quòd cùm inter me ex vna parte, & Rainaldum Abbatem, ac Conuentum Reomaenſem, & homines ipſorum ac fœminas de Eſtiueo ex altera, contentio verteretur ſuper hoc quòd inquietabam & impediebam ſupradictos homines & fœminas & eorum animalia, ſuper vſuagiis in paſcuis animalium, & paſturis de toto territorio & finagio, qui vocatur Boſcus Dei, & de finagio de Sarragneio; & ſuper hoc quòd inquietabam eoſdem ſuper vſuagio ad adaquandum animalia ſua, & ad agiandum lina ſua, & canabos, & ad abluendum pannos ſuos, & lanas in Riparia mea de Rubeomonte, & ad ipſam aquam bibendam & portandam, prout ſibi expedire videretur. Tandem habito bonorum conſilio, factâ compromiſſione hinc inde in bonos viros, & per ipſos ſuper præmiſſis inquiſitâ diligentiùs veritate, per ipſorum relationem, & alio modo mihi conſtitit euidenter, quòd ipſos Abbatem, & Conuentum, & maximè homines & fœminas eorundem de Eſtiueo ſuper præmiſſis indebitè moleſtabam, vtpote nullum ius habens penitus in prædictis. Inde eſt, quòd ego volo, dono, & concedo, quòd

tam dicti Abbas, & Conuentus, quàm ipſorum homines, *Annus*
& fœminæ de Eſtiucio vti valeant prædictis vſuagiis in per- *Chriſti.*
petuum liberè & quietè. Promittens iuramento præſtito, quòd ipſos, vel eorum alterum ſuper præmiſſis per me, vel per alium nullatenùs moleſtabo. Sed ad maiorem explanationem volo, dono, & concedo eiſdem in toto terragio, & finagio, qui dicitur Boſcus Dei, & in toto finagio de Sarregneio vſum prædictum in paſcuis animalium, & paſturis, & aliis vſuagiis ad animalia neceſſariis, & quòd vſum ſuum habeant in perpetuum liberè & pacificè in dicta Riparia de Rubeo-monte, ad adaquandum animalia ſua, & ad agiandum lina ſua, & canabos, & ad abluendum pannos ſuos, & lanas, & ad bibendum aquam, & portandum, prout ſibi viderint expedire: & hæc in ea libertate eiſdem iuramento præſtito garantire promitto, & hæredes meos ad hæc in perpetuum volo teneri. Et hoc voluerunt & conceſſerunt, & laudauerunt Eliſabeth vxor mea, Andreas, & Ioannes filij mei in mea præſentia conſtituti. In cuius rei teſtimonium præſentes litteras ſigilli mei munimine roboraui, & in forma conſimili eiſdem facere, & tradere teneor quàm citò ſe facultas obtulerit, litteras ſigillo Archiepiſcopi Lugdunenſis ſigillatas, vel alicuius perſonæ authenticæ, quæ ad hoc ſufficerent, ſi dictæ litteræ Archiepiſcopi haberi non poſſent. Et quàm citò fuerit Archidiaconus in Archidiaconatu Tornodorenſi alias litteras eiſdem facere & tradere teneor in eadem forma ſuo ſigillatas ſigillo continentes, quòd tam in me, quàm in hæredes meos, & in terram meam excommunicationis, vel interdicti ſententiam valeat promulgare, ſi me vel hæredes meos à ſupradictis contigerit reſilire.

Actum anno Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo-tertio, menſe Februario. 1243.

Annus Chriſti.

Capvt II.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Rainaldi contractus de Hominio libero.

NOs Frater Rainaldus humilis Abbas Reomaenſis, totúſque eiuſdem loci Conuentus, notum facimus omnibus præſentes litteras inſpecturis, quòd nos dedimus & liberaliter conceſſimus Pariſeto nato de Ciuitate Lingonenſi domum illam quam tenebat Dominus Barengerius, qui erat Curatus de Birreia, ſibi & Agneti vxori ſuæ, & hæredibus ſuis iure hæreditario in perpetuum poſſidendam. Dictus verò Pariſetus ſpontaneus dedit, & conceſſit ſe pro homine libero Eccleſiæ noſtræ Reomaenſi, & ipſe, & hæredes ſui erunt homines liberi noſtri Conuentus pro quinque ſolidis Diuionenſibus nobis annuatim in feſto S. Remigij ab eiſdem perſoluendis. Ita quòd nos, vel ſucceſſores noſtri vltrà quàm dictos quinque ſolidos ab ipſis non poterimus per exactionem aliquam reclamare. Imò tenemur ipſos, tanquam liberos homines noſtri Conuentus aduersùs omnes homines pro poſſe noſtro, defendere, manutenere, & bona fide garantire. Quod vt ratum permaneat, & firmum pręſentibus litteris ſigilla noſtra fecimus apponi. Actum eſt hoc anno Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo-tertio, menſe Septembri.

De hominio libero. III. n. 175.

Annus idem.

Capvt III.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Sub Præfectura Rainaldi quinto poſt anno euacuatoriæ litteræ.

NOs Frater Ioannes humilis Abbas de Chora notum facimus vniuerſis præſentes litteras inſpecturis, quòd

in noſtra præſentia conſtitutus Gerardus Burgenſis de Saceio, dictus Liſtetrex, recognouit ſe recepiſſe à Domino Lamberto Sacriſta Reomaenſi triginta libras Turonenſes, quas tenebatur reddere dicto Gerardo pro Domino Achardo Priore de Iugis. Et cùm dictus Gerardus de dicta pecunia litteras haberet, ſigillo venerabilis viri Rainaldi Abbatis Reomaenſis ſigillatas, prout ab ore ipſius audiuimus, dictas litteras dicebat ſe amiſiſſe. Cùm ergo dictus Gerardus pecuniam à dicto Lamberto integrè recepiſſet, abrenunciauit litteris ſupradictis, & voluit, vt ſi à quolibet inuentæ fuerint, & palàm oſtenſæ, quòd omninò inanes ſint, & pro nihilo reputentur. In cuius rei teſtimonium ad petitionem dicti Gerardi & inſtantiam, præſentes litteras dicto Lamberto tradidimus ſigilli noſtri munimine roboratas. *Annus Chriſti.*

Actum eſt hoc anno Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo-octauo, die Iouis poſt feſtum B. Nicolai. 1248.

GVILLELMI IV. ABBATIS L.

Rerum geſtarum excerpta.

Capvt I.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Adelina Guillelmo reſignat iura Suentiaci.

VNiversis præſentes litteras inſpecturis, Terricus Decanus Chriſtianitatis, Montiſbarri veritati teſtimonium perhibere. Noueritis quòd Adelina relicta Andreæ de Eſpiſſia in præſentia noſtra conſtituta quitauit in manu fratris Vuilelmi Abbatis Reomaenſis ſponte, & prouidè quidquid iuris habebat, vel habere poterat in villa de Suence, & in appendiciis eiuſdem villæ, & in finagio, & in villa de Cordoes, non vi, non metu, non dono inducta, *De Decanis Chriſtianitatis. Ill. n. 177.*

Annus Chriſti.

ſicut aſſerebat iuramento firmans ſuper ſacroſancta Euangelia, quòd contra huiuſmodi quitationem per ſe, vel per alios aliquo modo non veniet. Quapropter ad petitionem dictæ Adelinæ ſigillum noſtrum præſentibus litteris duximus apponendum.

1250. Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo, menſe Iunio.

Caput II.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Sententia arbitri recuperatoria pro Guillelmo.

Cur interciderit in Catalogo is hic Guillelmus. Ill. n. 191.

EGo Gaufridus Eſpiſſiæ Decanus notum facio præſentibus & futuris, quòd cùm inter Dominum Guillelmum Abbatem Reomaenſem ex vna parte, & Petrum Decanum de Vineis ex altera, controuerſia verteretur ſuper quibuſdam poſſeſſionibus ad Eccleſiam Reomaenſem de iure pertinentibus, quas dictus Decanus minùs iuſtè retinebat. Pluribus hinc & inde propoſitis ſuper dictis querelis, dictus Abbas & Decanus in inquiſitionem legitimorum virorum terminantium compromiſerunt. Factâ autem inquiſitione diligenter & ſtudioſè, & ea publicata, præfatus Decanus à ſæpè dicta inquiſitione non veritus eſt reſilire. Domnus verò Abbas ius Eccleſiæ non permittens deperire, voluit à Decano ſecurus eſſe de dicto prætaxatæ inquiſitionis tenendo, qui non valens ſecuritatem hominum in manu Abbatis ponere, aſſignauit eidem quandam vineam ſuam de Fornet pro quadraginta libris, quam non licebat ei vendere, aut pignori obligare, vel etiam quoquo modo alienare: ſi dictum inquiſitionis pacificè non teneret. Si autem, quod abſit, à dicto inquiſitionis reſilierit, Reomaenſis Eccleſia dictam vineam iure hæreditario de cætero poſſidebit. Hoc verò ſæpè fatus Decanus, & vxor ſua fide bona iureiurando ſe tenere firmarunt. Ego autem ad inſtantiam precum vtriuſque partis, vt res ita peracta robur

robur firmitatis obtineat, præſenti paginæ, ſigilli mei ap- *Annus*
poſui firmamentum. *Chriſti.*

Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo quinqua- 1251.
geſimo-primo, menſe Octobris.

ODONIS II. ABBATIS LI.

Rerum geſtarum excerpta.

CAPVT I.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Odonis teſtimonium de donatione fratribus Vallis Callium facta.

NOs Odo Abbas Monaſterij Reomaenſis, & Thirricus Decanus eiuſdem villæ, notum facimus vniuerſis præſentes litteras inſpecturis, quòd Dominus Philippus miles de Monte-medio in præſentia noſtra cõſtitutus recognouit ſe dediſſe Deo, & fratribus Vallis Callium laude & aſſenſu Agnetis vxoris ſuæ tres ſextarios frumenti receptibilis ad menſuram Monaſterij Reomaenſis pro eleemoſyna Dominæ Adelinæ matris ſuæ, quos aſſignauit annuatim percipiendos infra feſtum omnium Sanctorum in terragio ſuo, & in parte terrarum ſuarum de Viſarneio. Voluit autem Philippus prænominatus, & conceſſit, vt quicunque tenuerit prædictum terragium, & partem terrarum ſuarum prædictis fratribus Vallis Callium, ſine contradictione aliqua prænominatos tres ſextarios frumenti perſoluere teneatur. In cuius rei teſtimonium præſentes litteras ſigillauimus.

De Annona vallis Callium Illuſt. n. 192.

Actum anno Domini milleſimo ducenteſimo quinqua- 1252.
geſimo-ſecundo, menſe Iunij.

Capvt II.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Priuilegium Innocentij IV. Papæ.

Innocentius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis Abbati & Conuentui Monaſterij Reomaenſis Ordinis ſancti Benedicti Lingonenſis Diœceſis, Salutem & Aſtolicam benedictionem.

De priuilegio nō ſoluēdi debita, quæ in euidentem vtilitatem non contracta. Ill. n. 193.

INDEMNITATI veſtri Monaſterij paterna diligentia præcauere volentes, authoritate vobis præſentium indulgemus, vt ad ſolutionem aliquorum debitorum compelli per litteras Apoſtolicas non poſſitis, niſi huiuſmodi debita in vtilitatem eiuſdem Monaſterij conuerſa legitimè probatum fuerit, & oſtenſum. Non obſtante ſi à vobis, vel prædeceſſoribus veſtris iuramento interpoſito renunciatum ſit indulgentiis, & litteris Apoſtolicis ſuper hoc impetratis, & etiam impetrandis. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

1253. Datum Peruſij VI. Kal. Octobris, Pontificatus noſtri anno decimo.

Capvt III.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Guido Lingonenſis patronatum Eccleſiæ Belaun Odonis eſſe agnoſcit.

GVIDO Dei gratia Lingonenſis Epiſcopns, vniuerſis ad quos præſentes litteræ peruenerint, ſalutem in Domino. Vniuerſitati veſtræ ſignificandum duximus, quòd

nos ad præſentationem viri Religioſi fratris Odonis Abba- *Annus*
tis Monaſterij S. Ioannis Reomaenſis Miletum de Lingo- *Christi.*
nis Clericum ad Eccleſiam de Belaun vacantem admiſimus, cuius ius patronatus ad memoratum Abbatem dignoſcitur pertinere.

Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo quinqua- 1255.
geſimo-quinto, menſe Auguſto.

CAPVT IV.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Hugoni IV. Duci Burgundiæ dat Odo tertiam partem decimæ Montis-barri, vt reliquum tueatur.

EGo Hugo Dux Burgundiæ notum facio vniuerſis, quòd cùm Religioſi viri Abbas & Conuentus Monaſterij Reomaenſis nobis ac hæredibus noſtris dederint in perpetuum liberaliter, & conceſſerint tertiam partem decimæ, quam habebant, vel habere debebant in Parochia, ſiue in finagio Montis-barri, tam in blado, quàm in vino. Nos verò liberalitatem prædictam benigniùs attendentes, promittimus quòd partem prædictam extra manum noſtram non ponemus, nec alienabimus vllo modo, & bona fide quoſcunque rebelles compellemus, prout de iure poterimus, ad ſoluendam nobis, ac Reomaenſi Monaſterio decimam ſupradictam.

De donatione decimarum laicis. Illuſt. a. 194.

Actum apud Caſtellionem ſuper Sequanam anno Domi- 1256.
ni milleſimo ducenteſimo quinquageſimo-ſexto, menſe Auguſto.

Annus Chriſti.

Capvt V.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Præſtaria Odonis de domo Cadriaci Clerico ad vitam certis conditionibus.

Omnibvs præſentes litteras inſpecturis. Gerardus Dei gratia Eduenſis Epiſcopus in Domino ſalutem. Vniuerſitati veſtræ notum facimus, quòd coram nobis propter hoc conſtitutus Petrus de Belna Clericus, dictus de Arneto, recognouit quòd domum, ſiue Prioratũ de Charreio, prope Belnam noſtræ Diœceſis, cum ſuis pertinentiis, tenebat & poſſidebat ad vitam ſuam tantummodò nomine donationis à Religioſis viris Abbate & Conuentu Reomaenſi, ſibi factæ. Ita quòd poſt deceſſum ipſius Clerici dicta domus cum dictis pertinentiis & meliorationibus ibidem factis, vtenſilibus & ſupellectilibus in loco prædicto repertis, ad dictos Abbatem & Conuẽtum liberè & pacificè reuertentur. Recognouit ſiquidẽ dictus Clericus coram nobis, & bona fide promiſit domum, ſiue Prioratum prædictum, ædificia, domos, prata, & vineas, & alia bona loci prædicti ſe tenere, & conſeruare in eodem ſtatu, vel meliori, in quo erant tempore donationem antecedente, & eandem domum dimittet liberam, quitam & abſolutam ab omni onere debitorum. Nihilominus dictus Clericus recognouit & promiſit bona fide coram nobis, quòd cuidam Monacho Reomaenſi in loco prædicto commorãti, vel non commoranti, in viginti libris Diuionenſibus, & duobus modiis vini annuatim infra feſtum omnium Sanctorum perſoluendis, integrè & pacificè prouidebit. Et inſuper idem Clericus quandiu dictam domum tenebit ad ſoluendum quaſcunque procurationes, ſeu alias miſſiones à dicta domo debitas, ſe coram nobis ſpecialiter obligauit. Prætereà memoratus Clericus dictorum Religioſorum deuotionem ſuper præmiſſis liberaliter ſibi factam benignè

conſiderans, partem illam & totum ius, quod habet, vel habere poteſt in decima bladi de Sarrigneio, vel feudo ipſius decimæ, pro remedio animæ ſuæ, & anteceſſorum ſuorum in eleemoſynam perpetuam eiſdem Religioſis coram nobis dedit in perpetuum, & conceſſit, & eoſdem ſuper hoc coram nobis inueſtiuit, retento tamen ad vitam ſuam tantummodò vſufructu, & dictam donationem idem Clericus tenetur bona fide iam dictis Religioſis erga quoſcunque garantire. Super his autem omnibus & ſingulis firmiter tenendis & obſeruandis iuramento in manu noſtra ſuper hoc præſtito, obligauit ſe dictus Clericus, & omnia bona ſua coram nobis ſupponendo ſe & ſua noſtræ iuriſdictioni, vt ad tenendum, & ſeruandum omnia, & ſingula ſupradicta ad requiſitionem dictorum Religioſorum eundem Clericum, ſi neceſſe fuerit, per excommunicationis ſententiam compellamus. In cuius rei notitiam ad requiſitionem & inſtantiam ipſius Clerici præſentes litteras ſigilli noſtri duximus munimine roborandas.

Annus Christi.

De ſigillis Epiſcopi Eduenſis. Ill n. 595.

Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo-nono, menſe Iunij. 1259.

CAPVT VI.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Ceſſio nemorum Monaſterio Reomaenſium Englanno.

OMNIBVS præſentes litteras inſpecturis, Magiſter Theobaldus Clericus Curiæ Archiepiſcopalis Senonenſis in Domino ſalutem. Notum facimus quòd in noſtra præſentia conſtituta Laura de ſancto Martino relicta Petri de Pacis vidua, mater Guillelmi de ſancto Martino ſuper Oroſam Domicelli compoſitionem, & quitationem factam à dicto Domicello fratri Henrico Priori de Monaſterio Englanno nomine ipſius Prioratus ſuper nemoribus de Monaſterio Englanno laudauit, voluit, & conceſſit ex-

Annus Chriſti. preſsè, & eidem Priori nomine Prioratus ſui quitauit quidquid iuris habebat, vel habere poterat in nemoribus antedictis, prout in litteris ſigillo nobilis viri Petri de Roceio militis Balliui Niuernenſis ſigillatis, & ſuper hoc confectis, continetur, vt dicebat dicta Laura. Promittens ipſa Laura per fidem ſuam in manu noſtra præſtitam, quòd contra prædicta, vel aliquid de prædictis per ſe, vel per alium non veniet in futurum ſupponens ſe, quantum ad hoc, iuriſdictioni Curiæ noſtræ vbicunque maneat, vel exiſtat.

1267. Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo-ſeptimo, menſe Ianuario.

CAPVT VII.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Tranſactio Odonis cum Andrea de Brocia de rebus Ricei.

VNIVERSIS præſentes litteras inſpecturis. Guido Dei gratia Lingonenſis Epiſcopus ſalutem in Domino. Nouerint vniuerſi, quòd Dominus Andreas de Brocia miles, propter hoc in noſtra præſentia conſtitutus, confitetur coram nobis, quòd cùm cauſa verteretur inter ipſum Andream ex vna parte, & viros Religioſos Abbatem & Conuentum Reomaenſem ex altera, coram Officiali Lingonenſi ſuper iis quæ ipſi Religioſi petebant à dicto milite in villa, & finagio de Riceio in omnibus talliis, corueis, iuſtitiis, piſcariis, & vſibus nemorum, & pluribus aliis, & ſententiatum ſiue pronunciatum fuiſſet à dicto Officiali ſuper prædictis pro ipſis Religioſis. Dictus miles, conſideratâ ſuper hoc vtilitate ſuâ, & commodo euidenti, non dolo inductus, nec in aliquo circumuentus, vult & expreſsè conſentit coram nobis, quòd pro prædictis rebus, quæ ſententialiter dictis Religioſis adiudicatæ fuerant, prædicti Religioſi Abbas & Conuentus ſingulis annis habeant, & percipiant viginti quinque libras Turonenſium legalium in pe-

cunia numerata. Quam pecuniæ ſummam coram nobis promittit per ſolemnem ſtipulationem prædictis Religioſis, vel eorum mandato apud Riceium ſingulis annis reddere, & gratum ſuum facere in quindena feſti beati Andreæ Apoſtoli, prout ſingulis annis veniet ſucceſſiuè. Promittit etiam dictus miles per ſtipulationem prædictam, quòd ſi in ſolutione prædictæ pecuniæ deficeret, vel in toto, vel in parte, ſe decem ſolidos Turonenſes pœnæ nomine redditurum. Concedit etiam dictis Religioſis plenum vſuarium in tribus nemoribus, videlicet de Lanſonna, des Enuers, & de la Foreſt, ad vſum domus ſuæ de Riceio. De terris autem dictorum nemorum, ſi fuerint extirpata, dictus miles vult & conſentit expreſsè, quòd per medium inter ſe partiantur: vult etiam & concedit, quòd ſi Abbas & Conuentus Reomaenſis ad villam de Riceio venerit, quandiu ibidem moram fecerit, quòd in tota Riparia piſcationem habeant cum rete, lorra & artificiis, ſeu ingeniis piſcatoriis quibuſcunque. Concedit item dictus miles, quòd prædicti Religioſi teneant & habeāt domos, manſos, cenſus, coſtumas, terras, vineas, & omnes alios reditus, prata etiam cum ædificiis quæ in villa & finagio de Riceio tenere & habere conſueuerunt. Pro quibus omnibus faciendis & fideliter obſeruandis obligat prædictus miles ſe & ſucceſſores ſuos, & omnia bona ſua mobilia & immobilia, præſentia & futura vbicunque poterunt inueniri. Renuncians in hoc facto omni actioni & exceptioni doli, & fraudis, omníque conſuetudini & ſtatuto, priuilegio fori, indulgentiis, & gratiis à Sede Apoſtolica conceſſis & concedendis. Promittit etiam dictus miles pro ſe & hæredibus ſuis omnia iſta fideliter obſeruare iuramento interpoſito ſuper ſancta Dei Euangelia. Promiſit etiam ſoluere decimas dictis Religioſis pro parte, quæ eos contingit de omnibus fructibus, & prouentibus, de quibus conſuetum eſt ſolui in dicta villa de Riceio, & quantum ad hæc prædicta ſe & ſucceſſores ſuos juriſdictioni noſtræ ſupponit, quòd nos poſſimus ipſum & ipſos excommunicare vbicunque ſe transferrent, & terram ſuam ponere ſub diſtrictæ ſenten-

Annus Chriſti.

De piſcatione cum lorra Ill m. 197.

Annus Chriſti. tiæ interdicto. In cuius rei teſtimonium ad preces dicti militis præſentibus litteris ſigillum noſtrum duximus apponendum.

1267. Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo ſeptimo, menſe Februario.

CAPVT VIII.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Bona omnia Ioannis de Sedeloco obtinet Odo Abbas ſub penſione annua.

De Decanis Chriſtianitatis Illuſt. 177.

NOs Frater Tierricus Prior de Vaucia, Nos Magiſter Galterus Decanus Chriſtianitatis Reomaenſis, & Nos Magiſter Guillelmus Decanus Chriſtianitatis Moliſmenſis, notum facimus vniuerſis præſentes litteras inſpecturis, quòd Magiſter Ioannes de Sedeloco Clericus in noſtra præſentia propter hoc ſpecialiter conſtitutus, non vi, non metu, non dolo inductus, ſpontaneus, non coactus, nec in aliquo circumuentus, ſed ſuâ conſideratâ vtilitate, & commodo euidenti, dat, tradit, cedit & concedit Eccleſiæ B. Ioannis Reomaenſis omnia bona ſua mobilia, & immobilia, habita & habenda, vniuerſa & ſingula vbicunque ea habeat, vel fuerit habiturus pro vndecim modiis, & quinque ſextariis frumenti eidem Ioanni, vel mandato ſuo, quandiu vixerit ſingulis annis reddendis in Granario Reomaenſi, quotieſcunque dictum bladum leuare voluerit, à Natiuitate Domini vſque ad feſtum beati Ioannis proximè ſubſequens, transferendo in prædictam Eccleſiam quidquid iuris actionis dominij vtilis, vel directi in prædictis rebus habet, vel quoquo modo habere poteſt, ponendo occaſione prædicta dictam Eccleſiam de prædictis omnibus in poſſeſſionem vacuam, ac etiam corporalem. Ita tamen quòd trecentas libras monetæ poterit retinere, de quibus ſi voluerit teſtari poterit, vel ſuam aliam facere voluntatem. Si autem expreſſè non retinuerit, tota prædicta pecunia

cunia Monaſterio remanebit; vel ſi expreſsè retinuerit, & de tota pecunia teſtari noluerit, vel ſuam non fecerit aliam voluntatem, reſiduum quod non diuiſerit Monaſterio ſimiliter remanebit. Vnde de prædictis omnibus ſe deueſtit, & prædictam Eccleſiam coram nobis inueſtit, promittens bona fide, & ſtipulatione ſolemni, necnon etiam per iuramentum ſuum ſuper ſancta Dei Euangelia coram nobis ſolemniter præſtitum prædictas donationem, traditionem, ceſſionem, conceſſionem, deueſtituram & inueſtituram pro ſe & ſuis in perpetuum tenere, & inuiolabiliter obſeruare, & contra prædicta, vel aliquod de prædictis per ſe, vel per alium in poſterum non venire, & facere, & præſtare omnia quæ in cauſa euictionis debent fieri & præſtari. Omnia autem prædicta & ſingula, provt ſuperiùs ſunt expreſſa, prædictus Ioannes coram nobis confeſſus eſt eſſe vera. *Annus Chriſti.*

Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo-nono, menſe Auguſto. 1269.

CAPVT VIII.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Profeſſio ſeruitutis quæ dicitur manus mortua Odoni facta.

NOs Hugues Darci Baillis d'Auſois façons ſauoir à tous çaus, qui verront & orront ces preſantes lettres, que en noſtre preſance por ce eſpeciaument eſtablis Milon li fis au Baut de Quincé a recogneu de ſa propre volunté, ſans nulle force, ſans contraignement, ſans paor, & ſans nulle autre contrauention, que il eſt homs à l'Abbé & au Conuent de Montier ſainct Iean taillables & eſploitables, haut & bas, en la main morte de ladite Egliſe aus vs, & aus couſtumes des aultres hommes, que li dis Abbés & li Conuents ont en ladite ville de Quincé. Et s'il auenoit choſe que li dis Milon s'auouoit, ou ſe faiſoit auoer por autre Seigneur que por loudit Abbé, & por loudit Conuent,

Annus Chriſti. il quitte & ottroie audit Abbé, & audit Conuent les ſues choſes toutes mobles, & non mobles en quelque leu, quil fuſſent trouué. Renonce en ce faict li dis Milon à toutes frainchiſes, à tous percors, & à toutes aides de droict eſcrit, & non eſcrit. Et por ce que ce ſoit choſe ferme & eſtable à tous iors, nous auons ſeelees ces preſantes letres de noſtre ſeel, à la priere & à la requeſte doudit Milon.

1270. Ce fu faict en lan de grace mille deus cens ſexante & dis ou mois de Mars.

CAPVT IX.

Ex Teſtamento Hugonis IV. Ducis Burgundiæ.

Odo fuit vnus ex ſignatoribus Teſtamenti eius.

HVIC vltimæ voluntati meæ interfuerunt teſtes vocati & rogati, Girardus Dei gratia Eduenſis Epiſcopus, Fratres Iacobus Ciſtertienſis, Guillelmus Flauigniacenſis, Radulfus Fontineti, Odo Reomaenſis, Hugo S. Benigni Diuionenſis, Guillelmus Vergiacenſis, Iacobus beatæ Mariæ Caſtellionis Abbates. R. Dominus de Larreio, Guillelmus de Rupe Dominus de Nolay, Iacobus Seneſchallus Eduenſis, Guillelmus Decanus Sedeloci, & ſigilla ſua vnà cum meo vno contextu appoſuerunt.

1272. Acta ſunt prædicta apud Villanas en Dumois die Lunæ ante feſtum beati Michaëlis, anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo-ſecundo.

Annus Christi.

CAPVT X.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Altera profeſſio Hominij manus mortuæ Odoni facta.

IN nomine Domini, Amen. Anno Incarnationis eiuſdem milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo-quarto, menſe Nouembri, Ego Girardus de Belone, gener Guerneri, notum facio omnibus præſentes litteras inſpecturis, quòd ego ſum Homo manus mortuæ Domni Abbatis Reomaenſis, & me aduoco pro ipſius homine ad vſus & conſuetudines aliorum hominum ſuorum de Belone, & pro Homine Ecclesiæ Reomaenſis. Et ſi, quod abſit, accideret, quòd ego me pro alio Domino aduocarē, ſiue dominium dictorum Abbatis & Eccleſiæ ſubterfugerem, volo & concedo ſpontaneus, ſine aliqua coactione facta mihi, quòd quidquid ab ipſis poſſideo, quidquid mihi dederunt, quodcunque ſit, quidquid acquiram in ipſius dominio, & iuſtitia territorij, & Villæ prædictæ de Belone ipſis Abbati, & Eccleſiæ prædictis remaneat, & poſſideant omni contradictione remotâ, & de ipſis omnibus ſuam faciant voluntatem, prout ſibi meliùs videbitur expedire. Promiſi autem & promitto per ſtipulationem legitimam & ſolemnem ſub obligatione bonorum meorum omnium mobilium & immobilium, præſentium & futurorum, vbicunque ſint, aut vbi poterunt inueniri per iuramentum meum corporaliter præſtitum, me contra tenorem præſentis inſtrumenti non venire per me, vel per alium verbo, facto, conſenſu, tacitè, vel expreſsè, ſeu modo alio qualicunque. Sed dictum præſens inſtrumentum pro poſſe ab omnibus faciam irreuocabiliter obſeruari.

1274.

De Hominio manus mortuæ. Ill. n. 197.

Annus Chriſti.

Caput XI.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Ioannes Cabilonenſis Comes Autiſiodorenſis, Villam Iouis retrocedit Odoni.

Quis hic Ioannes, & quæ Alais Ill. n. 200.

NOs Ieans de Chalon Cuens d'Auceurre, & Sires de Rochefort, & nos Alais de Neuers Conteſſe d'Auceurre façons ſauoir à tos ces qui verront ces preſantes letres que com l'Abbés, & li Conuents de Moutier ſeint Iean, euſſoint acheté de noble homme Guillaume de Ionuille Seigneur de Iuley, & de Dame Marie ſa femme de Tanlay, tout çau que il auoint en la ville & ou finage de Ious en Auceurrois por lo preis de quatre cens liures de tournois, & nos deuandis Iehans euſſiens ladite terre recoſſe por deuant gré de ligneige, & euſſions paié leſdites quatre cens liures de tournois audit Abbé & au Conuent, & li dis Abbés & Conuent requeiſt que nous entreſſiens en ſon homeige deſdites choſes, cum nobles homs Miles Sires de Noiers lor euſt donné en pure & perpetuelle armone, audit Abbé & au Conuent lou fié des choſes deſſuſdites, ſi com il appert par les lettres dou deuant dit Seignour de Noiers, & nous ne vouſiſſions mie entrer en l'homeige doudit Abbé & dou Conuent pour ſi poul de choſe. Nos façons à ſauoir à tos, que nous auons eu & receu arriers doudit Abbé & dou Conuent leſdites quatre cens liures de tournois, & lour auons ladite terre randue quite & deliure, & tout ce que nous y auons, & poons auoir pour la reiſon de ladite reſcoſſe, ou por aultre reiſon; ſaul çou que nos retenons por nos, & por nos hoirs, à nos & à nos hoirs permenablement noſtre garde és choſes deſſuſdites. Et por ce que ceſte choſe ſoit ferme & eſtauble à touſiours, nos li deuandis Cuens & la Conteſſe auons mis nos ſeauls en ces preſantes letres.

Quis Guillelmus de Iouis villa. Ibidem & 195.

De Milone de Noyers. Illuſt n. 201

1276. Cau fu faict en lan de grace courant par mille doucens & ſexante & ſeze ou mois d'Octobre.

Annus Chriſti.

CAPVT XII.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Priuilegium Nicolai Papæ tertij.

NICOLAVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis Abbati & Conuentui Monaſterij Reomaenſis ordinis ſancti Benedicti Lingonenſis Diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm à nobis petitur quod iuſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, vt per ſolicitudinem officij noſtri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in Domino filij veſtris iuſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, omnes libertates & immunitates à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus iure per priuilegia, ſeu alias indulgentias vobis & Monaſterio veſtro conceſſas, necnon libertates & exemptiones exactionum à Regibus & Principibus, ac aliis Chriſti fidelibus rationabiliter vobis indultas, ſicut eas iuſtè ac pacificè obtinetis, vobis & eidem Monaſterio authoritate Apoſtolicâ confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio corroboramus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ſe nouerit incurſurum.

Datum Viterbij x. Cal. Octobris, Pontificatus noſtri 1279.
anno II.

GAVDRICI ABBATIS LII.

Rerum geſtarum excerpta.

Capvt I.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Emptio agrorum de Philippo de Monte-medio pro Infirmario.

1280. IN nomine Domini Amen. Anno Incarnationis eiuſdem milleſimo ducenteſimo octuageſimo, menſe Maio. Ego Philippus dictus de Mont-moien miles, notum facio omnibus præſentes litteras inſpecturis, quòd conſideratâ vtilitate meâ, & commodo euidenti, non vi ad hoc inductus, nec in aliquo circumuentus, vendo, & titulo puræ ac perfectæ venditionis trado, cedo & concedo Religioſis viris Abbati & Conuentui Reomaenſi mediam partem pro indiuiſo vineæ meæ, quam habeo apud Viſerneum in finagio dictæ villæ iuxta vineam Guillelmi de Grignone armigeri quondam mei ex vna parte; & vineam Rufi de Sulleio militis, ex altera, provt ex partibus lateralibus protenditur hinc & inde, item contiguam ex parte ſuperiori vineæ Iacobi dicti Genni de Viſerneo, & ex parte inferiori contiguam campo, qui quondam fuit à la Saincte de Viſerneo. Item pratum quod habeo apud Viſerneium ſitum in dicto territorio, quod dicitur du Brueil, iuxta pratum familiæ dicti Lanſugler ex vna parte, & pratum liberorum quondam Ioannis dicti Bandelini ex altera parte, provt ex partibus lateralibus protenditur hinc & inde. Item contiguum ex parte ſuperiori campo maioris de Viſerneo, & ex parte inferiori contiguum prato dicti Eſcharni de Viſerneo. Quam vineam & pratum pridem à prædictis Religioſis in feudum teneo, & de ipſorum

Prædia officiis Monaſticis attribuit Gaudricus. Ill.n.201.

feudo dignoſcitur eſſe pretio ſexaginta librarum Turonenſium tenenda, & habenda in perpetuum, ab Infirmario dicti Monaſterij pro tempore futuro, ad opus & vtilitatem Infirmariæ Monaſterij prædicti. Quam pecuniæ ſummam ego prædictus miles confiteor me habuiſſe, & recepiſſe à dictis Religioſis in bona & legitima pecunia numerata. Volens & concedens ad obſeruantiam omnium præmiſſorum me compelli, quaſi ex re adiudicata, per curiam Domini Ducis Burgundiæ, cuius iuriſdictioni, quoad hoc, me & hæredes meos ſuppono. In quorum omnium teſtimonium litteris iſtis ſignum dictæ Curiæ ſupplicaui, & obtinui apponi. *Annus Chriſti.*

Actum in præſentia Stephani de Sinemuro Notarij.

Magiſtri Hugonis Curati de Gennaio.

Mag. Petri Maioris de Chiuanches.

Mag. Lamberti Curati Reomaenſis.

Teſtium ad hoc ſpecialiter vocatorum anno & menſe prædictis.

Caput II.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Statuta Gaudrici Abbatis cum Capitulo de Camerario Monaſterij.

Nos Frater Gaudricus humilis Abbas Monaſterij Reomaenſis, vnà cum Conuentu noſtro eiuſdem loci conſtituimus Camerarium in dicto Monaſterio tali modo.

I. Quòd ille qui obedienriam tenebit Camerariam, recipiet omnes reditus, & omnes prouentus, qui pertinent, & pertinebunt ad domum S. Thomæ de Monte-barro, & omnes reditus & prouentus, qui ad dictum Monaſterium de Villis de Belaun, & de Reu pertinent, & pertinebunt cum terris, pratis, vineis, ſalicetis, & domibus ſitis in villis, & finagiis de Ateis, quæ Reuerendus Pater Odo bonæ memoriæ quondam Abbas prædicti Monaſterij poſuit in augmentationem prædictæ Cameræ.

Annus Christi.

II. Item volũmus & concedimus, quòd quicunque prædictam Cameram tenebit, & ipſe habeat quandocunque voluerit & placuerit ſuam reſidentiam in noſtra prædicta Abbatia, & habeat pro ſe præbendas panis & vini, & ab omnibus aliis pitantiis, ſicut vnus fratrum noſtrorum, & pro ſeruitoribus, pro Sutore, pro Pellipario, & pro quolibet vnam præbendam panis, ſicut conſueuerunt habere.

III. Item volumus & concedimus quòd prædictus Camerarius habeat fenum & auenam pro vno equo, quandocunque ipſum in Abbatia noſtra prædicta contigerit commorari, & quod ipſe Camerarius habeat Cameram ſuam iuxta infirmariam noſtram ex vna parte, & iuxta Dormitorium noſtrum ex altera.

IV. Item volumus & concedimus, quòd dictus Camerarius habeat, teneat, & poſſideat omnia quæ habemus in villis de Aſneriis, & de ſancto Remigio, & in finagiis, qualiacunque ſint, excepto dono Eccleſiæ de Aſneriis.

V. Item volumus & concedimus, quòd dictus Camerarius habeat, teneat, & poſſideat ſexdecim ſextarios frumenti & auenæ, quos habemus apud Corpus ſanctum, pro Fontenetenſibus, & vnum ſextarium bladi, quos habemus apud Iuleium, & ſex ſextarios bladi qnos habemus apud Vietelum, & omnia quæcunque alij Camerarij tenuerunt tempore retroacto.

VI. Et quicunque Camerarius fuerit debebit pro ſupradictis redditibus & prouentibus prouidere Conuentui hoc modo.

VII. Videlicet quòd debebit mappas in Refectorio, & manutergia in Clauſtro, & peluim ſeu patellas ad lauandum pedes ad Mandatum, & linteamina ad tergendum, & ad Paſcha quolibet anno tradere cuilibet Monacho cucullam & frocum de panno roſſeto, & vnam telam de remiſet, & vnum ſtramineum lecti, & ſotulares, & cuilibet Conuerſo, & cuilibet Conuerſæ ſotulares. Et ſi fortè contigerit, quòd dicti panni non poſſent inueniri innundinis Campaniæ ad vendendum, dictus Camerarius dare tenebitur de

Color veſtitus Reomaenſium. III.n.202.

de alio panno ad æſtimationem Domini Abbatis, & Prio- *Annus*
ris. *Chriſti.*

VIII. Et in feſto beati Remigij cuilibet Monacho nouem vlnas telæ, & caligas, & duo paria pedulum. Item in feſto omnium Sanctorum annuatim vno anno pellicias, cum dimidia pelle migicij, & ſotulares, alio anno tunicas & ſotulares, & cuilibet Conuerſo quinque vlnas Burelli, & quinque vlnas telæ, & ſotulares; & cuilibet Conuerſæ tres vlnas Camelini, & quinque vlnas telæ, & ſotulares, prout ab antiquo habere conſueuerunt. De veſtitu Conuerſorum virorum, ac mulierum. III.n.203.

Et vt iſtud quod ſtatuimus ratum & firmum in æternum permaneat, ſigilla noſtra præſentibus litteris duximus apponenda.

Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo octogeſimo-quinto, menſe Iunij. 1285.

Pueri ſemper habebunt prout conſueuerunt. Datum vt ſuprà.

CAPVT III.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Gaudricus ligium hominem acquirit.

NOs Frater Gaudricus humilis Abbas Monaſterij Reomaenſis, totúſque eiuſdem loci Conuentus, notum facimus vniuerſis præſentes litteras inſpecturis, quòd nos omnia bona quæ Petrus de Ateis pro maioritate, & nomine maioritatis dictæ villæ noſtræ de Ateis à nobis in Caſamento tenebat, habebat, & poſſidebat; volentes eidem tanquam benè merito gratiam facere ſpecialem, dicta bona vniuerſa & ſingula eidem, & eius hæredibus Caſamentum, quod tenet, tenentibus damus, & concedimus in perpetuum tenenda, habenda, & poſſidenda à nobis in feudum, recipientes ipſum in hominẽ noſtrum ligium & fidelem ad oſculum, ſicut homo ligius recipi conſueuit, retentis tamen nobis iuſticia magna & parua, & dominio, cenſibus, terragiis, coſtumiis, & decimis, prout primitùs habebamus. Homo ligius quis. III.n.204.

Annus Christi. Promittentes bona fide prædictas donationem & conceſſionem dicto Petro & hæredibus ſuis ſic factas inuiolabiliter & in perpetuum obſeruare. Sciendum verò eſt, quòd hæredes ipſius, prout quilibet eorum in bonis prædictis ſuccedet, tenetur intrare in homagium noſtrum, & fidelitatem noſtram ſine medio, tanquam hæredes noſtri ligij & feodales. Et vt ratum ac firmum permaneat in futurum, præſentes litteras dicto Petro tradimus noſtris ſigillis ſigillatas.

1285. Datum & actum anno Domini CIↃCCLXXXV. menſe Maio.

CAPVT IV.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Hugo Eduenſis Epiſcopus in Gaudrici gratiam vnit Eccleſias ſancti Germani & Suentiaci, ac Rectoris ſtipendia definit.

VNIVERSIS præſentes litteras inſpecturis, Hugo miſeratione diuina Eduenſis Epiſcopus ſalutem in Domino ſempiternam. Nouerint vniuerſi, quòd cùm Prior de Mundaon noſtræ Eduenſis Diœceſis, & prædeceſſores ſui curam Eccleſiæ S. Germani de licentia & tolerantia prædeceſſorum noſtrorum Epiſcoporum Eduenſium, propter paupertatem, & tenuitatem Eccleſiæ prædictæ, & redituum ad ipſam pertinentium tenuerint vſque ad confectionem præſentium litterarum, & tanquam Curati rexerint in eadem. Nos, habito conſenſu Religioſi viri fratris Gaudrici Abbatis Monaſterij Reomaenſis Lingonenſis Diœceſis, à quo Monaſterio mouere dignoſcitur Prioratus S. Germani prædicti, conſiderato etiam quòd Eccleſia de Suenceio adeò eſt pauper & tenuis in redditibus, quòd Rector ipſius Eccleſiæ inde non poterat commodè ſuſtentari, Curam dictæ Eccleſiæ S. Germani, & Eccleſiæ Parochialis de Suenceio duximus perpetuò vniendam. Ita quòd

Rector de Suenceio, qui nunc eſt, & qui pro tempore erit, *Annus Christi*
Curam vtriuſque Eccleſiæ S. Germani, & de Suenceio plenius obtinebit perpetuò & habebit, ac oblationes, legata, ſepulturas, confeſſiones, & nuptias, ſeu illa quæ pro benedictionibus nuptialibus percipi debent, & conſueuerunt, & quæcunque ad Altare de S. Germano prouenient idem Rector perpetuò leuabit, & integraliter poſſidebit, excepto vno bicheto ſiliginis (in quo dictus Curatus & ſucceſſores ſui tenebuntur dicto Priori, & ſuis ſucceſſoribus) annuatim infrà natiuitatem Domini perſoluendo. Ita tamen quòd dictus Rector, qui nunc eſt, & qui pro tempore erit in dicta Eccleſia de S. Germano, tenebuntur perpetuò per ſe, vel per alium deſeruire, & facere luminare, vel procurare erga Parochianos Eccleſiæ S. Germani, vt faciant ſecundùm quod conſuetum eſt fieri temporibus retroactis. Et ſi cõtingat aliquam perſonã in dicta Eccleſia de S. Germano tradi Eccleſiaſticæ ſepulturæ, Prior dicti loci & eius ſocius poſt Miſſam dicti Curati diuina, ſi voluerint, celebrabunt, & oblationes ſuas integraliter percipiẽt, & habebunt. Reſeruato tamen iure patronatus in prædictis Eccleſiis Abbati ſupradicto. Rector verò prædictus qui nunc eſt, & qui pro tempore erit habebit & percipiet perpetuò Manſum, quod quondam fuit Benedicti Presbyteri defuncti, prout dictus Presbyter poſſidere conſueuit, & tenere, vel aliud Manſum ad valorem dicti Manſi. Et quòd dictus Curatus, & ſui ſucceſſores, qui pro tempore erunt, poſſint excolere de terris eſſartis in finagio dictæ villæ, prout homines ipſius villæ excolere & eſſartare conſueuerunt. Vſagium plenarium in omnibus locis, terris, ripariis, nemoribus, & vbicunque Parochiani de ſancto Germano vtuntur, & vtentur in futurum, quandiu in dicta villa de ſancto Germano idem Rector vel eius Vicarius faciens manſionem. Ac etiam idem Rector ſolus percipiet mutonos de Romenaio totaliter, & habebit. Volentes inſuper quòd decimas dictæ Parochiæ, quas Prior dicti loci vſque ad hæc tempora percepit, ſolus integraliter percipiat, tam in nonalibus, quàm antiquis; & quòd idem Rector in dictis no-

Annus Chriſti. ualibus non poſſit ius aliquod de cætero reclamare. Nos autem hæc omnia volentes, laudantes, ac etiam approbantes & confirmantes, præſentibus litteris ſigillum noſtrum fecimus apponi in teſtimonium veritatis.

1289. Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo octogeſimo-nono, menſe Februario.

CAPVT V.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Milo Comes Barri ſuper Sequanam damna data Reomaenſibus reſtaurat.

De Milone & Gaucherio Comitibus Barri. Ill.n.206. EGo Milo Comes Barri ſuper Sequanam notum facio omnibus præſentes litteras inſpecturis, quòd ego laude & aſſenſu Helixandis vxoris meæ Comitiſſæ, & Gaucherij filij mei dedi & conceſſi in perpetuam eleemoſynam Deo in Prioratu de Iuleio Caſtro, & Monachis ibidem Deo ſeruientibus decem ſolidos Pruuinenſes annuatim percipiendos in cenſibus meis de villa noua infrà octauas S. Remigij, pro reſtauratione damnorum quæ ego feci dicto Prioratui in guerra mea. Quod vt ratum permaneat, & ſtabile perſeueret in futurum, præſentem chartam feci ſigilli mei munimine roborari.

1290. Actum anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo, menſe Martio.

CAPVT VI.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Camerarius probante Gaudrico commutat iura Belaoniis cum Duce Roberto Magiſtratu Sinemuri fideiubente.

RELIGIOSIS viris & honeſtis Fratri Gaudrico Abbati Monaſterij ſancti Ioannis Reomaenſis Lingonenſis

Diœceſis, Ordinis ſancti Benedicti, totique Conuentui *Annus* dicti loci, Maior, Scabini, & Communitas de Sinemuro ſa- *Christi.* lutem in Domino ſempiternam. Noueritis quòd cùm nobilis vir Robertus Dux Burgundiæ dominus noſter teneatur nobis in quater viginti libris Turonenſibus annui reditus ſingulis annis reddendis, & ſoluendis Camerario Monaſterii veſtri prædicti, vel eius vices gerenti, aut certo mandato vnius ipſorum à prædicto Domino Duce & hæredibus ſuis villam de Sinemuro tenentibus apud dictum Sinemurum in Eccleſia beatæ Mariæ ante horam ſextam, prima die Dominica poſt Reſurrectionem Domini ſuper Marcis, & aliis reditibus, qui prædicto Domino noſtro De Marcis debentur ſingulis annis ab hominibus & communitate Sinemuri. III.n.107. prædicta de Sinemuro pro parte veſtra villæ de Belaone ſuper Vrſiam versùs Caſtellionem, & finagii dictæ villæ, & pro omni iure, actione, dominio vtili, vel directo quæ vos habebatis, & habere poteratis in dictis villa & finagio, hominibus, manſis, terris, pratis, vineis, nemoribus, riparia, iuſtitia magna & parua, & aliis commoditatibus quibuſcunque, exceptis iure patronatus, & dono Eccleſiæ, oblationibus, legatis, annaciis, & decimis dictæ villæ de Belaone, necnon terrarum & vinearum, quas in dictis villa & finagio ipſi Religioſi poſſidebant, quæ vos prædicto Domino Duci dediſtis, tradidiſtis, ceſſiſtis, conceſſiſtis pro prædictis octoginta libris Turonenſibus ſoluendis, provt ſuperiùs continetur. Nos vocati in vnum propter hoc ſpecialiter in loco conſueto pulſata campana, provt moris eſt concorditer, & vnanimi aſſenſu pro prædicto Domino Duce, & de mandato ipſius conſtituimus nos vobis fideiuſſores, & principales debitores nomine noſtro, & Communitatis prædictæ de octoginta libris Turonenſibus ſoluendis & reddendis dicto Camerario, vel eius vices gerenti, aut certo mandato alterius ipſorum à nobis ſingulis annis apud Sinemurum poſt tres dies, poſtquam à vobis, vel à dicto Camerario, vel eius vices gerente, aut alterius ipſorum certo mandato fuerimus requiſiti. Conſtituimus etiam nos, & promittimus per iuramenta noſtra à nobis Maiore & Sca-

Annus Chriſti. binis prædictis nomine noſtro & Communitatis prædictæ corporaliter præſtita ſuper ſancta Dei Euangelia, & ſub pœna vnius Marcæ argenti (quam pœnam volumus, & expreſsè conſentimus per prædicta iuramenta noſtra contra nos, & ſucceſſores noſtros committi, reddi, & ſolui priuſquam debitum principale à nobis & ſucceſſoribus noſtris dicto Camerario, vel eius vices gerenti, aut certo mandato alterius ipſorum, ſingulis diebus, quibus poſt prædictos tres dies deficiemus in ſolutione pecuniæ ſupradictæ) prædictas quater viginti libras reddere & ſoluere dicto Camerario, vel eius vices gerenti, vel certo mandato ſingulis annis termino, & loco prædictis, ſi, quod abſit, prædictus Dominus Dux, vel ſui hæredes in ſolutione dictæ pecuniæ deficerent, facienda, vt ſuperiùs eſt prædictum. Donec prædictus Dominus Dux, vel ſui hæredes pro prædictis rebus de Belaone vobis aſſignauerint, aſſederint, & deliberauerint quater viginti libratas terræ ad valorem Turonenſium in redditibus, & prouentibus aliis ſingulis annis in perpetuum leuandis, ac percipiendis à vobis, & ſucceſſoribus veſtris, quos duxeritis acceptandos. Supponentes nos & ſucceſſores noſtros immediatè diſtrictui illuſtriſſimi Principis Philippi Dei gratia Regis Francorum, & hæredum ſuorum Regum Francorum, vt ipſe Rex & hæredes ſui Reges Francorum, Balliuus ſuus Senonenſis, Præpoſitus & Seruientes ipſius poſſint nos compellere per bonorum noſtrorum captionem, tanquam de re confeſſa & cognita coram ipſo nullis allegationibus, ſeu exceptionibus admiſſis ſine ſtrepitu cauſæ poſt tres dies, poſtquam à vobis, vel mandato veſtro ſuper hoc fuerint requiſiti ad præſtationem, & ſolutionem prædictarum quater viginti librarum, necnon dictæ pœnæ, quæ commiſſa fuerit, ſi, quod abſit, prædictus Dominus Dux, vel ſui hæredes deficerent in ſolutione dictæ ſummæ, vt ſuperiùs dictum eſt, facienda. Renunciantes in hoc facto & ex certa ſcientia per dicta iuramenta noſtra nos Maior & Scabini prædicti nomine noſtro & Communitatis prædictæ omni actioni & exceptioni doli & in factum, conſtitutioni, Præſente vtroque, & omnibus aliis

De libratis terræ. Ill. n 107.

exceptionibus, pro enumeratis ſpecialiter habitis, quæ *Annus*
contra præſens inſtrumentum vel factum poſſent obiici, *Chriſti.*
ſiue dici, & iuri dicēti, generalem renunciationem non valere. In cuius rei teſtimonium ſigillum Reuerendi in Chriſto Patris ac Domini Hugonis Dei gratia Epiſcopi Eduenſis ſupplicauimus & rogauimus vnà cum ſigillo Communitatis prædictæ præſentibus litteris apponi, & nos & ſucceſſores noſtros ipſius Domini Epiſcopi iuriſdictioni ſupponimus, vt ipſe & ſucceſſores ſui Epiſcopi, nullâ monitione præmiſsâ, poſſint nos & ſucceſſores noſtros nomine Communitatis prædictæ compellere, tanquam de re adiudicata, confeſſa, & cognita coram ipſo per ſententias excommunicationis in nos, & interdicti in vxores, & familias noſtras ad obſeruantiam omnium & ſingulorum præmiſſorum, qui relaxari non poſſint donec nobis, vel Camerario prædicto, vel eius vices gerenti, aut alteri ipſorum Mandato de ſorte & pœna prædictis quolibet anno, vt prædictum eſt, fuerit plenariè ſatisfactum. Et nos prædictus Epiſcopus ad petitionem & requiſitionem prædictorum Maioris, Scabinorum, & Communitatis ſigillum noſtrum præſentibus litteris appoſuimus in teſtimonium prædictorum.

Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo-primo, menſe Ianuario. 1291.

Capvt VII.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Philippus Pulcher Rex Francorum alienationem Camerarij probat, & ſolutioni pretij cauet.

PHilippvs Dei gratia Francorum Rex, vniuerſis præſentes litteras inſpecturis, Salutem. Notum facimus, quòd in noſtra præſentia propter hoc perſonaliter conſtitutus, dilectus & fidelis noſter Robertus Dux Burgundiæ aſſerens, & recognoſcens coram nobis, quòd viri Religioſi, Abbas & Conuentus Monaſterij ſancti Ioannis

Annus Chriſti. Reomaenſis Lingonenſis Diœceſis, Ordinis ſancti Benedicti dederunt, tradiderunt, ceſſerunt, & conceſſerunt eidem Duci, & ſuis hæredibus, & ſucceſſoribus quibuſcunqne in hæreditatem perpetuam partem ſuam villæ de Belaone ſitæ ſuper Vrſiam versùs Caſtellionem. *Et infrà.* Pro octoginta libris Turonenſibus annui & perpetui reditus reddendis, & ſoluendis ſingulis annis à prædicto Duce, & ſuis hæredibus ſeu ſucceſſoribus villam Sinemuri in Auſſeſio tenentibus Camerario dicti Monaſterij, vel ipſius vices gerenti, vel alicuius ipſorum certo mandato apud Sinemurum prædictum in Eccleſia Beatæ Mariæ, ante horam ſextam, prima die Dominica poſt reſurrectionem Domini ſuper Marcis & aliis reditibus, exitibus, & prouentibus debitis dicto Duci ſingulis annis ab hominibus & Communitate dictæ villæ de Sinemuro. *Et infrà.* Promiſit idem Dux ſolemniter pro ſe, ſuiſque hæredibus, ſeu ſucceſſoribus dictam villam de Sinemuro tenentibus, quos ad hoc obligauit ſpecialiter, & expreſsè per iuramentum ſuum ſuper ſancta Dei Euangelia corporaliter pręſtitum, & ſub pœna vnius Marcæ argenti, quam ipſe vult & conſentit per dictum iuramentum ſuum contra ſe & hæredes ſuos committi, reddi, & ſolui priuſquam debitum principale ab eodem Duce, & ſuis hæredibus præfato Camerario, vel eius vices gerenti, vel eorum certò mandato ſingulis diebus, quibus poſt dictum terminum deficerent, quod abſit, in ſolutione prædicta, dictum annuum reditum prædicto Camerario, vel eius vicem gerenti, aut eorum certo mandato ſingulis annis modo, termino, & loco prædictis reddere & ſoluere integraliter, pacificè, & quietè. Nec aliquid recipere aut leuare de prædictis Marcis, nec dictas Marcas diminuere, aut diſtrahere, aut alicui alij de ipſis Marcis aſſignare, vel tradere, ſeu cum aliis reditibus permutare, vel alias quoquo modo alienare, per quæ prędicta ſolutio poſſet in aliquo diminui, impediri in poſterum, vel differri. *Et infrà.* Petrus verò de Montecherio Maior, Guido Fornerij, Ancelinus dictus Comes Bairi, Galterus Ronſelli Draperius, Guillelmus Canis, Iacobus Aynardi, &

& Guillelmus Guitera Scabini de dicta villa Sinemuri *Annus*
nomine ſuo, & Communitatis dictæ villæ Sinemuri, aſſe- *Chriſti.*
rentes ipſos, & dictam Communitatem in vnum propter hoc ſpecialiter in loco conſueto, ad pulſationem campanæ, provt moris eſt, conuocatos fuiſſe, concorditer, & aſſenſu vnanimi ſe conſtituerunt erga dictos Religioſos, & Camerarium prædictum, & eius vices gerentem, ſeu eorum Camerarij, & vices gerentis mandatum, fideiuſſores, & principales debitores. *Et infrà.* Nos verò ceſſionem, traditionem, deliberationem, & aſſignationem prædictas, necnon omnia & ſingula, provt ſuperiùs exprimuntur ad ſupplicationem, & requiſitionem dictorum Ducis Maioris & Scabinorum ſuo, & quo ſupra nomine volumus, approbamus, & tenore præſentium confirmamus, ſaluo iure noſtro, & quolibet alieno, præfatóſque Ducem, Maiorem, Scabinos, & Communitatem Sinemuri prædicti, eorúmque hæredes, & ſucceſſores, quatenùs eos tangit ad omnia prædicta & ſingula faciemus compelli, quóties ex parte dictorum Religioſorum ſuper his fuerimus requiſiti. Quæ vt firma & ſtabilia perſeuerent, præſentes litteras ſigilli noſtri fecimus impreſſione muniri, ad requiſitionem, & ſupplicationem Ducis, Maioris, & Scabinorum ſuo, & quo ſuprà nomine prædictorum.

Actum Pariſiis anno Domini milleſimo ducenteſimo no- 1291.
nageſimo-primo, menſe Ianuario.

CAPVT VIII.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Gaudricus partem Meneſterelli Monaſterio acquirit.

NOs Soror Margareta humilis Abbatiſſa Eccleſiæ beatæ Mariæ de Criſinone Autiſiodorenſis Diœceſis, Notum facimus vniuerſis præſentes litteras inſpecturis, quòd Simonetus de Aiſiaco prædictæ Diœceſis Domicel-

Annus Chriſti. lus, & Iaqueta eius vxor vendiderint, & titulo puræ & perfectæ venditionis tradiderint & conceſſerint viris Religioſis Abbati & Conuentui Monaſterij S. Ioannis Reomaenſis Ordinis ſancti Benedicti, Lingonenſis Diœceſis, partem ſuam villæ de Meneſterello, iuxta villam de Corpore ſancto, & quidquid habebant in finagio dictæ villæ de Meneſterello, & quidquid iuris, actionis dominij vtilis, vel directi in prædicta villa de Meneſterello, & in finagio eiuſdem villæ habebant, & quoquo modo habere poterant in hominibus, manſis, terris, pratis, vineis, nemoribus, cenſibus, coſtumis, tertiis, coruéis, laudibus, ventis manumortua, talliis, ſeruitute, vſagiis, paſturis, iuſtitia, dominio, & aliis commoditatibus quibuſcunque habenda, tenenda, & poſſidenda à prædictis Religioſis, & ſucceſſoribus ſuis in perpetuum pretio triginta librarum Turonenſium eiſdem venditoribus à prædictis Religioſis ſolutarum in bona pecunia numerata, quæ omnia & ſingula ſupradicta vendita à prædictis Religioſis tenebant de feudo venditores ſupradicti; & ſe deueſtierint dicti venditores de prædictis omnibus & ſingulis venditis, & dictos Religioſos inueſtierint. *Et infrà.* In quorum omnium teſtimonium & munimen nos prædictam obligationem de prædictis vineis in noſtro dominio, & iuſtitia ſitis factam volentes, & concedentes, quantum noſtra intereſt ad requiſitionem prædictorum Simoneti & Iaquetæ, ſigillum noſtrum præſentibus litteris duximus apponendum.

1293. Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo-tertio, menſe Iunio.

CAPVT IX.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Procuratio reſignandi cauſa in manus Gaudrici Abbatis.

IOANNES miſeratione diuinâ Lingonenſis Epiſcopus vniuerſis præſentes litteras inſpecturis, ſalutem in Domino ſempiternam. Noueritis quòd facimus, conſtituimus, & ordinamus noſtros veros, & legitimos procuratores, ac nuncios ſpeciales dilectos nobis in Chriſto viros venerabiles & diſcretos Ioannem de Saffris Canonicum & Sacriſtam Lingonenſem cariſſimum nepotem noſtrum, & Ioannem de Saffris Rectorem Eccleſiæ de Arboto noſtræ Lingonenſis Diœceſis, necnon dominum Aimonem de Altari Capellanum noſtrum, & quemlibet eorum in ſolidum, ad reſignandum purè & liberè in manibus Religioſorum virorum Abbatis Gaudrici, & Conuentus Reomaenſis, vel Abbatis ſolùm prouentus & exitus, quos habemus, & tenemus ab eiſdem ad vitam noſtram in villa de Chamonce noſtræ Lingonenſis Diœceſis in decimis, terris, cenſiuis, & aliis quibuſcunque, tam ex ratione iuris patronatus, quàm ex quacunque alia ratione, qnandocunque eis, vel eorum alteri videbitur expedire; promittentes bona fide, & ſub hypotheca & obligatione omnium bonorum noſtrorum nos ratum & geſtum pleniùs habituros quidquid per dictos procuratores noſtros, & eorum alterum factum fuerit, ſeu etiam procuratum in præmiſſis, vel altero præmiſſorum. In cuius rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus litteris duximus apponendum.

Actum & datum apud Rupem fortem, poſt feſtum beati Barnabæ Apoſtoli, anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo-ſexto. 1296.

Annus Christi.

REGMVNDI DE CVMMINES ABBATIS LIII.

Rerum geſtarum excerpta.

Capvt I.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Regmundus conſiliarium ſibi aſciſcit Sacriſtam Lingonenſem, conceſſo illi ad vitam Camedonenſi prouentu.

EGo Ioannes de Safris Canonicus & Sacriſta Lingonenſis, notum facio vniuerſis præſentes litteras inſpecturis, quòd cùm viri Religioſi Frater Regmundus humilis Abbas Monaſterij Reomaenſis, totúſque eiuſdem loci Conuentus mihi dederint & conceſſerint quidquid habent, ſeu habere debent apud Chamooncé, & in eiuſdem loci Parochia, tam in decimis, quàm in quibuſcunque aliis, tam ex ratione iuris patronatus, quàm ex quacunque alia ratione, ad vitam meam tantummodò poſſidenda, exceptâ præſentatione Parochialis Eccleſiæ dictæ villæ, quam ſibi retinent prædicti Abbas & Conuentus, ſi eam vacare contigerit, me viuente. Ego ratione prædictorum per iuramentum meum ſuper ſancta Dei Euangelia corporaliter præſtitum ſum, ero, & eſſe debeo Clericus & Conſiliarius dictorum Abbatis, & Conuentus, & Monaſterij ſupradicti, ac prædicta manutenere, & defendere pro poſſe meo promitto, & teneor contra omnes. Confiteor tamen quòd pòſt meum deceſſum prædicta mihi conceſſa ad eoſdem Abbatem & Conuentum, & ſucceſſores ſuos, & dictum Monaſterium quietè & liberè reuertentur, & debent reuerti, cum omni melioratione, & augmento. In cuius rei teſtimonium ſigillum meum duxi præſentibus litteris apponendum in teſtimonium veritatis.

De Præfectura Regmundi. Ill n.208.

Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſexto, die Dominica poſt feſtum S. Barnabæ Apoſtoli. *Annus Chriſti. 1296.*

Capvt II.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Charta libertatis, ſeu abbonagij Hugonis de Fonteneto.

Transcriptvm litteræ infraſcriptæ. Nos Frater Regmundus miſeratione diuina humilis Abbas Reomeenſis, Ordinis ſancti Benedicti, Lingonenſis Diœceſis, totúſque eiuſdem loci Conuentus, Notum facimus vniuerſis præſentes litteras inſpecturis, quòd nos ad preces Reuerendi in Chriſto Patris Domini Hugonis Dei gratia Eduenſis Epiſcopi, ac venerabilis viri Magiſtri Ioannis de Borbonio Archidiaconi Aualonenſis in Eccleſia Eduenſi. Attendentes etiam & conſiderantes ſeruitia, quæ Hugo de Fonteneto dicto Archidiacono vtiliter fecit, & impendit; & quòd idem Archidiaconus & dictus Hugo nobis, Eccleſiæ noſtræ, & Prioratui noſtro de Tiſeio poſſunt eſſe in poſterum fructuoſi, ipſum Hugonem & Beneuenutam de Tiſcio eius vxorem, de voluntate etiam fratris Hugonis Prioris noſtri Tiſiaci abbonamus, & liberos eſſe volumus, & quemlibet ipſorum qui ſuperuixerit ab omni tallia, corueia, queſta, & ab omni alio genere & onere ſeruitutis, ac etiam omnia bona mobilia & immobilia quæ acquiſierint ante mortem ſuam tam coniunctim, quàm diuiſim pro quatuor libris ceræ dicto Priori, ac ſucceſſoribus ſuis Prioribus dicti loci, ſeu mandato ipſorum à prædictis coniugibus, vel ab altero ipſorum qui ſuperuixerit in feſto beati Remigij annis ſingulis perſoluendis. Saluis tamen dicto Priori, & ſucceſſoribus ſuis in prædictis bonis immobilibus, cenſiuis, coſtumis, manu mortua, iuſtitia, & dominio, & aliis iuribus conſuetis. Volumus etiam & concedimus primum ſuperſtitem liberorum ipſorum coniugum, & deſcendentium ab ipſo ſuperſtite cuiúſque ſexus ſucceſſi- De Abbonagio. [illegible] n 2c9.

Annus Chriſti. uè; & in perpetuum prædicta libertate congaudere. Hac tamen conditione appoſitâ, quòd ſi dicti coniuges, vel alter eorum, aut etiam ab ipſis cauſam habens de cætero aliu'm Dominum, quàm Priorem Tiſi facerent, ſeu auoarent, vel perſonas ſuas, vel perſonam ſuam alibi transferrent, prædicti Prioratus iuſtitiam & dominium euitando, omnes res & bona quæ ipſi, vel alter eorum ſub iuriſdictione & dominio dicti Prioratus tenerent & poſſiderent, eidem Priorâtui remanerent ratione excaſuræ, non obſtante libertate, ſeu abbonagio antedictis. Prætereà volumus & concedimus de voluntate & aſſenſu dicti Prioris, ac etiam Domini Ioannis de Tiſi Presbyteri, & auunculi prædictæ Beneuenutæ, quòd excaſura omnium bonorum mobilium & immobilium, quæ dictus Dominus Ioannes habebit tempore quo decedet ad prædictos coniuges, vel ad ſuperſtitem ipſorum, ac etiam ad liberos ipſorum, ſi quos habuerint legitimos deueniat, ſine reclamatione aliqua ſuper hoc facienda, & eandem excaſuram teneant in perpetuum, tanquam rem ſuam propriam, & voluntatem ſuam faciant de eadem. Vnde dictus Dominus Ioannes de omnibus bonis ſuis mobilibus & immobilibus ſe deueſtiuit in manu dicti Prioris. Qui Prior de voluntate & aſſenſu noſtro, & dicti Preſbyteri, præfatos coniuges inueſtiuit de eiſdem. Vult etiam & concedit idem Dominus Ioannes, quòd prędicti coniuges ex nunc dicta bona teneant, & intrent ſaiſinam eorundem, retento tamen dicto Domino Ioanni vſufructu bonorum omnium prędictorum, quandiu vitam duxerit in humanis, vt de ipſo vſufructu gaudeat, & explectet ad voluntatem ſuam, tanquam dominus & poſſeſſor. Et ſi contigerit ipſos coniuges abſque liberis ante dictum Preſbyterum decedere, dicta bona mobilia & immobilia ad eundem Presbyterum deuenient in poſſeſſione & proprietate vt priùs, non obſtante deueſtitione ſupradicta. Poſt deceſſum autem dicti Preſbyteri, & amborum coniugum prędictorum, ſi ipſos ſine liberis legitimis decedere contigerit, prędicta excaſura ad Priorem dicti loci, qui tunc erit nomine manus mortuę deueniet pleno

iure. Quæ vt rata & firma permaneant in futurum, nos Abbas & Conuentus prędicti ſigilla noſtra vnà cum ſigillo prçfati Prioris, qui præmiſſa omnia voluit, & conceſſit, prçſentibus litteris appoſuimus in teſtimonium præmiſſorum. *Annus Chriſti.*

Datum & actum anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo-octauo, menſe Aprili. 1298.

Data huiuſmodi tranſcripti ſub ſigillo Curię Domini Ducis Burgundiæ per manum Andreæ Remundi de Monte-regali Clerici dictæ Curiæ Iurati, menſe Ianuarij, anno Domini milleſimo treceenteſimo decimo-nono.

Capvt III.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Roberto Duci Burgundiæ protectionis titulo donat ad vitam prouentus de Ioux.

EGo Robertus Dux Burgundiæ notum facimus vniuerſis præſentes litteras inſpecturis, quòd cùm dilecti noſtri in Chriſto Frater Regmũdus Dei gratia Abbas Monaſterij Reomaenſis Ordinis ſancti Benedicti, Lingonenſis Diœceſis, totúſque eiuſdem loci Conuentus, nobis ad vitam noſtram duntaxat dederint & conceſſerint prouentus & exitus Prioratus ſui de Ioux, Eduẽſis Diœceſis, cum omnibus iuribus, iuriſdictionibus, & pertinentiis eiuſdem, nos quoad præmiſſa procuratorem in rem noſtram conſtituentes tenemur, & promittimus bona fide poſſeſſiones, iura, iuriſdictionéſque eiuſdem Prioratus manutenere, & contra perturbantes, quicunque ſint, defendere propriis noſtris ſumptibus, & tueri. Tenemur inſuper cuidam Monacho prædicti Monaſterij in dicto Prioratu commoranti, & inibi Deo ſeruienti viginti libras Turonenſes, pro neceſſariis omnibus annis ſingulis miniſtrare. Si quas etiam nouitates ſeu Burgeſias indebitas, nos vel gentes noſtræ retroacto tempore in villa de Ioux, vel in dicto Prioratu minùs iuſtè

De contractu vſufructuario cum Roberto Duce ibid.

Annus Chriſti. fecimus, tenemur eas penitùs reuocare. Actum eſt etiam inter nos, quòd poſt deceſſum noſtrum dictus Prioratus cum omnibus poſſeſſionibus, iuribus, iuriſdictionibus, pertinentiis, acquiſitionibus, Burgeſiis, & meliorationibus vniuerſis, & ſingulis per nos in anteà faciendis, cum omnibus mobilibus in dicto Prioratu tempore obitus noſtri exiſtentibus, qui ex fructibus & prouentibus, vel exitibus dicti Prioratus obuenerint, ad Monaſterium prædictum ſine retentione & reclamatione qualibet reuertetur, ac etiam in dicto Prioratu remanebunt. Et ſi, quod abſit, aliquas nouitates fecerimus minùs iuſtè, vel faciemus in prædicti Prioratus præiudicium, quandiu ipſum tenebimus Prioratum, volumus eas penitùs eſſe nullas. In cuius rei teſtimonium ſigillo noſtro præſentes litteras fecimus ſigillari.

1298. Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo-octauo, menſe Nouembri.

CAPVT IV.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Regmundus ſocietatem init cum Monachis ſancti Martini Eduenſis.

IN nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, Amen. Nos frater Hugo miſeratione diuina humilis Abbas Monaſterij ſancti Martini Eduenſis, totúſque eius Conuentus, notum facimus vniuerſis præſentes litteras inſpecturis, quòd nos ex vna parte, & Reuerēdus in Chriſto Pater Regmundus Dei gratia Abbas Monaſterij S. Ioannis Reomaenſis, Lingonenſis Diœceſis, prædicti Ordinis, totúſque eiuſdem loci Conuentus, ex altera, de vnanimi aſſenſu, & voluntate partium noſtrarum prædictarum, & pro ſalute animarum noſtrarum, & ſucceſſorum noſtrorū talem ſocietatem inter nos partes prædictas contraximus. Videlicet quòd ſi Abbas S. Ioannis prædicti Monaſterij Reomaenſis ad Monaſterium noſtrum ſupradictum venerit, & Capitulum tenere volue-

De ſocietatibus Reomaēſibus. Illuſt. n. 141.

rit, & licebit, & quæcunque ibi tractata fuerint diſponere, & fratres de qualibet ſententia abſoluere, de qua poſſit abſoluere Abbas noſter. Similiter noſtri Monaſterij Abbati in Monaſterio S. Ioannis eadem ſi voluerit facere licebit. Quòd ſi aliquis Monachus dicti Monaſterij Reomaenſis, excepto furto, diſcordatus fuerit ab Abbate & Conuentu ſuo, & ad Monaſterium noſtrum venerit, quovſque reconciliatus fuerit eum recipere tenebimur, & ei neceſſaria miniſtrare. Et ipſi Religioſi Monaſterij S. Ioannis ſimiliter de noſtris fratribus facere tenebuntur. Si verò Breuis defuncti venerit ante Capitulum, Commendatio, Vigiliæ, & Miſſa matutinalis, ac ſi præſens eſſet corpus, pro eo celebrabuntur, Breuis in Capitulo legetur, poſt Capitulum omnes campanæ pulſabuntur, generale fiet officium. Si autem poſt Capitulum quacunque hora venerit vſque ad collationem, ſtatim Vigiliæ cantabuntur, cætera in craſtinum differentur. In Conuentu ſeptem Vigiliæ, & ſeptem Miſſæ fient, inter fratres tricenarius Miſſarum diuidetur, pro eo triginta diebus in refectorio præbenda dabitur, vnuſquiſque Sacerdotum Miſſam vnam celebrabit, vnuſquiſque Diaconorum, Subdiaconorum, & Acolythorum Pſalterium vnum dicet, Conuerſi verò centum *Miſerere mei Deus*, & totidem *Pater noſter*. In Calendario nomen defuncti ſcribetur, & anniuerſarium quaſi pro noſtro profeſſo celebrabitur. In anniuerſario Abbatum magnæ Vigiliæ fient. Ad hanc etiam ſocietatem confirmandam & retinendam, feſtiuitas beati Ioannis prædicti Monaſterij Reomaenſis cum duodecim lectionibus celebrabitur in ipſorum Monaſterio ſupradicto. In quorum teſtimonium ac perpetuam memoriam nos Abbas & Conuentus dicti Monaſterij S. Martini Eduenſis ſigilla noſtra præſentibus litteris duximus apponenda.

Annus Chriſti.

Actum, & datum anno Domini milleſimo treceenteſimo-octauo. 1038.

Annus Chriſti.

Capvt V.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Huilardinus de Quinceio Tertias quaſdam Reomaenſibus donat.

VNiversis præſentes litteras inſpecturis, Officialis Lingonenſis ſalutem in Domino. Noueritis quòd in præſentia Stephani Curati de Tectis Clerici Curiæ noſtræ Lingonenſis Iurati, cui quantum ad infraſcripta, ſeu etiam ad maiora fidem plenariam adhibemus, propter hoc perſonaliter conſtitutus Huillardinus de Quinceio Vicecomitis prope Rubeum montem Domicellus recognouit, & confeſſus eſt, quòd ipſe Huillardinus attendens & conſiderans quamplurima dona, bona, grata, & curialitates quæ dicto Domicello contulit, & impendit temporibus retroactis Frater Guido de Salmaſia Monachus Reomaenſis Reomaenſis Ordinis S. Benedicti, nunc Prior Prioratus de Aſeio ſubtus Rubeum montem Lingonenſis Diœceſis, & adhuc de die in diem conferre non ceſſat, in recompenſationem dictorum ſeruitiorum, necnon & ob remedium animæ ſuæ, & prædeceſſorum ſuorum dedit, donauit, ceſſit, & in perpetuum conceſſit donatione pura, irreuocabili, facta inter viuos dicto fratri Guidoni, & ſucceſſoribus ſuis Prioribus dicti Prioratus de Aſeio omnes, & ſingulas Tertias ſuas, quas habet annuales in terris tertialibus exiſtentibus in finagio de Rubeo monte ſubtus vetus caſtrum Rubei montis vltra flumen, quæ quidem Tertiæ olim pertinebant ad Dominum Lou Roide de dicto Quinceio Domicellum, quæ terræ mouenr de franco & libero allodio dicti Huillardini cum omni iure, iuriſdictione, & dominio, quæ dictus Huillardinus habet, habere poteſt, & debet, quocunque titulo, vel cauſa in eiſdem, nihil iuris, iuriſdictionis, ſeu dominij, aut proprietatis, ac etiam poſſeſſionis retinendo in eiſdem, ſe de ipſis Tertiis deueſtiens, & di-

Quæ fuerint terræ tertiales. Ill. n. 111.

ctum Priorem pro ſe Prioratu prædicto, & ſucceſſoribus *Annus*
ſuis prædictis de ipſis Tertiis, inueſtiendo perpetuò, & in *Chriſti.*
poſſeſſionem corporalem inducendo traditione præſen- De miſſione in poſſeſſionem
tium litterarum. Promittens dictus Huilardinus periura- per chartæ traditionem. Illuſt. a. 111.
mentum ſuum propter hoc ſuper ſancta Dei Euangelia
præſtitum corporaliter, necnon & ſub expreſſa obligatione
hæredum & omnium bonorum ſuorum tam mobilium,
quàm immobilium, præſentium & futurorum vbicunque
exiſtentium, ſolemniter ſtipulando dictas Tertias dicto
Priori & eius ſucceſſoribus perpetuò garantire contra omnes,
contra donationem huiuſmodi non venire per ſe, vel
per alium tacitè, vel expreſsè, nec contrauenienti in aliquo
conſentire, reddere & perſoluere omnia damna, &
intereſſe quæ propter hoc ſe dixerit incurriſſe, & ſuper ipſis
ſibi & latori præſentium credere ſuo ſimplici iuramento.
alia probatione non exacta.

Datum & actum anno Domini milleſimo trecenteſimo 1313.
tertio decimo, die Iouis poſt feſtum Purificationis beatæ
Mariæ Virginis, præſentibus fratre Odone Priore de Cortengiaco,
& fratre Iterio de Fontanis Monachis Reomaenſibus
teſtibus ad præmiſſa vocatis & requiſitis, anno
& die prædictis.

CAPVT VI.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Ioannes de Cabilone Comes Autiſiodorenſis, & Tornodorenſis Regmundo immunitatem alicuius domus donat.

NOs Fratres Ioannes Monaſterij Melundenſis, & Galterus Monaſterij de Chora, humiles Abbates Ordinis S. Benedicti, notum facimus vniuerſis, quòd nos vidimus & diligenter inſpeximus, ac de verbo ad verbum legimus quaſdam litteras non cancellatas, non raſas, non abolitas, non in aliqua parte vitiatas, ſigillo magno illuſtriſſimi Prin-

Annus Chriſti. cipis Domini Ioannis de Cabilone Comitis Autiſiodorenſis & Tornodorenſis ſano, & integro ſigillatas, provt prima facie apparebat, formam quæ ſequitur continentes. Nous Iean de Chalons Cuens d'Auxerre & de Torneure faiſons à ſauoir, que nous attendans la dilection, & affection que Religieus homs Frere Remons de Cummines Abbes de Moutier S. Iean, & ſi anceſſours hont heu, & hont à nous, & à nos anceſſours, de grace eſpeciaul vne maiſon, enſemble le pourpris ſeant en la ville de Ricé ou leu, que l'on dit deſſus lou chemin deſſus la maiſon au Religieus Moutier S. Iean de lez la maiſon Marion famme de feu Brunot le Tonnelier d'vne part, & de lez la maiſon Perrot le Marchant fil feu Callier d'autre part, eſtant en noſtre Seignourie, & en noſtre fié auons amortie & amortiſſons, & voulons, & ottroions que l'Egliſe & li dit Religieus de Moutier S. Iean & leur ſucceſſour tiegnent & poſſedient perpetuellement la deſſus dite maiſon, & pourpris, ſans faire aucune finance d'icy en auant à nous ne à nos ſucceſſours, & ſans aus contraindre à vendre, ne à mettre hors de leurs mains, & ſans donner à nous, ne à nos ſucceſſours aucune finance pour les chouſes deſſus dites, ſauue à nous, & à nos ſucceſſours noſtre Baronie, noſtre Seignorie, noſtre reſſort, noſtre garde, & noſtre ſouuerainete, & prometons pour nous, pour nos hoirs, & pour nos ſouceſſours, que nous ne vendrons, ne fairons venir iamais ou temps à aduenir contre les chouſes deſſus dites. En teſmeing de laquelle chouſe nous auons faict mettre noſtre grand ſeaul en ces preſantes lettres.

De magno ſigillo, ſeu authētico. Hbn. 204.

1315. Donné à Longui le Chaſteaul le Lundy vigile de la feſte de la Magdeleine, l'an de grace mil trois cens & quinze.

Datum viſionis noſtræ cum appoſitione ſigillorum noſtrorum, die Dominica qua cantatur *Oculi*, anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexto-decimo, menſe Martij.

GVILLELMI V. ABBATIS LIV.

Rerum geſtarum excerpta.

CAPVT I.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Prioratus Reomaenſis de Mundaum declaratur immunis à procurationibus Legatorum Pontificis.

NOs Petrus de Vico Canonicus Lingonenſis, Commiſſarius, & exequutor à Reuerendo in Chriſto Patre, ac Domino Nicolao miſeratione diuina tituli S. Euſebij Presbytero Cardinali, Apoſtolicæ Sedis Nuncio ad partes Regni Franciæ pro negotio terræ ſanctæ deſtinato, in Prouinciis Lugdunenſi & Viennenſi à parte Regni prædicti deputatus, de & ſuper procurationibus ipſius Domini Cardinalis eidem à Sede Apoſtolica conceſſis in dictis Prouinciis per ſe, vel per alium, ſeu alios recipiendis in pecunia numerata: Notum facimus, quòd nos per diſcretum virum Petrum dictum Petit Clericum iuratum Curiæ Eduenſis fecimus diligenter inquiri, vtrùm domus, ſeu Prioratus S. Germani de Mundaum Eduenſis Diœceſis teneretur ad procurationem dicti Domini Cardinalis, vel non, & per inqueſtam ab ipſo factam, à nobis apertam, & inſpectam, & per teſtes idoneos coram eo productos in loco prædicto inuenimus, & didicimus prædictam domum, ſeu Prioratum S. Germani de Mundaum non teneri ad procurationem Archiepiſcopi, Epiſcopi, Archidiaconi, Archipresbyteri, ſeu ſubuentiones aliquas. Quare nos authoritate quâ fungimur, monitionem à nobis emiſſam in dictam domum, ſeu Prioratum, & tenentem eum, pro procurationibus prædicti Domini Cardinalis cum ſuo effectu ſuſpendimus, & pro ſuſpenſa habemus, ipſum tenentem do-

Cur aliquæ Eccleſiæ eſſent immunes à procurationibus Legatorum P pæ. Sil. n. a 3.

Annus Chriſti. mum, ſeu Prioratum prædictum à ſententiis ſuſpenſionis, & excommunicationis à prædicto Domino Cardinali, vel à nobis latarum, ſi quam ob defectum ſolutionis procurationum prædicti Domini Cardinalis incurrerunt in his ſcriptis abſoluentes, & ſententiam interdicti à dicta domo, ſeu Prioratu amouentes. In cuius rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus litteris duximus apponendum.

1316. Datum Lingonis die Lunæ in feſto Inuentionis S. Crucis, anno Domini milleſimo treceenteſimo ſexto decimo.

Capvt II.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Guillelmus Priori Tiſiaci jus erigendi patibuli concedit.

NOs Frater Guillelmus permiſſione diuina humilis Abbas Monaſterij S. Ioannis Reomaenſis, Lingonenſis Diœceſis, Ordinis S. Benedicti, Notum facimus vniuerſis, quòd nos Fratri Guidoni de Salmaſia Priori Prioratus noſtri Tiſiaci Commonacho noſtro pro ſe, & ſuis ſucceſſoribus in perpetuum, qui pro tempore erunt dicti Prioratus noſtri Priores erigendi patibulum, ſeu furcas infra metas Iuſtitiæ dicti Prioratus, vbi dicto Priori meliùs viſum fuerit expedire, damus & concedimus licentiam pleniorem, mallentes territoria ſub dicto Prioratu conſtituta de malefactoribus, qui in dominio dicti Prioratus fuerint deprehenſi, potiùs quàm territoria noſtra nobis, ſeu Monaſterio noſtro propinquiora deinceps occupari. In cuius rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus litteris duximus apponendum.

Annus idem. Datum & actum die feſto beati Remigij in capite Octobris, anno Domini milleſimo trecenteſimo decimo-ſexto.

CAPVT III.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Tranſactio Guillelmi Reomaenſis cum Guillelmo Regniacenſi Abbate.

A Tovs ceuls qui verront & orront ces preſantes letres. Nous Frere Guillaumes humbles Abbes de Reigny, & tous li Couuens de ce leu de l'Ordre de Citiauls de la Dioceſe d'Auccurre, Salut en noſtre Seigneur. Cum deſcors fut mehu entre nous d'vne part pour raiſon de noſtre Egliſe de Reigny, & des appartenances d'icelle; & Religieuſes perſonnes & honeſtes l'Abbé, & le Couuent de Moſtier S. Iean de l'Ordre S. Benoiſt de la Dioceſe de Langres d'autre part, pour raiſon dou Priouré de Ioux, & des appartenances doudit Priouré appartenant és dis Religieus de Moſtier S. Iean. Sachent tuit, que nous de tous les deſcors, toutes les actions, querelles, controuerſes que l'vne partie pouuoit auoir à l'autre de tout le temps paſſé iuſques au iour de la confection de ces preſantes letres, auons accordé en la forme & maniere qui s'enſuit. Premierement eſt accordé que nous deſſuſdits Abbé & Couuent de Reigny hauons, & haurons perpetuellement ou nom de noſtre Egliſe de Reigny la mitié de la baſſe Iuſtice auec tous les emolumens d'icelle, laquelle eſtoit de ladite Egliſe de Moſtier S. Iean, & dou dit Priouré de Ioux, & que li dis Religieus de Moſtier S. Iean hauient en la terre que l'on appelle la terre Sainct Pere, auecquës nous Religieus deſſus dis de Reigny par non deuis, demeure à nous dis Religieus de Reigny franchement, & quittement à tous iours. Et la haute Iuſtice de cedit leu demeure és deſſusdits Abbé & Couuent de Moſtier S. Iean, de laquelle Iuſtice leſdits hauront ſeuls l'execution en quatre cas. C'eſt à ſçauoir en larrecin, murtre, rapt, & en champ de bataille, deſquex quatre cas li emolumens qui itra d'eus, ou de l'vn

De duelli probatorij ortu, ritu interdicto. III. n. 213.

Annus Chriſti.

d'iceus la mitié en ſera baillée à nous deſſus dis Religieus de Reigny, ſans rien metre du noſtre pour la main deſdits Religieus de Moſtier S. Iean, ou pour leur commandemant, &c.

1318. Données l'an de grace mille trois cens dix-huit ou mois de Iuillet.

Capvt IV.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Pacta conuenta inter Priorem Tiſiaci, & Dominum de Marmellis, Guillelmo Præſidente.

1319. IN nomine Domini, Amen. Anno Incarnationis eiuſdem milleſimo trecenteſiuo decimo-nono, die Martis in craſtino feſti beatæ Matthiæ Apoſtoli : Nos Guido de Salmaſia humilis Prior Tiſiaci ex vna parte, & Milo de Marmellis Domicellus ex altera, omnibus notum facimus, quòd cùm lis eſſet inter nos Priorem & Milonem, de bonis quæ li Quinquenas in iuſtitia de Marmellis ipſius Milonis tempore mortis ſuæ poſſidebat, quæ ego Milo dicebam eſſe mea, pro eo quòd idem Quinquenas morte criminali ſuccubuerat, inter nos pro bono pacis in hunc modum concordatum eſt, & ordinatum. Quòd omnia bona mobilia & immobilia in Iuſtitia dicti Milonis exiſtentia, quæ fuerunt ipſius Quinquenas, dicto Miloni perpetuò remanebunt, & de ipſis ſuam faciet voluntatem. Si verò contingeret aliquem hominem ipſius Milonis mori morte criminali, omnia bona ipſius morte criminali mortui in Iuſtitia dicti Prioris exiſtentia Priori Tiſiaci pro tempore exiſtenti remanebunt perpetuò quæcunque ſint, vel fuerint, & de ipſis ſuam faciet omnimodrm voluntatem. Promittentes per iuramenta noſtra ſuper ſacra Euangelia corporaliter data, & ſub obligatione omnium bonorum hæredum, & ſucceſſorum noſtrorum concordiam & ordinationem noſtram in perpetuum tenere firmiter & immobiliter obſer-

De familiis de Marmellis, Beauuanoir & Caſtellu: III. n. 214.

obſeruare, & contra non venire, nec contrauenienti conſentire aliqua conſuetudine generali, vel ſpeciali in contrarium faciente, non obſtante. Renunciamus autem omnibus iis & ſingulis quæ contra præſentes litteras, vel ipſarum tenorem dici poſſent, vel opponi, & præcipuè iuri dicenti generalem renunciationem non valere. Volentes nos compelli ad præmiſſa, quaſi ex re adiudicata per Curiam Domini Ducis Burgundiæ, nos & noſtros hæredes ac ſucceſſores eius iuriſdictioni ſupponendo. In cuius rei teſtimonium ſigillum dictæ Curiæ litteris præſentibus rogauimus & obtinuimus apponi.

Annus Chriſti.

De ſigillis Curiæ, Cóſilij, & Præ-torum Burgundiæ. III. n. 115.

Actum in præſentia Andreæ Remondi de Monte-regali Clerici dictæ Curiæ iurati, Ioannis Picardi de Santigny, Iacobi Torti, & Milonis de Anceio teſtium ad præmiſſa vocatorum anno & die prædictis.

Capvt V.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Vindicias obtinet Guillelmus iuriſdictionis Curtis Morini à Duce Burgundiæ Odone IV.

A Tovs cels qui verront, & orront ces preſantes letres: Nous Guillaume li Fors d'Oſtun Baillis d'Auxois, & de la Montaigne pour noble Baron Eude Duc de Bourgoigne façons ſauoir, que com plaiz fut par deuant nous en nos aſſiſes d'Aualon entre Frere Iean de Vignoles Moigne & Procureur de Religieuſes perſonnes l'Abbé & lou Couuent de l'Egliſe de Moſtier S. Iean, en nom de Procureur deſdits Religieus pour eaus, & pour lor dite Egliſe d'vne part. Et Maiſtre Iean Sadom d'Aualon Clerc Procureur, & en nom de Procureur de Monſieur lou Duc de Bourgoigne, & pour luy d'autre parr. Sur ceu que li dis Procureur des dis Religieus diſoit & propoſoit en iugement par deuant nous en nom de Procureur enconrre ledit Procureur Monſieur le Duc en nom que deſſus, que

De Curte Morini. III. n. 116.

Annus Christi. tris, ſeu tractatoribus à dictis partibus data ſuper hoc, & conceſſa de & ſuper dictis contentionibus, & diſcordiis dictum ſuum ordinationem & ſententiam ſuam protulit, pronunciauit, & ordinauit inter prædictas partes ipſis partibus præſentibus in modum, qui ſequitur, & in formam. Primò videlicèt quòd omnes decimæ de Monaſterio in Glanone, & de Eſcolis in Parochia de Monaſterio in Glanone, & in pertinentiis vniuerſis remanebunt ex nunc perpetuò dicto Fratri Bartolomæo eiúſque ſucceſſoribus, & Prioratui ſuo prædicto de Monaſterio in Glanone abſque aliqua reclamatione à dicto Curato facienda, etiam in noualibus, ſeu rupticiis, ſiue ſint in bladis, vinis, ſeu rebus aliis quibuſcunque. Item per eandem pronunciationem omnes decimæ de Roſeriis, & tertia pars decimarum de Taintes perpetuò remanebunt dicto Curato, eiúſque ſucceſſoribus, & Eccleſiæ ſuæ Parochiali de Monaſterio in Glanone ſupradictæ. Ita tamen quòd dictus Prior, & ſucceſſores ſui amodò non habebunt, nec poterunt ſequi, & habere aliquam ſectam ratione decimarum, ſeu alia de cauſa in dicta decima de Roſeriis. Et ſimiliter dictus Curatus & ſucceſſores ſui amodò non habebunt, nec poterunt ſequi, & habere aliquam ſectam in decimato de Monaſterio in Glanone. Item per eandem pronuntiationem dictus Prior de Monaſterio in Glanone, & ſucceſſores ſui tenebuntur dicto Curato, & ſucceſſoribus ſuis, Vicarióque, vel Clerico dicti Curati, & eius ſucceſſorum Curatorum dictæ Eccleſiæ expenſas ſuas dare, videlicet in vigilia feſti Paſchæ, & in die dicti feſti, in die Pentecoſtes, & in vigilia dicti feſti, in vigilia feſti omnium Sanctorũ, & in die dicti feſti, in vigilia feſtiuitatis Natiuitatis Domini, & in die dictæ feſtiuitatis. Et per eandem pronũtiationem dictus Prior de Monaſterio in Glanone, & ſucceſſores ſui reddere & ſoluere tenebũtur dicto Curato, & ſucceſſoribus ſuis ex nunc perpetuò anno quolibet tempore vindemiarum duas ſummas vini boni & puri capiendi in cuppa dicti Prioris, & eius ſucceſſorum ſuper decimis vini de Monaſterio in Glanone. Quod dictum & quam ſententiam, ordinationem, pronunciationem di-

De Noualibus & rupticiis. III. n.117.

ĉti Perrini de voluntate dicti fratris Adæ præſentis pronunciatam, provt ſuperiùs continetur, dictæ partes certè, prouidè, & beneconſultè nominibus, quibus ſuprà voluerunt, laudauerunt, & approbauerunt, & rata & grata perpetuò habuerunt, & aſſeruerunt iuſtè & legitimè facta eſſe, & in ipſis ſe non fuiſſe in aliquo læſas. In quorum teſtimonium ad ipſius Iurati relationem, qui præmiſſa nobis retulit eſſe vera, ſigillum Curiæ Niuernenſis prædictæ præſentibus litteris duximus apponendum. *Annus Christi.*

Datum die Martis poſt feſtum Reſurrectionis Domini, anno Incarnationis eiuſdem milleſimo trecenteſimo triceſimo-ſecundo. 1332.

Confirmatio Epiſcopi Niuernenſis.

BERTRANDVS miſeratione diuina Niuernenſis Epiſcopus, vniuerſis præſentes litteras inſpecturis, Salutem. Litteras ſigillo Curiæ noſtræ ſigillatas, non viciatas, non corruptas, ſed omni ſuſpicione carentes vidimus, quarum tenor his præſentibus eſt inſertus. Cuiuſmodi litteras ſic confectas laudamus, ratificamus, ac tenore præſentium confirmamus.

Datum Niuernis ſub ſigillo noſtro in domo noſtra Epiſcopali, anno Domini milleſimo trecenteſimo triceſimoſecundo, die Veneris poſt feſtum Decollationis beati Ioannis Baptiſtæ.

CAPVT VII.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Guillelmus ſucceſſionem in bona illegitimorum ciuium Reomai, & Vinearum vendicat Monaſterio à Duce Burgundiæ Odone IV.

NOvs Eudes Dux de Bourgoigne Contes d'Artois, & de Bourgoigne Palazins, & Sires de Salins façons ſauoir à tous, que com cauſe fut à Beaulne por deuant nous à noſtre Pallement, qui commencit lou Diemonge apres la ſainct Andrie entre lou Procureour de Religieuſes per-

Annus Chriſti. fecimus, tenemur eas penitùs reuocare. Actum eſt etiam inter nos, quòd poſt deceſſum noſtrum dictus Prioratus cum omnibus poſſeſſionibus, iuribus, iuriſdictionibus, pertinentiis, acquiſitionibus, Burgeſiis, & meliorationibus vniuerſis, & ſingulis per nos in anteà faciendis, cum omnibus mobilibus in dicto Prioratu tempore obitus noſtri exiſtentibus, qui ex fructibus & prouentibus, vel exitibus dicti Prioratus obuenerint, ad Monaſterium prædictum ſine retentione & reclamatione qualibet reuertetur, ac etiam in dicto Prioratu remanebunt. Et ſi, quod abſit, aliquas nouitates fecerimus minùs iuſtè, vel faciemus in prædicti Prioratus præiudicium, quandiu ipſum tenebimus Prioratum, volumus eas penitùs eſſe nullas. In cuius rei teſtimonium ſigillo noſtro præſentes litteras fecimus ſigillari.

1298. Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo-octauo, menſe Nouembri.

Capvt IV.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Regmundus ſocietatem init cum Monachis ſancti Martini Eduenſis.

IN nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, Amen. Nos frater Hugo miſeratione diuina humilis Abbas Monaſterij ſancti Martini Eduenſis, totúſque eius Conuentus, notum facimus vniuerſis præſentes litteras inſpecturis, quòd nos ex vna parte, & Reuerēdus in Chriſto Pater Regmundus Dei gratia Abbas Monaſterij S. Ioannis Reomaenſis, Lingonenſis Diœceſis, prædicti Ordinis, totúſque eiuſdem loci Conuentus, ex altera, de vnanimi aſſenſu, & voluntate partium noſtrarum prædictarum, & pro ſalute animarum noſtrarum, & ſucceſſorum noſtrorū talem ſocietatem inter nos partes prædictas contraximus. Videlicet quòd ſi Abbas S. Ioannis prædicti Monaſterij Reomaenſis ad Monaſterium noſtrum ſupradictum venerit, & Capitulum tenere volue-

De ſocietatibus Reomaēſibus. Illuſt. n. 141.

rit, & licebit, & quæcunque ibi tractata fuerint diſponere, & fratres de qualibet ſententia abſoluere, de qua poſſit abſoluere Abbas noſter. Similiter noſtri Monaſterij Abbati in Monaſterio S. Ioannis eadem ſi voluerit facere licebit. Quòd ſi aliquis Monachus dicti Monaſterij Reomaenſis, excepto furto, diſcordatus fuerit ab Abbate & Conuentu ſuo, & ad Monaſterium noſtrum venerit, quouſque reconciliatus fuerit eum recipere tenebimur, & ei neceſſaria miniſtrare. Et ipſi Religioſi Monaſterij S. Ioannis ſimiliter de noſtris fratribus facere tenebuntur. Si verò Breuis defuncti venerit ante Capitulum, Commendatio, Vigiliæ, & Miſſa matutinalis, ac ſi præſens eſſet corpus, pro eo celebrabuntur, Breuis in Capitulo legetur, poſt Capitulum omnes campanæ pulſabuntur, generale fiet officium. Si autem poſt Capitulum quacunque hora venerit vſque ad collationem, ſtatim Vigiliæ cantabuntur, cætera in craſtinum differentur. In Conuentu ſeptem Vigiliæ, & ſeptem Miſſæ fient, inter fratres tricenarius Miſſarum diuidetur, pro eo triginta diebus in refectorio præbenda dabitur, vnuſquiſque Sacerdotum Miſſam vnam celebrabit, vnuſquiſque Diaconorum, Subdiaconorum, & Acolythorum Pſalterium vnum dicet, Conuerſi verò centum *Miſerere mei Deus*, & totidem *Pater noſter*. In Calendario nomen defuncti ſcribetur, & anniuerſarium quaſi pro noſtro profeſſo celebrabitur. In anniuerſario Abbatum magnæ Vigiliæ fient. Ad hanc etiam ſocietatem confirmandam & retinendam, feſtiuitas beati Ioannis prædicti Monaſterij Reomaenſis cum duodecim lectionibus celebrabitur in ipſorum Monaſterio ſupradicto. In quorum teſtimonium ac perpetuam memoriam nos Abbas & Conuentus dicti Monaſterij S. Martini Eduenſis ſigilla noſtra præſentibus litteris duximus apponenda.

Annus Chriſti.

Actum, & datum anno Domini milleſimo trecenteſimo-octauo. 1038.

Annus Chriſti.

CAPVT V.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Huilardinus de Quinceio Tertias quaſdam Reomaenſibus donat.

VNIVERSIS præſentes litteras inſpecturis, Officialis Lingonenſis ſalutem in Domino. Noueritis quòd in præſentia Stephani Curati de Tectis Clerici Curiæ noſtræ Lingonenſis Iurati, cui quantum ad infraſcripta, ſeu etiam ad maiora fidem plenariam adhibemus, propter hoc perſonaliter conſtitutus Huillardinus de Quinceio Vicecomitis prope Rubeum montem Domicellus recognouit, & confeſſus eſt, quòd ipſe Huillardinus attendens & conſiderans quamplurima dona, bona, grata, & curialitates quæ dicto Domicello contulit, & impendit temporibus retroactis Frater Guido de Salmaſia Monachus Reomaenſis Reomaenſis Ordinis S. Benedicti, nunc Prior Prioratus de Aſeio ſubtus Rubeum montem Lingonenſis Diœceſis, & adhuc de die in diem conferre non ceſſat, in recompenſationem dictorum ſeruitiorum, necnon & ob remedium animæ ſuæ, & prædeceſſorum ſuorum dedit, donauit, ceſſit, & in perpetuum conceſſit donatione pura, irreuocabili, facta inter viuos dicto fratri Guidoni, & ſucceſſoribus ſuis Prioribus dicti Prioratus de Aſeio omnes, & ſingulas Tertias ſuas, quas habet annuales in terris tertialibus exiſtentibus in finagio de Rubeo monte ſubtus vetus caſtrum Rubei montis vltra flumen, quæ quidem Tertiæ olim pertinebant ad Dominum Lou Roide de dicto Quinceio Domicellum, quæ terræ mouent de franco & libero allodio dicti Huillardini cum omni iure, iuriſdictione, & dominio, quæ dictus Huillardinus habet, habere poteſt, & debet, quocunque titulo, vel cauſa in eiſdem, nihil iuris, iuriſdictionis, ſeu dominij, aut proprietatis, ac etiam poſſeſſionis retinendo in eiſdem, ſe de ipſis Tertiis deueſtiens, & di-

Quæ fuerint terræ tertiales. Ill. n. 111.

ctum Priorem pro ſe Prioratu prædictó, & ſucceſſoribus ſuis prædictis de ipſis Tertiis, inueſtiendo perpetuò, & in poſſeſſionem corporalem inducendo traditione præſentium litterarum. Promittens dictus Huilardinus periuramentum ſuum propter hoc ſuper ſancta Dei Euangelia præſtitum corporaliter, necnon & ſub expreſſa obligatione hæredum & omnium bonorum ſuorum tam mobilium, quàm immobilium, præſentium & futurorum vbicunque exiſtentium, ſolemniter ſtipulando dictas Tertias dicto Priori & eius ſucceſſoribus perpetuò garantire contra omnes, contra donationem huiuſmodi non venire per ſe, vel per alium tacitè, vel expreſsè, nec contrauenienti in aliquo conſentire, reddere & perſoluere omnia damna, & intereſſe quæ propter hoc ſe dixerit incurriſſe, & ſuper ipſis ſibi & latori præſentium credere ſuo ſimplici iuramento. alia probatione non exacta.

Annus Christi.

De miſſione in poſſeſſionem per chartæ traditionem. Illuſt. n. 212.

Datum & actum anno Domini milleſimo trecenteſimo tertio decimo, die Iouis poſt feſtum Purificationis beatæ Mariæ Virginis, præſentibus fratre Odone Priore de Cortengiaco, & fratre Iterio de Fontanis Monachis Reomaenſibus teſtibus ad præmiſſa vocatis & requiſitis, anno & die prædictis. 1313.

CAPVT VI.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Ioannes de Cabilone Comes Autiſiodorenſis, & Tornodorenſis Regmundo immunitatem alicuius domus donat.

NOs Fratres Ioannes Monaſterij Melundenſis, & Galterus Monaſterij de Chora, humiles Abbates Ordinis S. Benedicti, notum facimus vniuerſis, quòd nos vidimus & diligenter inſpeximus, ac de verbo ad verbum legimus quaſdam litteras non cancellatas, non raſas, non abolitas, non in aliqua parte viciatas, ſigillo magno illuſtriſſimi Prin-

Annus Chriſti. cipis Domini Ioannis de Cabilone Comitis Autiſiodorenſis & Tornodorenſis ſano, & integro ſigillatas, provt prima facie apparebat, formam quæ ſequitur continentes. Nous Iean de Chalons Cuens d'Auxerre & de Torneure faiſons à ſauoir, que nous attendans la dilection, & affection que Religieus homs Frere Remons de Cummines Abbes de Moutier S. Iean, & ſi anceſſours hont heu, & hont à nous, & à nos anceſſours, de grace eſpeciaul vne maiſon, enſemble le pourpris ſeant en la ville de Ricé ou leu, que l'om dit deſſus lou chemin deſſus la maiſon au Religieus Moutier S. Iean de lez la maiſon Marion famme de feu Brunot le Tonnelier d'vne part, & de lez la maiſon Perrot le Marchant fil feu Callier d'autre part, eſtant en noſtre Seignourie, & en noſtre fié auons amortie & amortiſſons, & voulons, & ottroions que l'Egliſe & li dit Religieus de Moutier S. Iean & leur ſucceſſour tiegnent & poſſedient perpetuellement la deſſus dite maiſon, & pourpris, ſans faire aucune finance d'icy en auant à nous ne à nos ſucceſſours, & ſans aus contraindre à vendre, ne à mettre hors de leurs mains, & ſans donner à nous, ne à nos ſucceſſours aucune finance pour les chouſes deſſus dites, ſauue à nous, & à nos ſucceſſours noſtre Baronie, noſtre Seignorie, noſtre reſſort, noſtre garde, & noſtre ſouuerainete, & prometons pour nous, pour nos hoirs, & pour nos ſoucceſſours, que nous ne vendrons, ne fairons venir iamais ou temps à aduenir contre les chouſes deſſus dites. En teſmeing de laquelle chouſe nous auons faict mettre noſtre grand ſeaul en ces preſantes lettres.

De magno ſigillo, ſeu autheñtico. Hl.n.204.

1315. Donné à Longui le Chaſteaul le Lundy vigile de la feſte de la Magdeleine, l'an de grace mil trois cens & quinze.

Datum viſionis noſtræ cum appoſitione ſigillorum noſtrorum, die Dominica qua cantatur *Oculi*, anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexto-decimo, menſe Martij.

GVILLELMI V. ABBATIS LIV.

Rerum geſtarum excerpta.

CAPVT I.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Prioratus Reomaenſis de Mundaum declaratur immunis à procurationibus Legatorum Pontificis.

NOs Petrus de Vico Canonicus Lingonenſis, Commiſſarius, & exequutor à Reuerendo in Chriſto Patre, ac Domino Nicolao miſeratione diuina tituli S. Euſebij Presbytero Cardinali, Apoſtolicæ Sedis Nuncio ad partes Regni Franciæ pro negotio terræ ſanctæ deſtinato, in Prouinciis Lugdunenſi & Viennenſi à parte Regni prædicti deputatus, de & ſuper procurationibus ipſius Domini Cardinalis eidem à Sede Apoſtolica conceſſis in dictis Prouinciis per ſe, vel per alium, ſeu alios recipiendis in pecunia numerata: Notum facimus, quòd nos per diſcretum virum Petrum dictum Petit Clericum iuratum Curiæ Eduenſis fecimus diligenter inquiri, vtrùm domus, ſeu Prioratus S. Germani de Mundaum Eduenſis Diœceſis teneretur ad procurationem dicti Domini Cardinalis, vel non, & per inqueſtam ab ipſo factam, à nobis apertam, & inſpectam, & per teſtes idoneos coram eo productos in loco prædicto inuenimus, & didicimus prædictam domum, ſeu Prioratum S. Germani de Mundaum non teneri ad procurationem Archiepiſcopi, Epiſcopi, Archidiaconi, Archipreſbyteri, ſeu ſubuentiones aliquas. Quare nos authoritate quâ fungimur, monitionem à nobis emiſſam in dictam domum, ſeu Prioratum, & tenentem eum, pro procurationibus prædicti Domini Cardinalis cum ſuo effectu ſuſpendimus, & pro ſuſpenſa habemus, ipſum tenentem do-

Cur aliquæ Eccleſiæ eſſent immunes à procurationibus Legatorum Papæ. Sil. n. 23.

Annus Chriſti. mum,ſeu Prioratum prædictum à ſententiis ſuſpenſionis, & excommunicationis à prædicto Domino Cardinali, vel à nobis latarum, ſi quam ob defectum ſolutionis procurationum prædicti Domini Cardinalis incurrerunt in his ſcriptis abſoluentes, & ſententiam interdicti à dicta domo,ſeu Prioratu amouentes. In cuius rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus litteris duximus apponendum.

1316. Datum Lingonis die Lunæ in feſto Inuentionis S. Crucis, anno Domini milleſimo treceenteſimo ſexto decimo.

Capvt II.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Guillelmus Priori Tiſiaci jus erigendi patibuli concedit.

NOs Frater Guillelmus permiſſione diuina humilis Abbas Monaſterij S. Ioannis Reomaenſis, Lingonenſis Diœceſis, Ordinis S. Benedicti, Notum facimus vniuerſis, quòd nos Fratri Guidoni de Salmaſia Priori Prioratus noſtri Tiſiaci Commonacho noſtro pro ſe, & ſuis ſucceſſoribus in perpetuum, qui pro tempore erunt dicti Prioratus noſtri Priores erigendi patibulum, ſeu furcas infra metas Iuſtitiæ dicti Prioratus, vbi dicto Priori meliùs viſum fuerit expedire, damus & concedimus licentiam pleniorem, mallentes territoria ſub dicto Prioratu conſtituta de malefactoribus, qui in dominio dicti Prioratus fuerint deprehenſi, potiùs quàm territoria noſtra nobis, ſeu Monaſterio noſtro propinquiora deinceps occupari. In cuius rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus litteris duximus apponendum.

Annus idem. Datum & actum die feſto beati Remigij in capite Octobris, anno Domini milleſimo trecenteſimo decimo-ſexto.

Annus Chriſti.

CAPVT III.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Tranſactio Guillelmi Reomaenſis cum Guillelmo Regniacenſi Abbate.

A Tovs ceuls qui verront & orront ces preſantes letres. Nous Frere Guillaumes humbles Abbes de Reigny, & tous li Couuens de ce leu de l'Ordre de Citiauls de la Dioceſe d'Auccurre, Salut en noſtre Seigneur. Cum deſcors fut mehu entre nous d'vne part pour raiſon de noſtre Egliſe de Reigny, & des appartenances d'icelle; & Religieuſes perſonnes & honeſtes l'Abbé, & le Couuent de Moſtier S. Iean de l'Ordre S. Benoiſt de la Dioceſe de Langres d'autre part, pour raiſon dou Priouré de Ioux, & des appartenances doudit Priouré appartenant és dis Religieus de Moſtier S. Iean. Sachent tuit, que nous de tous les deſcors, toutes les actions, querelles, controuerſes que l'vne partie pouuoit auoir à l'autre de tout le temps paſſé iuſques au iour de la confection de ces preſantes letres, auons accordé en la forme & maniere qui s'enſuit. Premierement eſt accordé que nous deſſuſdits Abbé & Couuent de Reigny hauons, & haurons perpetuellement ou nom de noſtre Egliſe de Reigny la mitié de la baſſe Iuſtice auec tous les emolumens d'icelle, laquelle eſtoit de ladite Egliſe de Moſtier S. Iean, & dou dit Priouré de Ioux, & que li dis Religieus de Moſtier S. Iean hauient en la terre que l'on appelle la terre Sainct Pere, auecquës nous Religieus deſſus dis de Reigny par non deuis, demeure à nous dis Religieus de Reigny franchement, & quittement à tous iours. Et la haute Iuſtice de cedit leu demeure és deſſusdits Abbé & Couuent de Moſtier S. Iean, de laquelle Iuſtice leſdits hauront ſeuls l'execution en quatre cas. C'eſt à ſçauoir en larrecin, murtre, rapt, & en champ de bataille, deſquex quatre cas li emolumens qui itra d'eus, ou de l'vn

De duelli probatorij ortu, ritu interdicto. III. n. 213.

Annus Chriſti.

d'iceus la mitié en ſera baillée à nous deſſus dis Religieus de Reigny, ſans rien metre du noſtre pour la main deſdits Religieus de Moſtier S. Iean, ou pour leur commandemant, &c.

1318. Données l'an de grace mille trois cens dix-huit ou mois de Iuillet.

CAPVT IV.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Pacta conuenta inter Priorem Tiſiaci, & Dominum de Marmellis, Guillelmo Præſidente.

De familiis de Marmellis, Beauuanoir & Caſtellu: III. n. 214.

1319. IN nomine Domini, Amen. Anno Incarnationis eiuſdem milleſimo trecenteſiuo decimo-nono, die Martis in craſtino feſti beatæ Matthiæ Apoſtoli: Nos Guido de Salmaſia humilis Prior Tiſiaci ex vna parte, & Milo de Marmellis Domicellus ex altera, omnibus notum facimus, quòd cùm lis eſſet inter nos Priorem & Milonem, de bonis quæ li Quinquenas in iuſticia de Marmellis ipſius Milonis tempore mortis ſuæ poſſidebat, quæ ego Milo dicebam eſſe mea, pro eo quòd idem Quinquenas morte criminali ſuccubuerat, inter nos pro bono pacis in hunc modum concordatum eſt, & ordinatum. Quòd omnia bona mobilia & immobilia in Iuſticia dicti Milonis exiſtentia, quæ fuerunt ipſius Quinquenas, dicto Miloni perpetuò remanebunt, & de ipſis ſuam faciet voluntatem. Si verò contingeret aliquem hominem ipſius Milonis mori morte criminali, omnia bona ipſius morte criminali mortui in Iuſtitia dicti Prioris exiſtentia Priori Tiſiaci pro tempore exiſtenti remanebunt perpetuò quæcunque ſint, vel fuerint, & de ipſis ſuam faciet omnimodrm voluntatem. Promittentes per iuramenta noſtra ſuper ſacra Euangelia corporaliter data, & ſub obligatione omnium bonorum, hæredum, & ſucceſſorum noſtrorum concordiam & ordinationem noſtram in perpetuum tenere firmiter & immobiliter obſer-

obſcruare, & contra non venire, nec contrauenienti conſentire aliqua conſuetudine generali, vel ſpeciali in contrarium faciente, non obſtante. Renunciamus autem omnibus iis & ſingulis quæ contra præſentes litteras, vel ipſarum tenorem dici poſſent, vel opponi, & præcipuè iuri dicenti generalem renunciationem non valere. Volentes nos compelli ad præmiſſa, quaſi ex re adiudicata per Curiam Domini Ducis Burgundiæ, nos & noſtros hæredes ac ſucceſſores eius iuriſdictioni ſupponendo. In cuius rei teſtimonium ſigillum dictæ Curiæ litteris præſentibus rogauimus & obtinuimus apponi.

Annus Chriſti.

De ſigillis Curiæ, Cõſilij, & Patorum Burgundiæ. III. n. 115.

Actum in præſentia Andreæ Remondi de Monte-regali Clerici dictæ Curiæ iurati, Ioannis Picardi de Santigny, Iacobi Torti, & Milonis de Anceio teſtium ad præmiſſa vocatorum anno & die prædictis.

CAPVT V.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Vindicias obtinet Guillelmus iuriſdictionis Curtis Morini à Duce Burgundiæ Odone IV.

A TOVS cels qui verront, & orront ces preſantes letres: Nous Guillaume li Fors d'Oſtun Baillis d'Auxois, & de la Montaigne pour noble Baron Eude Duc de Bourgoigne façons ſauoir, que com plaiz fut par deuant nous en nos aſſiſes d'Aualon entre Frere Iean de Vignoles Moigne & Procureur de Religieuſes perſonnes l'Abbé & lou Couuent de l'Egliſe de Moſtier S. Iean, en nom de Procureur deſdits Religieus pour eaus, & pour lor dite Egliſe d'vne part. Et Maiſtre Iean Sadom d'Aualon Clerc Procureur, & en nom de Procureur de Monſieur lou Duc de Bourgoigne, & pour luy d'autre part. Sur ceu que li dis Procureur des dis Religieus diſoit & propoſoit en iugement par deuant nous en nom de Procureur encontre ledit Procureur Monſieur le Duc en nom que deſſus, que

De Curte Morini. III. n. 116.

Annus Chriſti. com li dis Religieus fuſſient & huſſient eſté en poſſeſſion & en ſaiſine de la haute Iuſtice de toute la ville de Gourmarien, & dou finage d'icelle, exceptes les Mes Monſieur lou Duc de ladite ville & moiſinement au temps que vne Truie fut trouuée deſpaue à Courmarien fors des Mes lou Duc. Nous qui de droict ne voulons, ne debuons eſtre defaillans en nom dou Pere, & dou Fils, & dou ſainct Eſprit, Amen. Diſons & prononceons, & à droict que li dis Procureur des dis Religieus, en nom que deſſus a bien & ſoufiſamment prouuée ſentention deſſus dite, & que li Procureur Monſieur le Duc en nom de Procureur n'a prouuée de la ſoie entention choſe que li puiſſe ne doiue valoir. Parquoy nos la main Monſieur le Duc ſouueraine miſe en la haulte Iuſtice de toute la ville de Courmarien, & dou finage excepte es Mes Monſieur le Duc de ladite Ville, & ainſit ladite main miſe en la Truie & és Porcels, dont mention eſt faicte ou proces deſſus dits, oſtons au profit deſdits Religieus, & condamnons par noſtre ſentence definitiue Monſieur le Duc en la perſonne de ſon dit Procureur, & lou dit Procureur en nom que deſſus à ceſſer dou trouble & de l'empeſchement que ils mettoint és dits Religieus en lor dite ſaiſine de ladite haulte Iuſtice de la Ville de Courmorien, & dou finage, excepté les Mes Monſieur le Duc, & anſit en ladite ſaiſine de ladite Truie, & des Pourceaus. Sauue à Monſieur le Duc la queſtion de la proprieté. En teſmoignage de laquelle chouſe, nous auons mis lou ſeaul dou Baillage d'Auxois en ces preſantes lettres.

De Eſpauis ſeu animalibus aberrantibus. Ibid.

1326. Faictes & données en nos aſſiſes deſſus dites l'an de grace mille trois cens vint & ſex.

Annus Chriſti.

Capvt VI.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Sententia arbitri inter Priorem Glanonis Reomaenſem & Parochum.

VNiversis præſentes litteras inſpecturis. Officialis Curiæ Niuernenſis ſalutem in Domino. Noueritis quòd coram Guillelmo dicto Pomeu Clerico, Curiæ prædictæ Niuernenſis Notario iurato, cui quoad hoc commiſimus vices noſtras, conſtituti Religioſus vir Frater Bartholomæus Prior Prioratus de Monaſterio in Glanone tam ſuo, quàm Prioratus ſui prædicti nomine ex vna parte, & Dominus Ioannes Curatus Eccleſiæ Parochialis de Monaſterio in Glanone nomine ſuo, & dictæ ſuæ Eccleſiæ ex altera parte, dicentes & aſſerentes, quòd cùm ſuper pluribus diſcordiis & contentionibus natis inter ipſas partes, tam ſuper quibuſdam decimariis & noualibus exiſtentibus intra fines Prioratus & Parochiatus prædictorum, quàm ſuper aliis rebus occupatis inter ipſos prædictæ partes nominibus, quibus ſuprà compromiſiſſent in Religioſum virum fratrem Adam de Medanto Priorem S. Petri de Diſeſia; pro parte dicti Prioris de Monaſterio in Glanone; & in Perrinum Laurentij Clericum pro parte dicti Curati, vt ipſi, tanquam arbitri, arbitratores, ſeu amicabiles compoſitores, & tractatores ſuper prædictis diſcordiis ordinaſſent, prout viderent ordine obſeruato, vel non obſeruato faciendum. Qui arbitri, arbitratores, ſeu amicabiles compoſitores, & tractatores in ſe ſuſcipientes onus huiuſmodi compromiſſi, volentes pro bono pacis ſuper dictis diſcordiis, & ad remouendas futuras lites, & contentiones inter dictas partes, pacem & concordationem iuſtam, & legitimam interponere, & ipſas partes concordare, idem Perrinus de voluntate, conſenſu, & aſſenſu dicti fratris Adæ præſentis in hoc vnà cum dicto Perrino de authoritate eiſdem arbi-

ſti Perrini de voluntate dicti fratris Adæ præſentis pronunciaram, prout ſuperiùs continetur, dictæ partes certè, prouidè, & beneconſultè nominibus, quibus ſuprà voluerunt, laudauerunt, & approbauerunt, & rata & grata perpetuò habuerunr, & aſſeruerunt iuſtè & legitimè facta eſſe, & in ipſis ſe non fuiſſe in aliquo læſas. In quorum teſtimonium ad ipſius Iurati relationem, qui præmiſſa nobis retulit eſſe vera, ſigillum Curiæ Niuernenſis prædictæ præſentibus litteris duximus apponendum. *Annus Chriſti.*

Datum die Martis poſt feſtum Reſurrectionis Domini, anno Incarnationis eiuſdem milleſimo trecenteſimo triceſimo-ſecundo. 1332.

Confirmatio Epiſcopi Niuernenſis.

BERTRANDVS miſeratione diuina Niuernenſis Epiſcopus, vniuerſis præſentes litteras inſpecturis, Salutem. Litteras ſigillo Curiæ noſtræ ſigillatas, non viciatas, non corruptas, ſed omni ſuſpicione carentes vidimus, quarum tenor his præſentibus eſt inſertus. Cuiuſmodi litteras ſic confectas laudamus, ratificamus, ac tenore præſentium confirmamus.

Datum Niuernis ſub ſigillo noſtro in domo noſtra Epiſcopali, anno Domini milleſimo trecenteſimo triceſimo-ſecundo, die Veneris poſt feſtum Decollationis beati Ioannis Baptiſtæ.

CAPVT VII.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Guillelmus ſucceſſionem in bona illegitimorum ciuium Reomai, & Vinearum vendicat Monaſterio à Duce Burgundiæ Odone IV.

NOvs Eudes Dux de Bourgoigne Contes d'Artois, & de Bourgoigne Palazins, & Sires de Salins façons ſauoir à tous, que com cauſe fut à Beaulne por deuant nous à noſtre Pallement, qui commencit lou Diemonge apres la ſainct Andrie entre lou Procureour de Religieuſes per-

Annus Chriſti.

ſonnes l'Abbey, & lou Couuent de Mouſtier ſainct Iean d'vne part, & noſtre Procureour d'autre. Sur ce que comme li Procureour des dis Religious ſe fut traiz por deuers nous en compleniant, & nous heheuſt requis, que comme li dis Religious fuſſoint en poſſeſſiou & en ſaiſine de hauoir & percevoir tous les biens des baſtars mors en la terre de Mouſtier ſainct Iean, & eſpeciaulment en la Ville de Mouſtier ſainct Iean, & de Vigne, & Maiſtres Guillaumes Maiſtres de l'Eſcoule de Mouſtier ſainct Iean, qui eſtoit baſtars, fuſt mors, noſtre Preuoz de Semur noſtre main auoit miſe & aſſiſe és biens doudit baſtar, comme à cels qu'il cuidoit & entendoit appartenir à nous pour la cauſe de ce que il diſoit que nous eſtiens ſaiſis de hauoir les biens de tous les baſtars, qui muroint en noſtre Duchief, en troublant & empoichant les dis Religious en lour ſaiſine, & poſſeſſion deſſus dite. Si nous hauoit requis li dis Procureour des dis Religious, qu'il nous plahut à ceſſer, ou faire ceſſer dou trouble & de l'empoichement deſſus dit, à la fin qu'il ſe peuſſoint ioüir de lour poſſeſſion & ſaiſine. Et ſi nous nous en doubtiens en riens, il eſtoit prais de nous anformer, & mettre en verité la fin de lour entention. Sur lou quel faict hauoit eſté ordonné & comis de nous à noſtre Baillif d'Auxois, que appellé noſtre Procureour les dis Religious, & ces qui facient à appeller, des chouſes deſſus dites de por los dis Religious pouſées, & de noſtre droict ſe huſt la veritey, & rapporté par deuers nous pour faire droicture, laquelle anqueſte faicte & complette & rapportée por deuers nous à noſtredit Pallement pour faire droict. Nous ladite anqueſte vehuë & diligemment examinée, conſideré vn Arreſt, qui fuit donnez por los dis Religious l'an mil trois cens & dix, & fuit conſoillies au viuant de noſtre chier & bien amey Pere lou Duc Roubert, cui Dieux abſoille, à ſon Pallement, qu'il tint l'an mil trois cens & dix, ou quel eſt contenus que li dis Religious ont meoz & plus ſouffiſamment prouée lour entention, des leus dequoy debas eſtoit ſur la ſaiſine des biens des baſtars. Et plus n'y ayant à eſclaircy ce louquel ils hont

De iure ſuccedendi illegitimis Reomenſi. Ill. n. 218.

De antiquo Burgundiæ Parlaméto. Ill. n. 219.

miſ en mene de preuue. Diſons par Arreſt donné de noſtre Court, que li dis Religious ont meoz & plus ſouffiſamment ptouué lor entention, quant és villes de Mouſtier S. Iean & des Vignes, que noſtre Procureour. Et par ainſint adiugeons és dis Religious la ſaiſine des biens des baſtars des dites Villes de Mouſtier ſainct Iean & des Vignes, & condamnons noſtredit Procureour à ceſſer des dis troubles & empoichemens, que il leur mettoit és dites dous Villes. Sauue la queſtion de la proprietey, & leuons noſtre ditte main qui eſtoit miſe és biens doudit baſtard, au prouſit deſdits Religious. Ou teſmoignage de laquel choſe nous auons faict mettre lou ſeaul és cauſes de noſtre Cout en ces preſantes lettres. *Annus Christi.* Sigillum Curiæ diuerſum à ſigillo Ducis. III n. 215.

Faictes & données à noſtre-dit Pallement l'an de grace mil trois cens trante & huit. 1338.

CAPVT VIII.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Guillelmus Monachos Reomaenſes ad triginta numero redigit, iúſque eos admittendi ſibi vendicat.

VNIVERSIS præſentes litteras inſpecturis. Nos Frater Guillelmus permiſſione diuina humilis Abbas Monaſterij ſancti Ioannis Reomaenſis Lingonenſis Diœceſis, Ordinis ſancti Benedicti, Salutem in Domino. Notum facimus, quòd precibus totius noſtri Conuentus, Adminiſtratorum dicti noſtri Monaſterij, Priorúmque omnium Prioratuum noſtrorum in Capitulo noſtro generali in craſtino feſti beatiſſimi Ioannis patroni noſtri, vt moris eſt, celebrato, ob hoc & alia negotia Eccleſiæ, ſeu Monaſterij noſtri antedicti expedienda ſpecialiter congregatorum, nobis humiliter, vnanimiter, & concorditer ſupplicantium, vt in dicto noſtro Monaſterio certum numerum Monachorum ſtatueremus, tanquam iuſtis, rationabilibus,

Annus Chriſti.

iuríque conſonis inclinati, facultatibus, & redditibus Monaſterij noſtri antedicti, adminiſtrationúmque omnium eiuſdem nunc & pro tempore futuro exiſtentibus, oneribus incumbentibus, ac etiam expenſis in eiſdem neceſſariò faciendis diligenter inſpectis. Supplicationibus & rogationibus Regum, Principum, Baronum, Prælatorum, & aliorum Superiorum noſtrorum nobis ſæpiſſimè porrectis inſuper conſideratis, quibus, vt deteriùs euitemus, iuráque noſtri Monaſterij illibata ſeruare valeamus, obtemperare nos oportet, Monaſterium & adminiſtrationes antedictas in receptione, ſeu tractatione multitudinis Monachorum multipliciter prægrauando. Necnon obuentionibus & litibus noſtris Monaſterio & adminiſtrationibus prædictis quotidie excreſcentibus inceſſanter. Statuimus & ordinamus cum prædictis tractatu habito diligenti, conſenſúque eorundem expreſſo interueniente de cætero numerum triginta Monachorum in iam dicto noſtro Monaſterio reſidentium, & non ampliorem permanſurum, minorem verò numerum propter hoc non excludendo, ſaluo tamen iure omnium ſuperiorum noſtrorum. Promittentes nos pro nobis, & ſucceſſoribus noſtris Abbatibus dicti Monaſterij ſub voto Religionis noſtræ dictum numerum Monachorum non augmentare, ſed ipſum, vt præfertur, in poſterum obſeruare, inuiolabilitérque tenere. Nobis tamen & ſucceſſoribus noſtris ſine conſenſu dicti noſtri Conuentus ſeu alterius cuiuſcunque creandi, ſeu faciendi Monachos quotieſcunque caſus euenerit, poteſtate plenariâ reſeruatâ. In quorum omnium & ſingulorum præmiſſorum teſtimonium ſigillum noſtrum magnum duximus apponendum vnà cum ſigillo prædicti noſtri Conuentus, quod ad maiorem corroborationem & firmitatem requiſiuimus, & obtinuimus apponi. Et nos Conuentus prædictus ſigillum noſtrum ad requiſitionem dicti Domini Abbatis cum ſigillo ſuo præſentibus his appoſito duximus apponendum.

De triceenario numero Monachorum. III. n. 223.

1346. Datum die & Capitulo prædictis anno Domini milleſimo trecenteſimo quadrageſimo-ſexto.

STEPHA-

STEPHANI DE VARENNIS ABBATIS LV.

Rerum geſtarum excerptum.

CAPVT I.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Profeſſio fit Stephano ſeruitutis & abonnagij manus mortuæ.

NOs Thomas Bertheri dictus Garnon de Reomo, & Iohanneta eius vxor, videlicet ego Iohanneta ex authoritate, voluntate & licentia prædicti mariti mei, notum facimus quòd nos ſumus homines manus mortuæ Religioſorum virorum Abbatis & Conuentus Reomaenſis, ad inſtar aliorum ſuorum hominum terræ ſuæ Reomaenſis, ſaluâ ſuperuiuenti noſtrorum duorum excaſurâ primi defuncti, provt in litteris ſigillo Domini Abbatis & Conuentus prædictorum ſigillatis continetur, quarum tenor talis eſt. Nos Frater Stephanus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia humilis Abbas Monaſterij ſancti Ioannis Reomaenſis Ordinis ſancti Benedicti, Lingonenſis Diœceſis, totúſque eiuſdem loci Conuentus, notum facimus vniuerſis, quòd nos noſtro & prædicti Monaſterij noſtri nomine Thomam Garnon Bertheri Bullienee & Ioannetam eius vxorem de Reomo, ac vnum hæredem ex propriis corporibus ipſorum procreatum, ſeu procreandum, ac ſuperuiuentem ipſorum liberamus, & liberatos eſſe volumus ab omni tallia, queſta, coruein, & ab omni alio pondere ſeruitutis, quandiu ipſi coniuges, ac hæres, ſeu ſuperuiuens ipſorum vitam duxerint in humanis, pro vna libra ceræ annuali nobis aut ſucceſſoribus noſtris à prædictis coniugibus, & hærede ipſorum, ſeu altero ipſorum coniugum ſoluenda, qui ſuccedet alteri defuncto, tanquam ſi eſſet hæres legitimus in omnibus &

De familia Stephani Abbatis. Ill.n.121.

Annus Chriſti. ſingulis bonis mobilibus & immobilibus quibuſcunque, de quibus tempore mortis erunt in poſſeſſione, non obſtante manu mortua noſtra, & conſuetudine terræ noſtræ in contrarium fundata & præſcripta. Hanc autem gratiam facimus & concedimus prædictis coniugibus & hæredi eorum nomine quo ſuprà, non ſolùm ex gratia, ſed etiam pro decem & nouem florenis ad ſcutum boni auri & ponderis, de quibus perſoluit electo quondam Monaſterij noſtri vndecim, & nobis ſimiliter perſoluit octo florenos ad ſcutum, de quibus nos tenemus plenariè propagatis, & aſſerimus ipſos in vtilitatem dicti noſtri Monaſterij totaliter fore verſos, quittantes ipſum Thomam & hæredes ipſius de ſummis ſupradictis ſolutis tam Clerico, quàm nobis. Promittentes nos nomine antedicto pro nobis & ſucceſſoribus noſtris præmiſſa omnia & ſingula tenere & firmiter obſeruare, & contra eadem & tenorem præſentium inpoſterum non venire. Renunciantes in hoc facto expreſsè omnibus priuilegiis & exceptionibus iuris & facti, iuríque dicenti generalem renunciationem non valere. In quorum omnium & ſingulorum præmiſſorum teſtimonium ſigilla noſtra præſentibus litteris duximus apponenda. Datum die Lunæ poſt feſtum beati Matthæi Apoſtoli, anno Domini milleſimo trecenteſimo quinquageſimo primo. Quibus litteris ſupraſcriptis non obſtantibus confitemur nos eſſe homines manus mortuæ prædictorum Religioſorum. Ita tamen quòd ſi contigerit alterum noſtrorum decedere abſque hærede, quod abſit, quòd ſuperuiuens noſtrorum duorum habeat excaſuram primi defuncti, prout in dictis litteris continetur, & poſt deceſſum amborum excaſura noſtra, videlicet vltimi defuncti dictis Religioſis liberè & pacificè reuertatur, &c. In cuius rei teſtimonium ſigillum dictæ Curiæ Domini Ducis Burgundiæ his præſentibus litteris rogaui, atque obtinui apponi. Actum in præſentia Hugonis Morelli de Ateis dictæ Curiæ Iurati Coadiutoris, Guillelmi Chafoti Notarij Montisbarri, Hugueneti Bertherij de Reomo Maioris de Cheuegneio, Ioannis Morelli de Ateis, Roberti Malpigniæ, Ioannis Staboni, Bellæ de Reo-

mo ſupradictorum teſtium, ad præmiſſa vocatorum & ro- *Annus*
gatorum. *Chriſti.*

Anno Domini milleſimo trecenteſimo quinquageſimo- 1351.
primo, die Veneris poſt feſtum beati Michaëlis Archangeli.

GVIDONIS III. DE IACVRIA ABBATIS LVI.

Rerum geſtarum excerpta.

CAPVT I.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Iuribus Iuliacenſibus proſpicit Philippus Dux.

PHILIPPE Duc de Bourgoigne, Conte d'Artois, de Bourgoigne, Palatin de Boulogne, d'Auuergne, & de Salins, Au Receueur de noſtre terre d'Iſles en Champagne, Salut. Nous vous mandons que ce qui eſt deu au Prieur de Iuilly de la rante de blé, qu'il dit auoir & a acouſtumé prendre chacun an ſur les moulins & tierces de Iuilly, à cauſe de ſondit Prioré, vous la payez, ou à ſon certain mandement, ſans delay pour les termes eſcheus. Depuis que nous eumes le gouuernement de nos terres, & auſſi ce que deu luy en ſera pour les termes auenir, quand ils eſcherront en la maniere acouſtumée. Et ce que ne payé ly en ſera nous voulons & mandons eſtre aloüé en vos comptes, rapportant quitance auec ces preſantes.

De Philippe poſtremo Duce Burgundiæ in prima ſtirpe. III. n. 111.

Ibidem de ætate maiori Ducis.

De die mortis eius. ibid.

Donné à Iuilly en Champagne le XIX. iour d'Aouſt, l'an 1361.
de grace mil trois cens ſoixante & vn.

Par le Conſeil où eſtoint Meſſieurs de Montfort, de Mauoilly, Maiſtre Pierre Cuiret, & autres.

Annus Chriſti.

Capvt II.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Guido de officio appariturae hæreditario pecunia tranſigit.

1363. IN nomine Domini, Amen. Anno Incarnationis eiuſdem milleſimo trecenteſimo ſexageſimo-tertio, die Iouis, in vigilia feſti beatæ Mariæ Conceptionis, Ego Guido Macuars de Barro omnibus notum facio, quòd ſim ſeruiens liber Religioſorum virorum Dominorum meorum Abbatis & Conuentus Monaſterij Reomaeuſis, ſecundùm quod continetur in litteris ſuper hoc confectis, & mihi traditis & deliberatis, quarum tenor talis eſt. Nos Frater Guido miſeratione diuina humilis Abbas Monaſterij S. Ioannis Reomaenſis, Ordinis ſancti Benedicti, Lingonenſis Diœceſis, totúſque eiuſdem loci Conuentus, omnibus notum facimus, quòd nos noſtro, & Monaſterij noſtri prædicti nomine, tam in recompenſationem & remunerationem bonorum & gratorum ſeruitiorum nobis, & dicto noſtro Monaſterio à Guidone Macuardi de Barro prope Reomum homine noſtro, & dicti noſtri Monaſterij, Petronillâ eius vxore, & prædeceſſoribus factorum, & fideliter impenſorum, quàm pro gratitudine centum florenorum de Florentia boni & puri auri, ac iuſti & legitimi ponderis nobis ab ipſis coniugibus legitimè ſolutorum, de quibus nos noſtro & quo ſuprà nomine ab ipſis coniugibus nos tenemus, & meritò pro contentis. Quos prædictos centum florenos confitemur & aſſerimus in vtilitatem dicti noſtri Monaſterij totaliter fore verſos, quittantes ipſos coniuges, & eorum hæredes noſtro & quo ſuprà nomine perpetuo de eiſdem donamus, cedimus, vendimus, & concedimus purè & liberè quittamus nomine antedicto, ac ſuperuiuenti eorum, pro ſe & ſuis hæredibus Sergenteriam noſtram de Barro cum franchiſia & libertate, pertinentiis & appenditiis e-

De familia Guidonis. III. n. 123.

iuſdem Sergenteriæ quibuſcunque. Ita tamen quòd dictos coniuges propter dictam Sergenteriam liberamus, & liberatos eſſe volumus ab omni tallia, queſta, corueia, & ab omni alio pondere ſeruitutis pro dimidia libra ceræ in feſto beatiſſimi Ioannis patroni noſtri in noſtro Monaſterio duntaxat annuatim perſoluenda. Quæ ſiquidem Sergenteria, franchiſia & libertas olim fuerunt Thomæ dicti Rouſſey, de dicto Barro quondam hominis noſtri, & ſeruientis, ac Monaſterij antedicti iamdudum defuncti, & quæ nobis, & dicto Monaſterio noſtro obuenerunt per puram, veram, liberam, & voluntariam reſignationem legitimè & ſolemniter nobis factam per Dominum Guillelmum de Barro Preſbyterum, hominem noſtrum, & dicti noſtri Monaſterij olim ſucceſſorem poſſeſſiuum earundem. Nos & dictum Monaſterium noſtrum de dictis Sergenteria, libertate, & franchiſia cum earum iuribus, pertinentiis, & appenditiis deueſtiendo perpetuò dictos coniuges, & eorum ſuperuiuentem pro ſe & ſuis hæredibus inueſtiendo per competentem eadem cum onere & honore animum transferendi in eoſdem, & per traditionem præſentium litterarum. Iure tamen manus mortuæ, & omnium aliarum, & ſingularum reddiuentiarum, & ſaiſinarum realium, ac redditūum nobis, & dicto Monaſterio noſtro, provt eſt aſſuetum toties quoties caſus aduenerit ſemper, & totaliter remanente. Volumus autem quòd omnes hæredes dictorum coniugum non eorum lineæ deſcendendo, ſi plures ſint de Sergenteria, franchiſia, libertate, & pertinentiis gaudeant inſimul, ſed ſolus hæres ſucceſſiuè de hærede in hæredem perpetuò, qui tenebitur onus & officium dictæ Sergenteriæ aſſuetum, provt moris eſt, exercere. Promittentes bona fide nomine quo ſupra pro nobis & ſucceſſoribus noſtris dicta omnia & ſingula tenere, & inuiolabiliter obſeruare, & non contra de cætero dicere, vel venire, imò contra omnes noſtris propriis ſumptibus perpetuò garentire, & tueri, provt ſuperiùs eſt expreſſum. In quorum & ſingulorum præmiſſorum teſtimonium ſigilla noſtra his præſentibus litteris duximus apponenda. Datum & actum anno Do- 1363.

Annus Chriſti.

De miſſione in poſſeſſionem per chartæ traditionẽ. Hl. n 104.

Annus Christi. mini CIↃCCCLXIII. die Lunæ poſt feſtum B. Martini hiemalis. Ego non gaudebo, nec gaudere potero de maiori libertate, niſi de ea quæ continetur in dictis litteris ſuperiùs tranſcriptis, ac etiam declaratis. Et promitto per meum corporale iuramentum pro me & hæredibus, necnon & ſub expreſſa obligatione hæredum, & omnium ac ſingulorum meorum mobilium & immobilium, præſentium & futurorum quorumcunque ſolemniter ſtipulando prædicta adimplere, nec maiorem libertatem allegare quoquo modo tempore futuro. Volens me ad præmiſſorum obſeruantiam per Curiam Domini Ducis Burgundiæ, quaſi ex re adiudicata compelli, iuriſdictioni, cuius Curiæ quoad hoc ſuppono me hæredéſque meos, & omnia bona mea. In cuius rei teſtimonium ſigillum dictæ Curiæ his præſentibus litteris rogaui apponi.

Actum in præſentia Hugonis Morelli de Ateis dictæ Curiæ Iurati Coadiutoris Guillelmi Chafoti Tabellionis Montiſbarri, Odonis de Barro Domicelli, Stephani Serarij de Reomo, Girardi Coffe de Barro, Roberti Paille de Reomo teſtium ad præmiſſa vocatorum & rogatorum, anno & die prædictis.

CAPVT III.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Aimo Rabutinus Camerarius Reomaenſis.

De Aimone Rabutini & toto ſtemmate gentis eius. Ill. p. 214.

CAROLVS Dei gratia Francorum Rex, Vniuerſis præſentes litteras inſpecturis, Salutem. Notum facimus quòd cùm à quadam ſententia per Auditores & Commiſſarios cariſſimi germani noſtri Ducis Burgundiæ pro Fratre Aimone Rabutini Monacho Camerario, & Procuratore Abbatis & Conuentus Monaſterij ſancti Ioannis Reomaenſis, Ordinis ſancti Benedicti, & ad cauſam dicti ſui officij, & contra Maiorem, Scabinos, & communitatem de Sinemuro in Auſſeto, ac Procuratorem dicti Germani

noſtri appellantes lata; ratione octoginta librarum fortis monetæ, groſſo Turonenſe pro duodecim denariis computato, eidem Camerario ad cauſam dicti ſui officij Dominica poſt Reſurrectionem Domini in Eccleſia beatæ Mariæ Sinemuri ante horam ſextam, per dictos appellantes ſoluendarum, nomine cariſſimi noſtri Roberti quondam Ducis Burgundiæ, & ſuorum ſucceſſorum villam de Sinemuro tenentium, quovſque dictæ octoginta libræ per dictos ſucceſſores ad voluntatem dictorum Religioſorum alibi fuiſſent aſſidatæ. Et pro quibus dicti Religioſi partem ſuam villæ de Balone ſupra Vrſiam cum omnibus ſuis iuribus, & emolumentis tradiderant & ceſſerant, iure Patronatus, & collatione Eccleſię dictę villę de Balone dũtaxat exceptis. Per quam dicti Auditores dictos de Sinemuro ad ſoluendum annuatim dicto Camerario nomine & termino quibus ſupra dictas octoginta libras ad valorem monetæ tempore obligationis contractæ per Ducatum Burgundiæ tunc communiter currentis, & in medietate expenſarum per dictum Camerarium factarum condemnauerant, fuiſſet pro parte dictorum Maioris, Scabinorum, ac Communitatis de Sinemuro ad noſtram Curiam Parlamenti appellatum. Partibus igitur in noſtra Curia comparentibus in cauſa appellationis prædictæ, proceſſúque vtrùm benè vel malè fuiſſet appellatum ad iudicandum recepto. Eo viſo & diligenter examinato per iudicium dictæ Curiæ noſtræ dictum fuit, dictos Auditores malè iudicaſſe, & dictos appellantes benè appellaſſe. Et emendabit dictus germanus noſter, dictos appellantes ab impetitione fortis monetæ per dictum Camerarium petitæ abſoluendo. Et per idem iudicium dicta Curia noſtra dictos de Sinemuro ad reddendum & ſoluendum annuatim dicto Camerario ad cauſam ſui officii antedicti tempore, & loco ſuperiùs declaratis, dictas octoginta libras de moneta noſtra per Ducatum Burgundiæ communiter in menſe Martii currente condemnauit, & condemnat, dictum Camerarium in expenſis cauſæ principalis condemnando, earum taxatione dictæ Curiæ noſtræ reſeruata. In cuius rei teſtimonium præſentibus litteris

Annus Chriſti.

Annus Chriſti. noſtrum iuſſimus apponi ſigillum.

Datum Pariſiis in Parlamento noſtro die XIV. Maii, anno

1373. Domini milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo tertio, & Regni noſtri decimo.

CAPVT IV.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Tranſactio in lite de cuſtodia caſtri Reomaenſis inter Guidonem, & Viſarnenſes.

1383. EN nom de noſtre Seigneur, Amen. En l'an de l'Incarnation d'iceluy mil trois cens quatre-vingts & trois, le XXVII. iour du mois de Mars, Nous Iaquot Leſpon, Iean Piton, Iean le Suaue, Iean le Seurre, Iean Bernart, Huguenin Cameel, Guiot le Clerc, Robert le Suaue, Perrenot Cameal, Guyart Billoy, Adeline famme feu Philippe Perrenot habitans de Viſarney, & chaſqu'vn de nous pourtant comme il luy touche, faiſons ſauoir à tous ceux qui ces preſantes lettres verront & orront, que comme plaid & diſcors fut meu entre Reuerend Pere en Dieu Monſieur Guy de Iaucour Abbé de Mouſtier ſainct Iean d'vne part; & nous deſſuſdits d'autre, ſur ce que nous diſiens & mainteniens que nous n'eſtiens tenus de guettier, voillier par nuit, ne ouurer és foſſes de la fortereſſe de Mouſtier ſainct Iean, & que nous n'eſtiens tenus de contribuer és reparations & enforciſſemens d'icelle fortereſſe. Ledit Reuerend Pere diſoit au contraire, que comme les aultres habitans nous eſtiens tenus, & auſſi comme les aultres retrahans en ladite fortereſſe, pourquoy grans proces auient eſté à Beaulne deuant les Auditeurs des appels dou Douchié de Bourgogne, & à preſent pend à mouuoir ou Parlement Real à Paris, ſur certaines appellations faites par nous habitans deſſuſdits, deſquels debas & deſcors, s'il plaiſoit au Roy noſtre Sire, & nos Seigneurs de Parlement, nous auons ja accordié, & traictié entre nous parties deſſuſdites,

De Auditoribus appellationum Belnenſibus. III. n. 125.

ſi

ſi comme apperira, & peut apparoir par vn contract receu *Annus*
& ſigné par Maiſtre Simon de Ginuray Clerc iuré de la *Chriſti.*
Cour Monſieur de Bourgoigne, & Coadiuteur de Nicolas
Chiflet Tabellion de Montbart pour ledit Monſieur le
Duc, & ſcellé du ſcel deladite Cour. Et depuis ledit contract
ainſi faict nous deſſuſdits habitans auons faict appeller
& adiourner ledit Reuerend Pere en Dieu Guiot de Bar,
à preſant Cheualier, lors Capitaine de Mouſtier S. Iean,
& pluſieurs autres en Parlemẽt à Paris à reſpondre à nous,
& au Procureur du Roy ſur certaines demandes en cauſe
d'appel, & ſur deus attentats que nous diſiens que iceus
Monſieur l'Abbé, Guiot de Bar & les autres auoint commis.
Nous non deceus, non circonuenus, non contrains,
de nos bons grez & ſans force confeſſons, que ſans cauſe aucune
raiſonnable, mais par mauuais conſeil auons faict appeller
les deſſuſdits oudit Parlement, & que aucun grief,
force, ou contrainte ils ne nous ont faict, pourquoy ils, ou
aulqu'vn d'eus puiſſe auoir cõmis attentat, & ſans cauſe auons
appellé. Et pource que indeuement nous les auons
fait appeller, & traictier pour les deſpens faicts en ceſte ſeconde
pourſuite cognoiſſons deuoir, & eſtre tenus nous, &
va chaſqu'vn de nous audit Reuerend Pere en Dieu en la
ſomme de quinze frans de bon or, & iuſte pois, à payer par
nous, & vn chaſqu'vn de nous à la volonté dudit Reuerend
Pere en Dieu, & ouurerons és foſſes de cy en auant, ainſi
comme les autres habitans, & retrahans, & payerons les
defauts qui ſeront trouuez, que faicts y aurons, & ou cas,
qu'il plaira au Roy & à ſadite Cour, nous nous departons
deſdites appellations & pourſuites, & conſentons ledit premier
traicté contenu és dites lettres ſcelées dou ſcel Monſieur
le Duc, enſemble leſdites lettres demourront, & voulons
demourer en leur force & vertu, ſans qu'aucune innouation
en ſoit pour ce faicte. Mais iceluy ratifions, & approuuons,
& renonçons expreſſément à tout le procez, &
impetrations que ſur ce preſant diſcord ont eſté faictes,
tant en la premiere impetration, qu'en ceſte ſecõde, & tant
en ladite Cour de Parlement à Paris, comme autre part.

Annus Chriſti.

LVDOVICI DE IACVRIA ABBATIS LVII.

Rerum geſtarum excerpta.

Capvt I.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Decima pro Rege Siciliæ ſoluitur à Reomaenſibus.

NOs Ioannes Iolis Licentiatus in Legibus, Sacriſta Eccleſiæ ſancti Nicetij Lugdunenſis, Sedis Apoſtolicæ Nuncius, ac in Lugdunenſi, Viennenſi, Biſuntinenſi, ac Tarentaſienſi prouinciis iurium Cameræ Apoſtolicæ debitorum collector: Notum facimus vniuerſis præſentes litteras inſpecturis, quòd nos confitemur habuiſſe & recepiſſe à Priori de Aiſeio Lingonenſis Diœceſis per manus venerabilis in Chriſto Patris Domini Abbatis Reomaenſis dictæ Lingonenſis Diœceſis tres francos auri, & quatuor ſolidos Turonenſes, in quibus dictus Prior præfatæ Cameræ tenebatur, pro decima per Dominum noſtrum Clementem Papam ſeptimum impoſita ad vtilitatem Sereniſſimi Principis Domini Ludouici Regis Siciliæ, & hoc de anno Domini currente cIↃCCCXCII. nuper lapſo. De quibus tribus francis & quatuor ſolidis Turonenſibus dictum Priorem & ſuos, nomine tamen præfato quittamus, ac penitùs abſoluimus per præſentes. In cuius rei teſtimonium præſentibus litteris ſignum noſtrum manuale appoſuimus, ac ſigilli noſtri fecimus appenſione præſentes muniri.

De Siciliēſi decima. Ill. R. 126.

1393. Datum Lugduni die XXVI. Iunij, anno à Natiuitate Domini cIↃCCCXIII. Pontificatus præfati D. noſtri Papæ anno XV. Ioannes Iolis.

CAPVT II.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Feodum Reomaenſe ex Senatuſconſulto Pariſienſi recuperat.

CAROLVS Dei gratia Francorum Rex, vniuerſis præſentes litteras inſpecturis, Salutem. Notum facimus, quòd cùm in certa cauſa mota & pendente coram Bailliuo noſtro Senonenſi in ſede ſua Villæ nouæ Regis inter Religioſos Abbatem & Conuentum Monaſterij ſancti Ioannis Reomaenſis in Auxeto actores, & conquerentes in caſu nouitatis & ſaiſinæ ex vna parte; & Magiſtrum Guidonem Guilliere defenſorem, & opponentem in dicto caſu, ex altera, plures rationes & facta pro parte dictorum Religioſorum propoſitæ fuiſſent ad finem quòd dicti Religioſi in poſſeſſione & ſaiſina tenendi, tanquam feodum mouens de eorum feodo nobili, & de Dongerio ſecundùm conſuetudinem patriæ Burgundiæ totam terram, quæ quondam fuerat Huguetæ de Darteio Petri Bridouardi relictæ, in villa & territorio de Iocis propè dictum Monaſterium ſancti Ioannis exiſtentem, cum pratis, terris, nemoribus, Iuſtitia alta, media, & baſſa, necnon pluribus perſonis ſeruilis conditionis de corpore, & tailliabilibus, coſtumis, & cenſiuis, terragiis, & aliis iuribus cum ſuis pertinentiis, necnon in poſſeſſione, & ſaiſina dictum feodum ad eorum manum tam pro defectu hominis nobilis, quàm deuetiorum ad cauſam ipſius feodi eiſdem minimè factorum, prout natura feodi nobilis requirebat, ponendi & tenendi quotieſcunque eueniebat caſus, ac fructus ex dicto feodo durante dicta manus appoſitione prouenientes leuandi, & ad ſuam vtilitatem applicandi, quouſque hominem nobilem ad eis faciendum pro dicto feodo fidem & homagium, ac deueria conſueta haberent, vel ſufferentiam conceſſiſſent pro prædictis, manutenerentur & conſeruarentur, &c. Et in tan-

De ſeruis corpore in Burgundia III.n.116.

De viro ignobili feudū poſcente. ibid.

Annus Christi. tum proceſſum extitiſſet quòd idem Bailliuus, ſeu eius locumtenens partibus auditis, &c. prædictos Religioſos in dictis ſuis poſſeſſionibus & ſaiſinis manutenuiſſet & confirmaſſet impedimentum & manum noſtram in dictis rebus contentioſis appoſitam ad eorum vtilitatem, leuando & amouendo, ipſumque defenſorem ad tradendum & reſtituendum dictis Religioſis fructus quos virtute recredentiæ perceperat, & in expenſis inſtantiæ condemnaſſet, fuit à dicta ſententia pro parte dicti defenſoris ad dictam noſtram Parlamenti Curiam appellatum. Auditis igitur partibus antedictis in dicta Curia noſtra in cauſa appellationis prædictæ, proceſſúque an benè vel malè fuerit appellatum ad iudicandum recepto. Eò viſo & diligenter examinato per iudicium dictæ Curiæ noſtræ dictum fuit dictum Bailliuum noſtrum benè iudicaſſe, & dictum defenſorem malè appellaſſe. Et emendabit appellans, ipſum in expenſis huiuſmodi cauſæ appellationis condemnando, earundem expenſarum taxatione dictæ Curiæ noſtræ reſeruata. In cuius rei teſtimonium præſentibus litteris noſtrum iuſſimus apponi ſigillum.

1404. Datum Pariſiis in Parlamento noſtro, vltimâ die Februarij, anno Domini milleſimo quadringenteſimo-quarto, & Regni noſtri viceſimo-quinto.

CAPVT III.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Guillelmus Damax ratione feodi Ludouico ſubditur.

Annus idem. EN nom de noſtre Seigneur, Amen. L'an de l'Incarnation d'iceluy courant mille quatre cens & quatre, & le ſecond iour du mois d'Octobre, Ie Guillaume Damax Eſcuier Seigneur de Siſery fais ſçauoir à tous ceuls qui ces lettres verront, comme Reuerend Pere en Dieu Frere Louis de Iaucour Licentié en Droict, humble

Abbé du Monaſtere de Mouſtier ſainct Iean de l'Ordre de ſainct Benoiſt, en l'Eueſché de Langres, heuſt faict mettre parmy ſa main ma terre de la Ville de Vignes, laquelle il dit eſtre de ſon fié, à cauſe de ſondit Monaſtere pour defaut de reprinſe de fié à luy non faicte, que ie Guillans pour auoir la recreance en main leuée de madite terre ay promis & promes par ces preſantes par mon ſerment pour ce corporellement donné aus ſaincts Euangiles de Dieu, & ſous l'expreſſe obligation de tous mes biens meubles & non meubles, preſans & aduenir quelconques, & des biens de mes hoirs prandre droict, & faire droict audit Reuerend, ou à ſon Procureur par nom de luy, audit lieu de Vignes, par deuant le Preuoſt ou Bailly dudit Reuerend, ſur tout ce qu'il me voudra demander à cauſe dudit fié comparoiſſant à toutes iournées, que ſur ce me ſeront aſſignées, & payer l'adiugé, ſe meſtier eſt. Et pour plus grande ſeurté, ie Hugues de Troncion Eſcuier me ſuis eſtably & conſtitué, me eſtablis & conſtitue pleige & principal vendeur audit Reuerend Pere preſant & acceptant, pour & à la requeſte dudit Guillaume de faire, tenir, & garder les choſes deſſus dites, tout par la forme, maniere, & ſous l'obligation que i'ay, ſans plaid mouuoir, & auec ce randre & paier audit Reuerend tous couſts, dommages, miſes, intereſts que ledit Reuerend ſe dira ſur ce auoir encourus par default des choſes deſſus dites non faictes, ne accomplies par la maniere que dit eſt, ou autrement par mon defaut. *Annus Chriſti.*

Annus Christi.

SIMONIS ABBATIS LVIII.

Rerum geſtarum excerptum.

Capvt I.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Prioratum Tiſiacenſem Monaſterio annecti curat.

Quis Antonius de Chalanco. Il'.n.217.

Antonius miſeratione diuinâ ſanctæ Mariæ in via lata Diaconus Cardinalis de Chalanc vulgariter nuncupatus, Sedis Apoſtolicæ Nuncius, cum plena Legati à latere ad Regnum Franciæ poteſtate conceſsâ ſpecialiter deſtinatus: Dilecto nobis in Chriſto venerabili Patri, Fratri Simoni Abbati Monaſterij ſancti Ioannis Reomaenſis Ordinis ſancti Benedicti, Lingonenſis Diœceſis, Salutem in Domino ſempiternam.

Merita veſtræ Religionis expoſcunt, vt eum paterna beneuolentia proſequentes illam, gratiam vobis libenter concedamus, quam veſtris commoditatibus fore conſpicimus opportunam. Exhibita ſiquidem nobis veſtra ex parte petitio continebat, quòd reditus & prouentus veſtri Monaſterij prædicti à ſui fundatione pro maxima parte, vel potiùs ſuæ cellæ ſunt diminuti, quódque vos deſideretis in fauorem dictæ Religionis, & diuinæ laudis augmentum, numerum Religioſorum in veſtro Monaſterio degere ſolitorum augmentare, quod facere nequitis, ſine Monaſterij veſtri magno diſpendio, niſi vobis de aliquo ſubuentionis auxilio ſuccurratur. Et ſicut eadem petitio ſubiungebat, ad Monaſterium præfatum pertinet & ſpectat locus vocatus des Vignes, à dicto veſtro Monaſterio ſatis remotus, & propter ipſius diſtantiam homines illius loci tempore guerrarum ad dictum Monaſterium veſtrum

non poſſunt confugere; imò coguntur confugere ad quod- *Annus*
dam caſtrum ibi vicinum & propinquum, de dominio Du- *Chriſti.*
cis Burgundiæ, & ibi excubias facere, & alia onera ſol-
uere coguntur in ipſius Monaſterij non modicum præiudi-
cium & grauamen. Præfatúſque locus eſt ſatis vicinus, &
quaſi contiguus Prioratui de Tiſcio Eduenſis Diœceſis à
dicto Monaſterio dependenti, quod fortificari poſſet, & ad
eum homines prædicti loci tempore guerrarum poſſent re-
currere, & ab inuaſoribus defendere. Nobis humiliter
ſupplicantes quatenus dictum Prioratum, cuius fructus,
reditus, & prouentus triginta librarum Turonenſium va-
lorem annuam eius ſupportatis oneribus non excedunt:
quódque dictus Prioratus tot debitis oneratus exiſtit, quod
commodè per Priorem, vel alium eius Rectorem releuari
non poteſt, vobis & menſæ veſtræ Abbatiali vnire, anne-
ctere, & incorporare in perpetuum dignaremur. Nos igitur
de præmiſſis ad plenũ informati dictũ Prioratum cum om-
nibus iuribus & pertinẽtiis ſuis cellæ veſtræ in perpetuum
vnimus, incorporamus, & annectimus. Ita quòd per ceſsũ
vel deceſſum Prioris ipſius Prioratus, qui nunc eſt, vel ip-
ſum dimittentis per vos, & ſucceſſores veſtros corporalem
poſſeſſionem ipſius Prioratus, iuriúmque atque pertinen-
tiarum liberè ingredi & apprehendere, ipſúmque Priora-
tum in perpetuum retinere, & ipſius fructus in veſtros vſus,
ac ſucceſſorum veſtrorum conuertere valeatis Diœceſani
loci, & cuiuſlibet alterius, licentia minimè requiſita, pro-
uiſo tamen quòd ſeruitium diuinum ibidem fieri ſolitum
non negligatur, decernentes ex nunc irritum & inane, ſi
ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel
ignoranter contigerit attentari, contradictores per cenſu-
ram Eccleſiaſticam compeſcendo.

Datum in Caroloco Matiſconenſis Diœceſis III. Idus 1406
Septembris, Pontificatus Domini noſtri Domini Benedi-
cti Papæ decimi-tertij anno XII.

Annus Chriſti.

GVIDONIS IV. DE LVGNIACO ABB. LIX.

Rerum geſtarum excerpta.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Catalogum fato functorum mittit ad Eccleſias ſocias.

De Guidone Illuſt. n. 218.

VNIVERSIS præſentes litteras inſpecturis, Catholicæ fidei cultoribus præcipuè ſocietatem nobiſcum habentibus, ad quorum notitiam præſentium litterarum ſeries deducta fuerit: Frater Guido de Lugniaco miſeratione diuina humilis Abbas Monaſterij S. Ioannis Confeſſoris Reomaenſis, Ordinis S. Benedicti, Lingonenſis Diœceſis, totúſque eiuſdem loci Conuentus, ſinceram in Domino caritatem & dilectionem. Nomina fratrum noſtrorum defunctorum penes nos & Eccleſiam noſtram per carum fratrem noſtrum Religioſum virum Philippum Macé Commonachum noſtrum expreſsè profeſſum latorem præſentium, quem ad hoc nuncium conſtituimus ſpecialem in quodam rotulo deſcripta, vobis mittimus, vos in Domino exorantes, quatenùs apud nos debitè & ſolemniter diuinum Officium celebretur, provt hactenus apud vos eſt fieri conſuetum. Nomina verò illorum, qui apud vos deceſſerunt ad dictum noſtrum Monaſterium per eundem nuncium remittetis, vt Miſſæ & alia diuina Officia pro eorum animabus per nos deuotè celebrentur, & alia debita perſoluantur. Et ne dictus Frater Philippus noſter Monachus præſentium lator defectu alimenti ſuum iter rumperet inaniter, & interim in animarum graue præiudicium Eccleſiæ ſuſpenderentur Orationes, veſtras manus in refectionibus, & aliis neceſſariis porrigite ſupplicamus fraternitatis intuitu adiutrices. Et ſi ipſum fortè mori contingeret, Eccleſiaſti-

ſiaſticæ ſepulturæ apud vos eundem tradere, ac rotulum *Anno*
noſtrum per certum nuntium ſub debita ſalarij remunera- *Chriſti.*
tione remittere dignemini; & velitis. In cuius rei teſtimo-
nium noſtra litteris præſentibus duximus apponi ſigilla.

Datum in noſtro Reomaenſi Capitulo ad ſonum campa- 1445.
næ hora conſueta, nobis inſimul more ſolito propter hoc
aggregatis die .... menſis .... anno à Natiuitate Domini
milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo-quinto.

HVGONIS V. ABBATIS LX.

Rerum geſtarum excerpta.

CAPVT I.

Ex Tabulis funerariis Reomaenſium.

OBIIT Hugo bonæ memoriæ Reomaenſis Eccleſiæ De Hugone V. III. n. 228.
Abbas ſoluens vltima ſpiramina vitæ carcerali cuſto-
dia Romæ.

CAPVT II.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Guillelmus de Corpore ſancto Reomaenſis Prior de Iugis decimas, & res inuentas vendicat Prioratui per ſententiam conſeruatoris priuilegiorum Vniuerſitatis Pariſienſis.

IN nomine Domini, Amen. Viſis libello actoris fratris Guillelmi de Corpore ſancto Prioris de Iugis, & reſponſionibus Rei Ioannis Courtois, aliàs Ioigny, ad poſitiones ipſius actoris factas, necnon depoſitionibus teſtium, & tenoribus litterarum pro parte ipſius actoris productarum, ac toto proceſſu, & meritis cauſæ præ-

Annus Chriſti. ſentis cum cæteris, quæ videnda erant in hac parte, & quæ nos animúmque noſtrum rationabiliter mouere poterant, & debebant, communicato cum Iuriſperitis conſilio per hanc noſtram ſententiam definitiuam, quam pro tribunali ſedentes, & Deum ſolum præ oculis habentes ferimus in his ſcriptis ipſum Reum ad reddendum, tradendum, & ſoluendum actori nomine, quo agit ſex ſolidos, & octo denarios Pariſienſes pro valore atque æſtimatione quatuor vellerum facientium duas partes decimæ vellerum ex ouibus & mutonibus dicti Rei infra metas Prioratus, ac Parochiæ de iugis, ac tempore de quo in libello actoris mentio habetur nutritis prouenientium, & per eundem Reum habitorum; & quatuor ſolidos Pariſienſes pro æſtimatione duorum agniculorum facientium duas partes decimæ agniculorum ex dictis ouibus per dictum Reum ſuſceptorum, necnon ſexaginta quatuor ſolidos Pariſienſes pro valore, ſeu æſtimatione equi inuenti, & in dicto libello declarati; vnà cum expenſis dicti actoris in eiuſmodi cauſa, & eius occaſione factis earum taxatione nobis in poſterum reſeruata, condemnamus, præfatum Reum à plus petitis abſoluentes.

Actum anno Domini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo-ſeptimo, Indictione decima. Die verò Iouis poſt
1447. feſtum beatorum Ægidij, & Lupi Confeſſorum, ſeptima menſis Septembris, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini Nicolai diuina prouidentia Papæ quinti, anno primo.

PHILIBERTI HVGONETI EPISCOPI MATISCONENSIS, CARDINALIS ET Abbatis LXI.

Rerum geſtarum excerpta.

CAPVT I.

Ex Saniuliano Hiſtoriæ Matiſconenſis. Cap. 1.

Philiberti Hugoneti inſtitutio & promotio.

STEPHANVS Hugonetus Epiſcopus Matiſconenſis tantæ fuit in nepotum ſuorum Guillelmi & Philiberti inſtitutione ſedulitatis ac ſolertiæ, vt virtute atque eruditione ſummos deinceps in ſuo quiſque vitæ genere apices promeriti ſint dignitatum. Nam maior natu Guillelmus, cùm ſe Matiſconēſi foro dedidiſſet, cauſáſque diligentia ac fide eximia in eo diutiſſimè egiſſet, in Principis cōſiſtorium laudatiſſimæ famæ patrocinio euocatus ad Cancellarij dignitatem, quæ Burgundicæ iuridicinæ ſumma erat, tandem eſt euectus. Quo in munere Eſpiſſiæ, Salliantij, aliíſque non paucis auctus ditionibus honore ſimul & opibus vberrimè floruit. Sed cæſo ad Nanceium Carolo Burgundiæ Duce extremo dum filiæ eius Mariæ in annis minoribus fidam cum Imbercurtio tutelam ex parentis teſtamento præſtaret ſeditioſis atque impotentibus Gandauenſium tumultibus vnà cum illo eſt ſublatus. At Philibertus Hugonetus, nepotum Stephani natu minimus, doctrina & probitate inter paucos ſuæ ætatis excelluit, & ſuo patruíque conſilio Eccleſiaſticis addictus muniis tum minores aliquot initio dignitates, tum Patrui deceſſu Matiſconenſem nactus eſt Epiſcopatum. Quo tempore cùm Guillelmus eius frater apud Ducem Burgundiæ gratia & authoritate plurimùm poſſet, interpoſita ſui Principis flagitatione non ægrè

Annus Chriſti. obtinuit à Sixto IV. Pontifice vt anno CIↃCCCCLXXIII. Philibertus frater in Cardinalium Collegium cooptaretur. Sed Carolo Duce quarto pôſt anno cæſo, & Guillelmo Hugoneto non multo poſteà ſublato cenſuit Philibertus tutiorem ſibi Romam, quàm patriam, captáque ſalutandi Pontificis & ineundi Collegij occaſione domicilium eò tranſtulit, plurimáque illic pro dignitate cùm geſſiſſet, anno demùm CIↃCCCCLXXXIV. Septembris IV. rebus humanis exceſſit.

Capvt II.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Ioannes Rolin Epiſcopus Eduenſis, à Ioanne de Cuſſigniaco fundatas ad B. Virginem laudes ac preces confirmat.

Ioannes Rolin miſeratione diuina tituli S. Stephani in Cælio monte Presbyter Cardinalis Epiſcopus Eduenſis, vniuerſis præſentes litteras inſpecturis, ſalutem in Domino ſempiternam.

VIRGO venuſtiſſima, & omnium virtutum floribus circumamicta, Virgo Dei genitrix, cuius pulchritudinem ſol & luna mirantur, cuius precibus populus Chriſtianus adiuuatur, fructum pretioſiſſimum & immarceſſibilem æternum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Spiritus ſancti gratia benedicta concepit, & intemerata produxit. Propter quod ſpiritualia opera ad laudem eius ordinata præcipuâ ſunt deuotione à Chriſti fidelibus meritò veneranda, vt ipſius piiſſimæ aduocatæ indefectiuis coadiuti præſidiis, æternæ retributionis præmia conſequi mereantur. Cùm itaque conſulta, ſancta & ſalubri deuotione ductus, & tota mente intentus ad ea quæ ſalutis ſunt, dilectus noſter Magiſter Ioannes de Cuſſigny in Iure Canonico Licentiatus, & Prior de Braigniaco ad honorem & laudem

De Ioanne de Cuſſigny. Illuſt. n. 140.

ſacratiſſimæ Virginis Mariæ hanc deuotiſſimā orationem, *Alma Redemptoris mater*, cum verſiculo *Poſt partum*, & Collecta *Gratiam tuam*, ſubiuncto Pſalmo, *De profundis*, verſu *Requiem*, & oratione *Fidelium*, pro commemoratione fidelium defunctorum, pro quibus exorare ſancta & ſalubris eſt cogitatio, in Monaſterio S. Ioannis Reomaenſis, Ordinis ſancti Benedicti, Lingonenſis Diœceſis, dietim finitis Veſperis, alta voce per Religioſos eiuſdem Monaſterij, pro ſua, ſuorúmque deſideranda ſalute canendam fundauerit, & manu larga de bonis ſibi à Deo largitore illorum collatis dotauerit, cupientes vt oratio prædicta vnà cum Pſalmo, verſiculis, & Collectis prætactis, ad laudem ipſius piiſſimæ Virginis, cæli Reginæ deuotè canatur, & ad illam audiendam ſupplici corde Chriſti fideles conueniant, vtque Chriſti fideles ipſi eò libentiùs gratia laudes impendendi præfatæ glorioſiſſimæ Virgini illuc tunc affluant, quo ex hoc ibidem cæleſtis gratiæ dono vberiùs ſe refertos conſpexerint de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, Apoſtolicáque in hac parte nobis expreſsè conceſſa authoritate, ſanctorúmque Martyrum Nazarij & Celſi, Lazari atque Leodegarij patronorum noſtrorum meritis, & interceſſionibus confiſi, omnibus & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui in præfato Monaſterio interfuerint, & intenta mente ſæpè dictam orationem cum Pſalmis, Verſiculis, & Collectis prædictis audierint, orationem Dominicam vnà cum Angelica ſalutatione pro intentione prædicti fundatoris deuotè dixerint, quoties id fecerint, toties centum dies Indulgentiarum, vt Cardinalis, & quadraginta vt Epiſcopus, quoad dictos quadraginta dies, Diœceſani interueniente conſenſu de iniunctis eis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus, præſentibus perpetuum robur habituris. In quorum fidem, robur, & teſtimonium præmiſſorum has noſtras præſentes litteras per Secretarium noſtrum ſubſcribi, ſigillíque noſtri oblongi iuſſimus, & fecimus appoſitione communiri.

Annus Chriſti.

Datum Eduæ in noſtro Epiſcopali Palatio XXVI. menſis 1463.

Annus Chriſti. 1463. Decembris, annno Domini CIↃCCCCLXIII. Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris Domini noſtri Domini Pij diuina prouidentia Papæ II. anno VI.

Capvt III.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Guido Lingonenſis Epiſcopus preces ac laudes ad B. Virginem fundatas à Ioanne de Cuſſigny probat, ac firmat.

GVido miſeratione diuina Epiſcopus, Dux Lingonenſis, & Par Franciæ, vniuerſis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis & audituris, ſalutem in eo qui eſt omnium vera ſalus. Cordi nobis eſt, & zelo ferimur præcipuo fidelium corda ad laudes & præconia inuiolatæ, integræ, ac ſacratiſſimæ Dei genitricis Virginis Mariæ, quæ ſalutis noſtræ extitit exordium, quantum poſſumus intenta reddere & deuota, vt ſuos ſemper miſericordes oculos ad nos piè conuertat, & immarceſſibilem ac pretioſiſſimum fructum ſuum æternum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum nobis poſt hoc exilium gloriosè oſtendat. Cùm igitur conſulta, ſancta & ſalubri deuotione ductus, & tota mente intentus ad ea, quæ ſalutis ſunt, dilectus nobis in Chriſto Magiſter Ioannes de Cuſſigny in Iure Canonico Licentiatus, & Prior de Braigniaco, ad honorem & laudem ſacratiſſimæ Virginis Mariæ hanc deuotiſſimam orationem *Alma Redemptoris mater*, cum verſiculo *Poſt partum*, & Collecta, *Gratiam tuam*, ſubiuncto Pſalmo, *De profundis*, verſu *Requiem*, & oratione *Fidelium*, pro commemoratione fidelium defunctorum, pro quibus exorare ſancta & ſalubris eſt cogitatio, in Monaſterio ſancti Ioannis Reomaenſis, Ordinis ſancti Benedicti, noſtræ Lingonenſis Diœceſis, dietim finitis Veſperis alta voce per Religioſos eiuſdem Monaſterij pro ſua ſuorúmque deſideranda ſalute canendam fundauerit, & manu larga de bonis ſibi à Deo illorum

largitore collatis dotauerit, cupientes vt oratio prædicta cum Pſalmis, Verſiculis, & Collectis prætactis, ad laudem ipſius piiſſimæ Virginis cæli Reginæ deuotè canatur, & ad illam audiendam ſupplici corde fideles conueniant, vtque Chriſti fideles ipſi gratia lauds impendendi præfatæ Virgini illuc tunc affluant, quo ex hoc ibidem cæleſtis gratiæ dono vberiùs ſeſe refertos conſpexerint. De omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, Mammetiſque Patroni noſtri precibus & meritis in Domino confiſi, omnibus & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui in præfato Monaſterio interfuerint, & intenta mente ſæpè dictam orationem cum Pſalmo, Verſiculis, & Collectis prædictis audierint, orationémque Dominicam, vnà cum ſalutatione Angelica pro intentione prædicti fundatoris deuotè dixerint, quoties id fecerint, toties quadraginta dies de iniunctis ſibi pœnitentiis, vel quæ meritò iniungi deberent, in Domino miſericorditer relaxamus; aliorum quadraginta dierum Indulgentiarum per Reuerendiſſimum in Chriſto Patrem Dominum Cardinalem & Epiſcopum Eduenſem, pro præmiſſis factæ conceſſioni conſenſum noſtrum præbentes pariter & aſſenſum, præſentibus perpetuis temporibus duraturis. *Annus Chriſti.*

Datum in Caſtro noſtro de Muſſeio ſub ſigillo Cameræ noſtræ, die viceſima-quarta menſis Ianuarij, anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo-tertio. 1463.

Capvt IV.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Prioratum Tiſiaci Abbatis dignitati rurſum annecti curat Philibertus Hugonetus.

Sixtvs Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ex iniuncto nobis deſuper Apoſtolicæ ſeruitutis officio ad ea libenter intendimus, per quæ Ec-

Annus Chriſti.

cleſiis & Monaſteriis, ac illis pro tempore præſidentibus perſonis vtiliter & ſalubriter valeat prouideri. Cùm igitur hodie dilectus filius Ioannes de Cuſſigniaco Monachus Monaſterij de Balma Cluniacenſis Ordinis, Biſuntinæ Diœceſis, qui Prioratum de Tiſy Ordinis ſancti Benedicti ex conceſsione Apoſtolica in commendam obtinebat, commendæ eiuſmodi in manibus noſtris ſponte & liberè ceſſerit, nóſque ceſsionem ipſam duxerimus admittendam, & proptereà ceſſante eiuſmodi commendâ, Prioratus prædictus adhuc eo quo vltimo ante eiuſmodi commendam vacauerat, modò vacare noſcatur, & ſicut expoſuit nobis nuper dilectus filius noſter Philibertus tituli S. Luciæ in Silice Presbyter Cardinalis, qui Monaſterium S. Ioannis Reomaenſis eiuſdem Ordinis ſancti Benedicti, Lingonenſis Diœceſis ex ſimili conceſsione in commendam obtinet fructus, reditus & prouentus menſæ Abbatialis dicti Monaſterij S. Ioannis propter guerrarum turbines, & alios ſiniſtros euentus, quibus partes illæ plurimùm prægrauatæ fuerunt adeò tenues, ac diminuti ſint, quòd illi ad Abbatis dicti Monaſterij ſancti Ioannis pro tempore exiſtentis, iuxta Abbatialis dignitatis exigentiam, commodam ſuſtentationem, & onerum ei incumbentium ſupportationem non ſufficiunt, in ipſóque Prioratu ſit quoddam fortalitium, quod magna pro Monaſterij ſancti Ioannis, & Prioratus eiuſmodi, necnon vaſallorum, & aliorum ſubditorum dicti Monaſterij S. Ioannis, ac bonorum ipſius conſeruatione, indiget cuſtodia, quam Prior dicti Prioratus pro tempore exiſtens per ſeipſum, vt opus eſſet quandoque facere, & onera proptereà ei incumbentia ſupportare non poteſt. Verùm ſi dictus Prioratus, qui ab eodem Monaſterio ſancti Ioannis dependet, & ad omnimodam Abbatis dicti Monaſterij ſancti Ioannis collationem, ſeu aliam diſpoſitionem, dum vacat, pertinet; ac aliàs eidem Monaſterio vnitus, & certis de cauſis diſſolutus fuit, cuiúſque poſſeſsiones ipſius Monaſterij poſſeſsionibus partim ſunt contiguæ, eidem menſæ perpetuò vniretur, annecteretur, & incorporaretur præfatus Abbas ſe commodiùs ſuſtentare, & onera eiuſmodi

De Præfectura Philiberti. III. n.229.

modi faciliùs perferre, necnon fortalitium ipſum tutiùs conſeruare poſſet. Abbatique ac Monaſterio, Prioratui, vaſallis, & ſubditis propterea non modica proueniret vtilitas. Quare dictus Philibertus Cardinalis aſſerens quòd fructus, reditus, & prouentus dicti Prioratus quinquaginta ducatorum auri de camera, ſecundùm communem æſtimationem, valorem aureum non excedunt, nobis humiliter ſupplicauit, vt Prioratum prædictum cum omnibus iuribus, ac pertinentiis ſuis eidem menſæ perpetuò vnire, annectere, & incorporare, aliáſque in præmiſſis oportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter cætera voluimus, quòd petentes beneficia Eccleſiaſtica aliis vniri tenerentur exprimere verum valorem, ſecundùm communem æſtimationem tam beneficij vniendi, quàm illius cui vniri peteretur, alioquin vnio ipſa non valeret, & in vnionibus ſemper commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſt, eiuſdem menſæ verum valorem annuum, necnon verum vltimum eiuſdem Prioratus vacationis modum, etiamſi ex illo generalis reſeruatio reſultet, præſentibus pro expreſſis habentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, Prioratum prædictum, qui Conuentualis, aut dignitas non eſt, quouis modo, aut ex cuiuſcumque perſona, ſeu per liberam reſignationem alicuius de illo extra Romanam Curiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam, aut conſtitutionem felicis recordationis Ioannis Papæ XXII. quæ incipit, Execrabilis, vel aſſecutionem alterius beneficij Eccleſiaſtici ordinaria autoritate collati, vacet, etiamſi tanto tempore vacauerit, quòd eius collatio, iuxta Lateranenſis ſtatuta Concilij, ad Sedem Apoſtolicam legitimè deuoluta, ipſéque Prioratus diſpoſitioni Apoſtolicæ reſeruatus exiſtat, eíque cura immineat animarum, & ad illum conſueuerit quis per electionem aſſumi. Super eo quoque inter aliquos lis, cuius ſtatum præſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo tempore datæ præſentium non ſit in eo alicui ſpecialiter ius quæſitum, cum omnibus iuribus & pertinentiis ſupradictis, eidem menſæ autoritate

Annus Christi.

Annus Chriſti. Apoſtolicâ tenore præſentium perpetuò vnimus, annectimus, & incorporamus. Ita quòd ex nunc liceat præfato Philiberto Cardinali, & pro tempore exiſtenti ipſius Monaſterij ſancti Ioannis Abbatis per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem Prioratus, iuriúmque & pertinentiarum prædictarum poſſeſſionem autoritate propriâ liberè apprehendere, & perpetuò retinere, illiúſque fructus, reditus, & prouentus eiuſmodi in ſuos, ac menſæ & Prioratus vſus, & vtilitatem conuertere, Diœceſani loci cum ſuis, alteriúſve licentia minimè requiſita. Non obſtantibus, &c.

1476. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ CIↃCCCCLXXVI. XV. Cal Iunij, Pontificatus noſtri anno V.

CAPVT V.

Ex Hiſtoria Pontif. Alphonſi Ciaconi in Sixto IV.

Cardinalatus & mors Philiberti Hugoneti.

PHILIBERTVS Hugoneti Gallus Burgundus, Protonotarius Apoſtolicus, Epiſcopus Matiſconenſis, Presbyter Cardinalis tituli S. Luciæ in Silice creatur à Sixto IV. anno milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo-tertio. Et infrà in creatione Innocentij VIII. anno milleſimo quadringenteſimo octogeſimo-quarto, Philibertus, inquit, Hugoneti Gallus Epiſcopus Matiſconenſis, Presbyter Cardinalis tituli ſanctorum Ioannis & Pauli tituli Pammachij. Et mox. Philibertus Hugoneti Gallus Presbyter Cardinalis tituli SS. Ioannis & Pauli tit. Pammachii obiit Romæ tertio Idus Septembris, anno milleſimo quadringenteſimo octogeſimo-quarto, Pontificatus primo, ſepultus ad S. Mariam de Populo.

Annus Chriſti.

IOANNIS II. DE CVSSIGNIACO ABB. LXII.

Rerum geſtarum excerpta.

CAPVT I.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Formula donationis conuerſæ mulieris.

EN nom de noſtre Seigneur, Amen. L'an de l'Incarnation d'iceluy courant mille quatre cens ſoixante ſeze, le vint & ſeptieſme iour du mois de Decembre, Ie Ieannete vefue de feu Iean Bauldot demeurant à Mouſtier S. Iean, ſçauoir fais à tous preſans & aduenir : que ie de ma certaine ſcience, & bon propos ay baillé, cedé, donné, quitté, & tranſporté, & par la teneur de ces preſantes letres baille, donne, cede, quitte, tranſporte, deliure par donation pure, parfaite, & irreuocable faite entre les vifs ; & pource qu'il me plait ainſi le faire à Reuerend Pere en Dieu Frere Iean de Cuſſigny Abbé de l'Egliſe & Monaſtere dudit Mouſtier ſainct Iean, Maiſtre Eſtienne de Longueuille Procureur dudit Reuerend Pere en Dieu, ſtipulant & acceptant pour ledit Frere Iean de Cuſsigny Abbé deſſus dit, tous mes biens immeubles, quelque part qu'ils ſoint aſsis, ou ſituez, ou de quelque nom ou valeur qu'ils ſoint dis, nommez, ou appellez. Moyennant, & parmy ce que iceluy Reuerend Pere en Dieu eſt & ſera tenu de moy nourrir, & gouuerner, & adminiſtrer toutes mes neceſsitez corporelles ma vie durant ; c'eſt à ſçauoir boire, manger, coucher, leuer, veſtir, & habiller, enſemble toutes mes autres neceſsitez corporelles quelconques, & à la fin de mes iours moy faire inhumer, & mettre en terre ſaincte, & faire ou payer mes frais funeraux. Dont & de laquelle donation ie Ieannete ſuis & me tiens pour bien conten- 1476.

De Ioanne de Cuſſigny Illuſt. n. 230.

Annus Chriſti. te, & d'iceuls immeubles ie deueſts & deſaiſis moy, mes hoirs, & ayans cauſe perpetuellement; & ledit Frere Iean de Cuſsigny Abbé deſſus-dit, & ſes ſucceſſeurs en reueſts, & ſaiſis perpetuellement par ces preſantes lettres. Promettant ie ladite Ieannete par mon ſerment pour ce donné corporellement aus ſaincts Euangiles de Dieu, & ſous l'expreſſe hypotheque & obligation de tous mes biens, & des biens de mes hoirs meubles & immeubles quelconques: leſquels quand à ce ie ſoumets & oblige à la iuriſdiction, & contrainte de la Chancellerie du Roy noſtre Sire pour ſon Duchié de Bourgoigne, pour en eſtre contrainte & executée comme de choſe cognuë, & loyaument adiugée, à tenir & auoir agreable ferme, & ſtable à touſiours ceſte preſante donation, & à la garantir, deliurer, & defandre, & faire en paix tenir audit Reuerend Pere en Dieu, & à ſes ſucceſſeurs enuers & contre tous à mes miſsions & deſpens, ſans iamais aller ou venir à l'encontre en aucune maniere. En renonceant quant à ce à toutes exceptions de fraudes, & deceptions, à tous faicts, & droicts donnés, & introduits en la faueur des fammes, & meſmement au droict, diſant generale renonciation non valoir, ſe l'eſpecial ne precede. En teſmoin de ce i'ay requis & obtenu le ſeel de la Cour de ladite Chancellerie eſtre mis & appendu à ces preſantes lettres.

Faictes & paſſées par deuant Simonet Fariet Notaire public & Iuré d'icelle Cour, preſans Reuerend Pere en Dieu Hugues Tiard Abbé de ſainct Martin d'Auxerre, & Maiſtre Guillaume d'Aubenton Licentié en Loix, témoins à ce appellez & requis l'an & iour deſſus dit.

Annus Chriſti.

Capvt II.

Ex capite xii. fœderis Caroli VIII. Regis Franciæ cum Maximiliano Rege Romanor. anno CIƆCCCCLXXXIX.

Ioannes de Cuſſigny poſtliminio reſtituitur Monaſterio.

ITem touchant Frere Iean de Cuſsigny Abbé du Mouſtier ſainct Iean, Meſsire Claude de Toulongeon Seigneur de la Baſtie, Antoine Rolin Seigneur d'Eſmeriers, Claude de Toulongeon Seigneur de Traues, le Seigneur Villerual, Frere Iean de Goumebault, Eſtienne Duncreſt, & Iean Breſeille, pour leſquels les Ambaſſadeurs & Commis du Roy des Romains ont requis qu'ils fuſſent comprins en ce preſant traicté de paix. A eſté reſpondu qu'ils y ſont comprins, & pourront retourner ſeurement aus Royaumes, Pays & Seigneuries du Roy Tres-Chreſtien à leurs biens, ou qu'ils ſoint, tant audit Royaume, qu'au Dauphiné, & ailleurs. 1489.

Capvt III.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Ioannes de Cuſſigny particeps fit meritorum Ciſtertij apud Deum.

NOs Frater Ioannes Abbas Ciſtercij in Cabilonenſi Diœceſi, totúſque Conuentus Abbatum Capituli generalis Ciſtercienſis Ordinis, Reuerendo in Chriſto Patri Domino Ioanni de Cuſsigny Abbati Monaſterij Reomaenſis, aliàs Monaſterii ſancti Ioannis Lingonenſis Diœceſis, Salutem in Domino, & ſuffragiorum felices effectus ſalubriter experiri. Quamquam lege diuina charitatis ad intercedendum pro omnibus generaliter obligemur; pro

Annus Chriſti. illis tamen multò ſingulariùs aſtringimur, qui nobis ac Ordini noſtro, necnon locis, ac perſonis regularibus eiuſdem Ordinis piâ humanitate affici dignoſcuntur. Eapropter exigente piæ deuotionis affectu, quem ad nos & dictum Ordinem noſtrum intelleximus vos habere, piæ petitioni veſtræ nobis per venerabilem, & in Chriſto nobis probatiſſimum Abbatem noſtri Monaſterij de Fonteneto oblatæ, deuoto concurrentes aſſenſu vobis concedimus plenariam participationem omnium bonorum ſpiritualium, videlicet Horarum Canonicarum, Miſſarum, ieiuniorum, vigiliarum, pœnitentiarum, diſciplinarum, abſtinentiarum, eleemoſynarum, hoſpitalitatum, laborum, cæterorúmque diuini cultus obſequiorum, quæ fiunt ac Domino concedente de cætero fient in toto Ordine noſtro, in vita veſtra pariter & in morte. Ita quòd cùm obitus veſter, vtinam in Domino felix, noſtro fuerit generali Capitulo nunciatus, ibidem ſicut vnus noſtrûm abſoluemini, omniúmque Miſſarum, & Orationum, quas pro nobis, fratribúſque familiaribus noſtris annis ſingulis iniungimus faciendas, efficiemini particeps & conſors.

1490. Datum in noſtro definitorio eiuſdem noſtri Capituli generalis apud Ciſtertium celebrati die XIII. menſis Septembris, anno Domini CIↃCCCCXC.

PETRI II. D'ALIGNY ABBATIS LXIII.

Rerum geſtarum excerpta.

CAPVT I.

Ex Tabulario Reomaenſi.

Acta electionis eius.

VNIVERSIS præſentes litteras inſpecturis, pariter & audituris, Nos Frater Ioannes de Bobe, aliàs Boiſ-

ſeu humilis Supprior Clauſtralis Monaſterij ſancti Ioannis Reomaenſis, Ordinis ſancti Benedicti, Lingonenſis Diœceſis, necnon infraſcripti Religioſi & Monachi dicti Monaſterij, videlicet Frater Reginaldus Subbot Prior de Courtengy, Adrianus de Bullon Infirmarius, Ferricus de Cuſſigniaco Sacriſta, Henricus de Longuay Eleemoſynarius, Antonius de Torcy Prior de Monaſterio Englanon, Laurentius de Guiens Cantor, & Philibertus de Caua Preſbyteri. Necnon Chriſtophorus l'Abbé, Guillelmus de Buſſepot, Petrus de Fuſſy, Erardus Chaillot, Philibertus de Surſangy, Guillelmus de Villa ſur Aiſe, & Ioannes de Tentes Nouitij eiuſdem Monaſterii, omnes vnanimes Capitulariter congregati, Salutem in Domino. Cùm Monaſterium noſtrum Paſtoris ſolatio deſtitutum eſſet per bonæ memoriæ Fratris Ioannis de Cuſſigniaco Abbatis obitum, volentes indemnitatibus eiuſmodi Monaſterii obuiare ad electionem futuri Abbatis celebrandam in vnum conuenimus, & diffuſa Spiritus ſancti gratia omnes per viam Spiritus ſancti, ſeruatis ſeruandis, Venerabilem & Religioſum virum Fratrem Petrum d'Aligny Confratrem noſtrum elegimus in Abbatem & Paſtorem noſtrum, ſolemnitatibus ad hoc, tam de iure, quàm de ſtilo & conſuetudine ſeruatis, prout in inſtrumento eiuſmodi electionis deſuper confecto latiùs ſeu pleniùs continetur. Qua propter nos omnes & ſinguli præfati Religioſi ibidem Capitulariter, priùs vt præfertur, congregati, citra tamen quorumcunque Procuratorum per nos hactenus quomodolibet conſtitutorum reuocationem, non vi, dolo, metu, aut aliqua ſiniſtra machinatione circumuenti, ſed gratis & ſponte, ac ex noſtra, & cuiuſlibet noſtrûm certa ſcientia omnibus melioribus modo, via, iure, cauſa, & forma, quibus meliùs, validiùs, tutiùs, & efficaciùs potuimus, & debuimus, fecimus, conſtituimus, & creauimus noſtros certos Procuratores, ac certos Nuncios ſpeciales & generales. Ita tamen quòd ſpecialitas generalitati non deroget, nec econtrà, videlicet venerabilem & Religioſum virum Fratrem Ludouicum de Monſerual Priorem Prioratus Blanniaci, & ....

Annus Chriſti.

De Petro d'Aligny. III m. 130.

1491

Annus Chriſti. præſentes & onus eiuſmodi procurationis in ſe ſponte ſuſcipientes, & eorum quemlibet in ſolidum ſpecialiter quidem & expreſsè ad pro nobis, & nomine noſtro dictam noſtram electionem proſequendam, decretúmque ipſius Reuerendo in Chriſto Patri & Domino D. Ioanni miſeratione diuina Epiſcopo, Duci Lingonenſi, ac Pari Franciæ, ſeu eius in ſpiritualibus & temporalibus Vicariis generalibus, cum humilitate & reuerentia, quibus decet præſentandum, ipſiúſque confirmationem, ac munus benedictionis præfato Fratri Petro electo impertiri petendum, requirendum, & obtinendum, litteráſque deſuper neceſſarias gratiam, ſiue iuſtitiam continentes impetrari faciendum, quæcunque iuramenta ad hoc neceſſaria in animam omnium noſtrûm præſtanda, & generaliter omnia alia eiuſmodi electionis negotium tángentia, neceſſaria, & opportuna proſequendum. Promittentes habere ratum & gratum quidquid per dictos noſtros Procuratores, & eorum Procuratores actum, dictum, factum, geſtum fuerit in præmiſſis, ſeu aliter quomodolibet procuratum. Releuamus nihilominùs eoſdem Procuratores noſtros, & eorũ quemlibet ab omni onere ſatiſdationis, ſub omnium & ſingulorum noſtrorum bonorum mobilium, & immobilium, præſentium & futurorum quoruncunque, præſertim ipſius Conuentus obligatione & hypotheca. In quorum omnium fidem & teſtimonium præmiſſorum præſentes litteras fieri, & per Notarium publicum infraſcriptum ſubſcribi, ſigillíque noſtri Conuentus quo in talibus vtimur, iuſſimus, & fecimus appenſione communiri.

Datum in dicto noſtro Monaſterio, & loco Capitulari, die viceſima quarta menſis Septembris, anno Domini mil-
1491. leſimo quadringenteſimo nonageſimo primo: præſentibus honeſtis viris Hugone Barbier de Viſerneio, & Milone Bilon teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

IOVINE.

SEBA-

SEBASTIANI DE RABVTIN ABB. LXIV.

Rerum annotatio.

ORTVS eſt Sebaſtianus nobili, cum primis, atque antiqua apud Burgundiones familia, cuius ſtemma dedimus in notis ad Guidonem de Iacuria Abbatē capite 3. dum ageretur de Aimone Rabutini, quinto ante hunc gradu eadem in familia progenito. Parentes habuit Sebaſtianus Hugonem viri inter Burgundos celeberrimi Amati Baronis d'Epiry filium; matrem Ioannam Claudij Montacutij filiam, qui ſtirpe maſcula à primis Burgundiæ Ducibus, & Francorum Regibus Capetianis erat propagatus. Memoria eſt in Rabutinorum monumentis longam ei contentionem fuiſſe cum vno quopiam ex Amboſianis, qui Præfecturam Reomaenſem commendatitio nomine impetrarat à Romano Pontifice, ſed peruiciſſe electionem Sebaſtiani ſine vitio factam. Ratio temporis exigit, vt dicatur Amboſianum illum fuiſſe vel Georgium tunc Archiepiſcopum Narbonenſem, poſteà Cardinalem celeberrimum, vel Ioannem Epiſcopum Lingonenſem, qui poſt fratrem Carolum Prorex Burgundiæ per hoſce annos à Rege fuerat inſtitutus.

GVILLELMI MACHECOT ABBATIS LXV.

Rerum geſtarum excerptum.

Ex Claudio Roberto in Decanis Capellæ Regiæ Diuionenſis.

GVILLELMVS Machecot receptus in Canonicum anno CIↃCCCCLXXVIII. in Decanum CIↃIↃ. Iulij IV. ex Canonico Vergei paulò poſt dedicationem Eccleſiæ, de

Annus Christi. qua dedicatione ſuprà in Epiſcopo octogeſimo ſexto Lingouenſi. Obiit decimo-quarto die Septembris in feſto Exaltationis ſanctæ Crucis anno CIↃIↃV. Lingonis. Fuit præterea Abbas Commendatarius Reomaenſis, Canonicus Eduenſis, Decanus Lingonenſis, & Capellæ Diuitum Diuionenſis, ac Conſiliarius in Parlamento Diuionenſi anno
1488. CIↃCCCCLXXXVIII. per obitum Philiberti de l'Aſſertey. Iacet in Æde beatæ Mariæ Parœciali Diuione centum & ſex funalibus ſepultus, anniuerſarium habens in hac Eccleſia Regali XVI. Cal. Octobris.

PETRI III. DE LA BAVME CARDINALIS ET ABBATIS LXVI.

Rerum geſtarum excerpta.

CAPVT I.

Ex Tabulario Reomaenſi.

LOCATIO redituum Abbatiæ Reomaenſis facta ab Abbate de la Baume Miloni de Genay rata deinceps eſt habita ac probata à Conuentu, ſeu Capitulo Monaſterij ſancti Ioannis Reomaenſis eam in rem legitimè congregato ad ſonitum tintinnabuli, vocatis vocandis, & quorum intererat, nullâque ex ſolemnibus iuris formulis, ac conſuetudinibus prætermiſſa. Eæ verò omnes vſurpatæ fuerunt de communi omnium Monachorum ſenſu, vt contractui locationis vis atque authoritas adderetur, quòd is contractus ad commodum & vtilitatem Monaſterij illis inſtitutus eſſe videretur. Qua de re conſtat ex tabulis eiuſce ratihabitionis quæ contractus tabulis ſunt annexæ. Facta autem fuit eius rei poteſtas Capitulo & Conuentui à ſuprà dicto de la Baume Cardinali ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, qui tunc erat Abbas. Data porrò eſt à Conuentu ratihabitio
1527. VIII. Februarij, anno CIↃIↃXXVII. ſubſcribente de la

Portæ; & ſigillo in viridi cera impreſſo ex ea pendente. *Annus Chriſti.*

CAPVT II.

Ex Hiſtoria Pontificia Ciacconij anno CIϽIϽXXXIX.

PETRVS de Bauma ex Comitibus Montis Reuelli Burgundiæ, Gebennenſis Epiſcopus, & Archiepiſcopus Veſuntinus, Preſbyter Cardinalis Sanctorum Ioannis & Pauli, tituli Pammachij. Et infrà. Petrus de Bauma Burgundus Preſbyter Cardinalis tituli Pammachij obiit Arboſij in Burgundia, anno CIϽIϽXLIV. Pontificatus Pauli III. decimo. 1544.

HIERONYMI DE CAPITEFERREO CARDINALIS S. GEORGII, ET Abbatis LXVII.

Rerum geſtarum excerptum.

Ex Antonij Petramellarij Paulo IV.

HIERONYMVS Capoferreus natione Italus, patria Romanus, Recanatis filius, natus eſt Cal. Iulij, anno Domini CIϽIϽII. ab ipſis ætatis ſuæ primordiis à patre ſeruituti Alexandri primi Cardinalis Farneſij commiſſus, ingenio perſpicaci, & diſciplinis litterarum, perquam eruditus, ſub eodem Farneſio poſteà ſummo Pontifice renunciato, vt anteà etiam Clemente VII. ſedente, in variis Curiæ muneribus, necnon in diuerſis ad Principes grauiſſimis de rebus legationibus vitam egit. In quibus cùm ex votis, & ipſorum Pontificum, & Principum, ad quos legatus fuerat, ſe geſſiſſet, ab eodem Pontifice Theſaurarius Apoſtolicus declaratus, vnà cum Guidone Aſcanio Sfortia Pontificis nepote, ad ſuſtinendum bellum, quo

Annus Chriſti. Turcæ ad Pannoniam, Germaniæ fines, atque Italiam inuadendam ſeſe accingebant, deputatus eſt cum facultate extinguendi Canones, cenſus, & alia eiuſmodi Cameræ Apoſtolicæ, Eccleſiæ Romanæ, & aliis Eccleſiis & piis locis in ſtatu, & dominio S. Romanæ Eccleſiæ exiſtentibus, debita, atque etiam de nouo locandi, atque infeudandi bona Eccleſiaſtica. Electus poſteà Nicienſium Epiſcopus, & Papæ Datarius, cùm vtrobique ſapientiſſimè ſe habuiſſet, in decima Cardinalium tredecim ordinatione anno
1544. Domini CIↃIↃXLIV. Pontificatus vndecimo, XIV. Calen. Ianuarij habita, Diaconus Cardinalis S. Georgij ad velum aureum creatus eſt, ac paulò pòſt Legatus miſſus in Galliam, vt Franciſcum I. Galliæ Regem Pontificis nomine rogatum iret, vt ſuæ ditionis Epiſcopos Bononiam ad Concilium Tridento eò tranſlatum mitteret. Quo etiam iterum pòſt venit ad Henricum Regem Franciſci filium pro rebus Senenſium, & pace inter ipſum & Cæſarem componenda à Iulio III. Pontifice miſſus. Quo regnante, & Marcello ſecundo Pontifice, honeſtiſſimam Romandiolæ legationem multos annos prudenter egit; extántque adhuc conſtitutiones pro bono eius Prouinciæ regimine ab ipſo editæ, quæ paſſim ab omnibus obſeruantur & commendantur. Ad Morinenſem poſteà Epiſcopatum tranſlatus diem ſuum extremum clauſit Romæ in Conclaui, dum Comitia pro nouo deligendo Pontifice fiunt, die Veneris, Calendis Decembris, anno Domini CIↃIↃLIX. horâ noctis X. dum ætatis annum ageret LVII. ſepultus in Templo S. Mariæ de Pace. De Hieronymi Cardinalis virtutibus præclara in epiſtola Iacobi Cardinalis Sadoleti anno CIↃIↃXLIII. ad Paulum III. ex Feliciano Carpentoratenſis Diœceſis miſſa, in qua hunc, & Thomam Campegium Bononienſem, Epiſcopum Feltrenſem, Pontifici commendat, illique narratis eorum virtutibus ſacra eos purpura dignos demonſtrat. Extat nunc etiam Romæ Regio ſumptu fabricatum ab eodem Palatium de nomine eius Capoferreum dictum præclaris inſigne lapidibus ac imaginibus.

Annus Chriſti.

FRANCISCI DE TVRNONE CARDINALIS ET ABBATIS LXVIII.

Rerum geſtarum excerpta.

CAPVT I.

Genus & ortus Franciſci, ac prima inſtitutio.

GENERIS Turnonij claritatem qui perſpectam non habeant puto paucos in Gallia reperiri, eò minùs mihi laborandum, vt illuſtriſſimæ familiæ totam ab ſtirpe ſeriem repetam, & clariſſimo rerum ab ea geſtarum ſoli faces adiicere contendam. Quod tantùm ad Franciſci res pernoſcendas neceſſarium videtur hîc memorabo. Iacobum II. Turnonis Dominum Guillelmo V. prognatum habuiſſe in matrimonio Ioannam de Polignac, Guillelmi Vicecomitis Polігniacenſis, & Amadeæ de Salutiis filiam. Ex eo coniugio tum alij antè ac deinceps octo liberi; tum ſecundo loco prodiit Franciſcus, quem etſi illuſtrem fecit ſtirps Turnonia inſignibus bello Ducibus copioſa, & quatuor Franciſco viuente Epiſcopis, præter ipſum exornata. Tamen Poligniaca etiam origo Ducibus Burgundis, Franciſque Regibus immiſcuit. Etenim Poligniacenſes per Iſabellam de la Tour, Mariæ Bolonienſis filiam genus retulere ad Matildem Odonis II. Burgundiæ Ducis filiam, cuius ſtemma ad Hugonem Capetium Regem Franciæ reuoluebatur. Hinc Michaël Hoſpitalius Franciæ Cancellarius Franciſcum his verbis compellabat. Sammarthan.

Turnoni genus Heroûm qui ſanguine ducis.

Et Petramellarius Galliæ Regum affinem faciebat. Quanquam hic etiam fortè reſpexit ad coniugium Iuſti II. qui nepos fuit Franciſci, & Claudiam à Turre Vicecomitis Turenniæ filiam vxorem duxit, cuius Maiores à Ioanna Nauarræ Reginæ, Ludouici X. Regis Franciæ filia fuerant

Annus Chriſti. rint prognati. Porrò Franciſco annus natalis fuit
ↀCCCCLXXXIX. à quo illi vſque ad primam adoleſcen-
1489. tiam pietatis ac literarum exercitiis innutrito, non va-
næ, atque ambitioſæ rerum fluxarum cupiditates, ſed reli-
gioſæ vitæ amores, ac ſtudia fuere inſtillata. Itaque matu-
rè ſubductus humanorum affectuum corruptelæ, addictus
eſt, cùm primùm per ætatem potuit Ordini Religioſo ſan-
Aimarus Falco. cti Antonij Viennenſis, vbi copioſiſſimæ tota vita frugis
præclaram in ſe generoſámque ſementem eſt complexus.

Caput II.

Res eius geſtæ & dignitates ante Cardinalatum.

Primam eius iuuentutem ornauit Religioſa Ordinis Antoniani Præfectura, quam vocant Generalem Fori Seguſianorum Præceptoriam. Non defuêre qui ſcriberent iam tum totius Ordinis Abbatem à fratribus renunciatum, nullo vel ætatis ipſius, vel hiſtoriæ reſpectu. Etenim vt eſt veriſimile, tantam dignitatem tam immaturæ ætati non permiſſam, ita ex illius Ordinis Hiſtoria conſtat Theodorum de ſancto Chaumondo Abbatem Antonianum fuiſſe ad annum CIↃIↃXVI. quo epiſtolæ S. Antonij à Symphoriano Campegio eius autoritate, ac ſtudio ſunt euulgatæ, nec dignitate abiiſſe ante annum poſt hunc vndecimum, quo vitam depoſuit, cònditúſque eſt in Eccleſia quæ poſteà Societati noſtræ eſt Muſſiponti contributa. Ita conficitur non potuiſſe Franciſcum Antonianis Abbatem præfici ante annum ętatis ſuæ octauum & triceſimum, quo, vt mox dicam, Bituricenſibus iam præerat Archiepiſcopus. Verùm ſuſpicari poſſumus ante Epiſcopatum fuiſſe illum lectum Abbatem Caſæ Dei in agro Aruerno, quòd ea fuerit
1525. antiquiſſima eius Præfectura in Monachos, tametſi mihi
non ſatis conſtet quo propriè anno illi obtigerit. Dehinc annis aliquot ante CIↃIↃXXV. electione Cleri Ebredunenſis Archiepiſcopus eſt conſecratus, breuique poſteà ad Regium accitus conſiſtorium, cùm probitatis, prudentiæ, ac

ſolertiæ famam collegit, vt cùm ad eum, quem dixi nunc, *Annus* annum Franciſcus Rex in exitiabili pugna Papienſi captus, *Chriſti.* atque in Hiſpaniam ex Italia eſſet traductus, Procerum Regni iudicio delata fuerit legatio Franciſco ad Carolum V. Imperatorem cum Margarita Regis ſorore Alenconij Ducis vidua, Montmorancio, Brionio, & Senatus Pariſienſis Principe Selua, vt aliquæ Regis liberandi rationes inirentur. Tenuit eum legatio annum ſolidum, nonnulliſque in Galliam remeantibus, ipſe cum Selua, nouóque Legato Tarbæ Epiſcopo & aliis, reditum tandem Regi expediuit icto ad diem XIV. Ianuarij anno CIↃIↃXXVI eo fœdere, quod ad Regis tunc ſalutem erat neceſſarium. Quæ ille dum ſedulò curaret, iniecta eſt Bituricenſi Clero mens, vt orbatam tum maximè Franciſco Buellio Sancerrano Eccleſiæ ſuæ Præfecturam Turnonio deferrent. Itaque Bituricenſis Archiepiſcopi nomen iis primum in tabulis vſurpauit, quæ de illo fœdere ea die fuêre conſcriptæ. Reuertit exeunte Ianuario Rex in Galliam, miſſis in Hiſpaniam, vt conuenerat, obſidibus filiis, habuítque ſubinde Regni Comitia, quibus cùm interfuiſſet Franciſcus, Regémque aliquandiu eſſet aſſectatus, vertente demum anno CIↃIↃXXVII. ad Bituricenſes ſuos diuertit, atque vt erat muneris ſui diligentiſſimus Synodum illicò ad VI. Idus Martij ſuis indixit, vt maturè agnoſceret quibus potiſſimùm partibus ea capere poſſet Eccleſia detrimentum, eíque paterna ſolicitudine præuerteret. Arbitror in hunc quoque proximumve annum incidiſſe illius in Abbatem Antonianum electionem. Nam Abbatem fuiſſe eius Ordinis docent verba Ioannis Buteonis Antoniani Monachi, quibus egregium opus de Arca Noetica eius nomini inſcripſit anno CIↃIↃLIV. Franciſco, inquit, Turnonio Cardinali Galliarum Primati, Abbati noſtro. Enimuerò hanc ei Præfecturam obtigiſſe circa annum CIↃIↃXXVII. duo ſunt quæ ſuadeant. Alterum quòd Theodorum de S. Chaumondo, qui tunc Abbas deceſſit proxima cognatione attingeret, vt Campegius in epiſtolas S. Antonij ſcribit; vulgati autem tunc moris eſſent dignitatum Eccleſiaſticarũ in cognatos

Belaius lib. 5.

Guicciard. lib. 17.

Annales Franciæ.

1527.

Annus Chriſti. deriuationes. Alterum quòd non alio tempore eſſe potuerit Abbas Antonianus. Extat enim Pariſiis in Eccleſia ſancti Antonij Epitaphium Ludouici de Langiaco Abbatis Antoniani, qui fato dicitur functus anno CIↃIↃXCVII. duobúſque patruis ordine ſucceſſiſſe. Cùm ergo Abbas anno CIↃIↃLIV. fuerit, vt docuimus, Franciſcus tres hoſce Langiacos præceſſerit eſt neceſſe. At in Catalogo Antoniano nullus Langiacos proximè anteit, niſi is quem dixit Theodorus. Itaque inter hunc & ipſos interuenit Franciſcus, ab illius, vt ratio docet, deceſſu inſtitutus.

Caput III.

De Franciſci Turnonij Cardinalatu.

Annales Franciæ. ERat Franciſcus Rex inter omnes retrò Principes vt magnificentia erga exteros præcipuus, ita nullis vnquam ſuorum obſequiis beneficentia inferior. Igitur redditus per hæc tempora libertati Encoliſmam aliquandiu ſeceſſit, vt iis qui vel funeſta illa in pugna, qua captus eſt, vel in eius poſteà liberatione egregiam illi operam præbuiſſe viderentur per otium proſpiceret. Itaque tum alios aliis honoribus, tum Montmorancium Magiſterio Domus maximo, & Prouincia Landgottia, tum Brionium Præfectura maris ſuprema, & Prouincia Burgundica donauit. Reſtabat ſocius legationis Hiſpanicæ, & liberationis Regiæ momentum potiſſimum Turnonius, cui Rex à Pontifice Cardinalatum ab eo tempore flagitauit, ſed vt lenta ſolent eſſe ea Romæ negotia, ad annum demum
1529. CIↃIↃXXIX. ante XIV. Cal. Ianuarij impetrauit. Quo die, vt ſcribit Petramellarius, in Franciſci Regis gratiam Bononiæ abſens à
In Clemẽte VII. Clemente VII. qui eò venerat coronandi Caroli V. Imperatoris cauſa, Presbyter Cardinalis tit. Sanctorum Petri & Marcellini creatur. Cuius opera & ante & poſt adeptam dignitatem (erat enim præſtantis ingenij, ſingularis prudentiæ, eximióque rerum ciuilium vſu præditus) idem Franciſcus Rex & eius ſucceſſores ita vſi ſunt, vt totius

Galliæ

Galliæ ſumma apud ipsũ cõſtituta videretur. Hę ille pro rei dignitate, ac veritate eleganter: Sed multò copioſius atque explicatius Iacobus Sadoletus ad Franciſcum ipſum. Gratulor, inquit, tibi, & valdè gratulor, quòd iſtum gradum honoris ampliſſimi ità es conſecutus, vt non laus tua in illo honore poſita, ſed fortuna virtutem tuam ſecuta videatur. Nec verò vlla eſt verior, & magis te digna gratulatio, quàm quòd tu is homo es, iis ingenij, virtutis, nobilitatis, prudentiæ ornamentis præditus, vt nullus ſit tantus honor, qui tibi non ita debitus ſit, vt tamen dignitati tuæ par eſſe non queat. Sed vt hæc mittam quæ hoc etiam maiora in te ac præſtantiora exiſtunt, quòd omnis doctrinæ, & omnium artium optimarum comitatu, ac ſcientia ſunt inſtructa; illud in tua natura præclarum, ac magnificum, quòd opes, & gratiam, & authoritatem tuam, quæ magna eſt, omnibus ſemper bonis vis eſſe adiumento, atque præſidio. Quanam id hominum laude, & quibus tandem honorum inſignibus poteſt compenſari? Equidem de tuo honore ità ſentio, vt eo omnes bonos magis, quàm teipſum lætari putem oportere. Siquidem illi fructus vberiores liberalitatis tuæ ſibi in eo propoſitos eſſe ſciunt, tu iſti honori plus ſplendoris affers, quàm ipſe honor tibi. Quàm verus hæc vates cecinerit Sadoletus docuerunt viri litterati magno numero, quibus Franciſci poſt hæc benignitas non ſolùm ad eruditionis, ſed etiam ad dignitatis omne genus aditum patefecit.

Annus Christi.

Lib. VI. epiſt. X.

CAPVT IV.

Alia Franciſci in Rempublicam officia, & prima Romam legatio.

NOndum planè liberum videbatur Regnum, quamuis recepto Rege, quandiu regni hæredes liberi eius in Hiſpani erant poteſtate: itaque anno demum CIƆIƆXXX. cùm fœdus, quod quadriennio ante ictum, & poſteà fractum fuerat, nonnullâ pactorum moderatione ſancitum 1530.

Annus Christi. eſſet, legatus eſt denuò Turnonius cum Montmorancio in Hiſpaniam, vt Regis liberos eo pro Patre obſides miſſos maxima vi pecuniæ redimeret, atque in Galliam reduceret. Cōfectum eſt cum Hiſpani miniſtris extremo Iunio, & Regij liberi cum Eleonora Caroli V. ſorore Franciſco Regi deſponſa ad montem Marſanum adducti, nec inde procul in Monaſterio quod vocant Captiaux matrimonium Regis cum Eleonora, concipiente verba ſolemnia Turnonio copulatum fuit. Auctior deinceps facta eſt Turnonij dignitas, Præfectura Monaſterii S. Germani Pariſienſis, & biennio poſt hæc grauiſſima illi decreta eſt legatio Romam ad Clementem VII. addito Collega Cardinali Grandimontano, qui erat anteà Tarbenſis Epiſcopus. Eius

Litteræ Regis in Miſcella Hiſt. Camuſati. legationis potiſſima cauſa fuit, tum vt Henrico VIII. Angliæ Regi ad defectionem ab Eccleſia præcipitanti proſpiceretur, tum vt colloquium Pontificis cum Rege apud Maſſiliam propter hanc aliáſque cauſas curaretur. Anno

1533. demum CIↃIↃXXXIII. adductus quidem eſt Clemens, vt Maſſiliam veniret, ibique Turnonio quaſi pronubo nuptiæ Catarinæ Mediceæ Pontificis neptis cum Henrico Regis ſecundo filio fuerunt conciliatæ, ſed pro Anglo in deterius quotidie prolabente, nihil eſt confectum. Quies dehinc triennio circiter fuit à bellis Gallos inter & Hiſpa-

Annales Franciæ. nos. Sed anno rurſum CIↃIↃXXXVI cùm omnia ſuſpicionibus & odiis turgerent, in apertum bellum res erupit, quod cùm proſperè ceſſiſſet in Gallia, creatus eſt Turnonius Lugdunenſis Prouinciæ Præfectus, vt belli vim totam ad Inſubres tranſlatam curaret, inque omnes militantium neceſſitates inuigilaret. Indoluit vehementiſſimè qui tunc Eccleſiæ præerat Paulus III. tantum hactenus Chriſtiani ſanguinis fuſum, tantum inpoſterum, vt erant ambitiones & offenſiones animorum, profundendum. Itaque anno

1538. CIↃIↃXXXVIII. cùm ad Nicæam Maſſilienſium, Regi atque Imperatori condixiſſet pacis inter eos conciliandæ gratia, venit eò Regis iuſſu Turnonius, ac diu cum Imperatore colloquutus, tum etiam cum Pontifice, author fuit, ſi minùs pacē, at certè inducias in proximos decem annos ſanciēdi.

Caput V.

Graues Franciſci pro Catholica fide labores.

INCREDIBILEM Germanicæ pietati labem attulerat lues Luterana per annos antehac circiter vicenos, nec illis iam contenta finibus bellorum turbis ac licentia ſeſe occultans in Galliam ſenſim proſerpebat. Hanc igitur ſibi inprimis prodendam ac reprimendam ſumpſit Turnonius, non pro ea ſolùm, qua in Eccleſia erat dignitate, ſed pro eo cum primis ſtudio quo ergà diuinum honorem, hominúmque ſalutem incenſus erat. Itaque cùm eruditionis, ac litterarum nomine, quas Franciſco Regi in pretio & amore eſſe notum erat, plurimi in Regnum ſe infunderent, quorum haud ſatis ſincera eſſet erga Deum fides, fuit Turnonius in perpetua vigilia, nequid vel in Regis animum, vel in Regnum hinc redundaret detrimenti. Irrepſerant in aulica gynecæa nonnulli fucata eruditione viri, & ſubdolis ſuaſionibus perfecerant apud Margaritam Regis ſororem, & Annam de Piſſeleu Stampenſem Duciſſam magnæ apud Regem gratiæ fœminam; vt Melanchtoni fallaciſſimo Religionis omnis interpolatori veniendi in Galliam, & diſputandi cum Pariſienſibus Theologis daretur à Rege commeatus. Eam machinationem non præſente minùs peccato, quàm futuro exemplo pernicioſam, vt inaudiit, diſcutiendam ſibi, ac diſſipandam Turnonius cenſuit, & ſumpto commodum in manus S. Irenæi libro contra hæreſes, Regem manè ſalutatum iit. Non diſtulit Rex, vt primùm in conſpectu fuit, quærere quidnam id libri eſſet? Excellentiſſimus eſt, inquit Turnonius, Galliæ tuæ Epiſcopi, & hominum Apoſtolicorum diſcipuli commentarius. Qui cùm præclarè cætera, tum illuſtriſſimè illud ſcripſit libro tertio, nullum homini Catholico cum hæreticis aut commercium eſſe oportere, aut colloquium, Ioannem Apoſtolum, Polycarpum, & alios vno cum illis tecto ſubeſſe veritos, pedem ab ædibus quas illi incolerent

Genebrardus, Florimundus Remūdus, & alij.

Anno Chriſti. illicò extuliſſe. Hinc exorſus ſubiecit obſcura ad ſe fama delatum Melanchthoni factam ab ipſo poteſtatem Pariſios veniendi, eam ſe famam abominatum non dubitaſſe, quin ſiue falſa eſſet, ſiue vera, libentes ſibi præbiturus eſſet aures ſui hac in re animi æſtus in Regio ipſius ſinu deponenti. Fac enim, inquit, Rex Chriſtianiſſime, neminem vnum è Gallis tuis fallaci facundia, ſimulata humanitate, & verſipelli Melanchthonis acumine circumueniendum. Tamen quænam erit illa de te apud Pontificem, apud Romanum Senatum, apud Italos vniuerſos opinio? quàm ſuſpicioſa? quàm ſiniſtra? cùm te viderint eius hominis conſortio colloquióque delectari, cuius ipſi doctrinam & Magiſtrum Lutherum diris omnibus deuouerunt. Quænam verò profeſſi illius hoſtis tui atque æmuli Imperatoris Caroli, aut exultatio, aut inſultatio, dum te in hæreſis inuidiam apud Catholicos Principes adducere laborabit? Denique quis tuorum omnium mœror, & abiectio animi, dum iniuſtas calumnias rebus ipſis refellere parum cumulatè valebunt. Penetrauit in Regis pectus hæc oratio, & litteras commeatus Melanchthoniei iam obſignatas diſcindi iuſſit, ſanctéque deierauit, nullum ſibi tota vita, niſi cum Eccleſia Catholica fore commercium. Hinc iam renouatæ apud omnia tribunalia contra Lutheranos quæſtiones, cúmque in Prouincia Arelatenſi Merindolenſes ſopitos Valdenſium errorum cineres nouis Lutheri flabellis ſuſcitarent, ac iam publicas regno flammas perfidis concionibus intentarent, conſultus Turnonius legum ſeueritate obruendam primo in conatu perfidiam perſuaſit. *Annales Franciæ.*

CAPVT VI.

De aliis eius Franciſco I. regnante rebus.

FVERAT apud Franciſcum Regem magno ſemper exiſtimationis & gratiæ loco Turnonius, ex quo ad Rempublicam acceſſerat. Sed poſteaquam Rex nonnullis offenſionibus abalienatus fuit ab Annæo Monmorancio

Magiſtro Equitum ad annum CIↃIↃXL. potiſſimam curarum Regiarum partem in Turnonij ſinu depoſuit, nec quidquam domi foriſque dehinc ſuſceptum, cuius ille caput & author non ſit factus. Plura toto ſeptennio geſta ſunt cum Hiſpanis bella, plura ſapientiſſimè inita eius conſultu fœdera: ſed nulla ei frequentior, vtiliórque opera fuit, quàm in hæreſi vndequaque Galliæ in ſolo pullulante reſecanda; inſtitutum enim hoc circiter tempore Pariſiis fuit Quæſitorum Capitalium tribunal, Ardens vulgò appellatum, in quo de hæreticis anquireretur; qua re accommodatior nulla poterat excogitari ad infinitam hominum circa res diuinas curioſitatem, quæ tunc vigebat, coërcendam. Legatus tunc quoque eſt Vormatiam ad Imperij Ordines Ludouicus Adhemarus Griniani Comes, qui Turnonij neptem habebat in matrimonio, vt Principibus Germanis Eccleſiæ reformationem in Conuentu, vt obtendebant, libero, ſed vt res erat, hæretico inſtitui poſtulantibus, Regis nomine ſuaderet Tridentini Concilij tum primùm incepti authoritati deferre, totámque ea de re quæſtionem illi permittere. Inter hæc non ille magis publicis vtilitatibus, quàm Rex priuatis eius honoribus, ac commodis augendis incumbebat. Nam Præfecturam Monaſterij Bellilocenſis apud Virdunũ ad hæc tempora illi attribuit, quam cùm Robertus de Lenoncour Cardinalis iunior rationibus ſuis commodiorem Trenorchienſi, quam olim obtinuerat, exiſtimaret. Turnonius autem Trenorchienſem ſibi quàm Bellilocenſem mallet, legitima inter ſe permutatione de illis tranſegere. Nec multò poſteà in Nouempopuloniæ Metropoleos poſſeſſionem Franciſci de Claromonte obitu vacuam Regia nuncupatione Turnonius eſt inductus. Sub hæc tempora nihil fuit, quòd hæreticorum natio non tentaret, vt Franciſcum Regem infortuniis aliquot mœſtum & Pontifici, quaſi in Cæſarianas partes nimiùm procliuiſ ſuboffenſum, ſua poſſet infuſcare fuligine. Itaque cùm Landricus quidam Eccleſiæ S. Crucis apud Pariſios Parochus, garrulæ vir facundiæ multa de Purgatorio auſus eſſet pro ſuggeſto blaterare, quidam aulici ea iam labe aſ-

Annus Chriſti. Annales Franciæ. 1540.

Iacobus Thuanus lib. 2 Hiſt.

Petrus Saminlianus.

Claudius Robertus.

Annus Chriſti. perſi tam multis cum laudibus apud Regem extulere, vt ille ſibi hanc vocem excidere pateretur, aures ſe illi nomini

Hiſtoriæ Hæretic. libenter præbiturum, iuberétque eum ſibi præſto eſſe. Perducere eum nulla mora aulici ſatagebant, ſed Turnonii non anteuertere vigilantiam, qui hominis animum ita per ſuos antè permouit, vt coram Rege ſolita garrulitate excidens, nihil contra veritatem Catholicam mutire ſit auſus, atque ab illo ad Quæſitores fidei, ac Theologos, qui eius dicta iam ad cenſuram vocarant reiectus, paucis pòſt diebus, Pariſienſi Senatu retractatis, damnatiſque erroribus, iuſſus ſit concionibus abſtinere.

CAPVT VII.

Henrico II. regnante aula ſemotus prodeſſe publicæ rei Romam ſecundo legatus non ceſſat.

1547. FLORVIT Turnonius gratia apud Regem Franciſcum integra vſque ad extremam eius diem pridie Calend. Aprilis CIƆIƆXLVII. ſed vt ſunt rerum humanarum vices,

P. Saniulianus. cùm longè alio eſſet apud Henricum II. ſucceſſorem loco, miſſo aulæ nuncio in Monaſterium Trenorchienſe ſeceſſit, tum vt nonnullam animo quietem caperet, tum vt res eius Monaſterij ſacras, ac familiares per ſuperiorum temporum incuriam nonnihil lapſas in integrum reſtitueret, quod egregiè accurauit, etſi non longa illi eo loco quies fuerit. Nam paucis pòſt menſibus Rex ætati Pontificis, qui octogenario maior erat, diffiſus è duodecim Gallis Cardinalibus, qui tunc ſupererant, ſeptenos atque in iis Turnonium Romam ire iuſſit, vt ſi quid humanitùs Pontifici contingeret, Romanæ Sedi, virum Eccleſiæ toti ac regno vtilem darent, & dedere demùm anno CIƆIƆL. Iulium III.

1550. Hiſtoriæ Hæretic. Quo tempore Merindolenſes hæretici in quos Turnonii conſultu lege actum aliquot antè annis fuerat, per eius ab aula abſētiam meliora ſibi ominati retractari iudiciū antea pronunciatū in ſuos, cùm poſtulaſſent cauſa iterùm ceci-

dere, effrenique licentia multa tum de Cardinali Turnonio, tum de Griniano eius nepote ſuis in hiſtoriis mentiti, illuſtri Cardinalem laude præter mentem affecerunt, dum capitaliſſimum ſibi illum hoſtem fuiſſe ſunt teſtati. Anno poſthæc CIↃIↃLI. cùm Iulius III. nepotis ſui Ioannis Baptiſtæ Montani artibus, atque ambitione eò eſſet adductus, vt Octauio Farneſio Parmam, quæ ſub Regis erat tutela, ipſique Regi Mirandulam, quam permutationis iure haud pridem quæſitam, præſidio tenebat, niteretur adimere, quo in earum poſſeſſionem Montanum mitteret, Turnonius, qui Regia Romæ negotia tunc gerebat, grauiſsima Iulium oratione conuenit, cúmque nihil promoueret Venetias ſe ſubduxit, vbi auxiliaribus Heluetiorum copiis iter per agrum Brixianum cùm impetraſſet Parmæ ſaluti fuit. Cum enim his atque aliis Regiis copiis longiùs opinione trahitur bellum, pertæſum eſt Romæ tumultuum & expenſarum, fortéque accidit, vt malorum incentor Ioannes Baptiſta Montanus tumultuario in certamine cæderetur. Quarum rerum occaſione arrepta, Turnonius Pontificis tandem animum eò perpulit, vt anno CIↃIↃLII. fœdus cum Rege ſanciret, pactus ſe in poſterum inter ipſum & Imperatorem pro mediatore futurum, Parma & Mirandula copias abducturum, neutri parti noxæ, aut ſubſidio fore, nihil vel delectuum, vel commeatuum, in alterutrius detrimentum in ditione ſua permiſſurum, & Farneſiis res ac dignitates ſuas reſtituturum. Quod fœdus incredibili Regem voluptate, regnum dignitate atque exiſtimatione auxit. Quantum verò fœderatis placerent, quæ Turnonius egerat, declararunt, honores vtrinque illi collati: nam & Iulius Pontifex eum Albano Epiſcopatu tunc donauit, & Rex Henricus cedente Hippolyto Aceſtino, eum Lugdunenſem Archiepiſcopum nuncupauit. Gratiam vtrique cumulatam Turnonius mox repoſuit, ſuſcepta ac felicibus conſiliis perfecta Senenſium ab Hiſpano dominatu liberatione, quæ vt Regi eo tempore non parum erat accommodata, ita Pontifici fuit periucunda.

Annus Chriſti.

1551.

1552.

Ciacconus Seuertius.

Capvt VIII.

Reditus eius in Galliam, & tertia Romam legatio.

1553. AD annum CIↃIↃLIII. tranſiit ex Albano Epiſcopatu in Sabinum, nec multo pòſt tempore ad Lugdunenſes ſuos Roma digreſſus peruenit, vbi illi abundè fuit laborum, & contentionum cum hæreſi, vicina è Geneua, vbi Caluinus impietatis ſedem fixerat, in plebem ſuam mille per cuniculos proſerpente. Venerant eò aliquot antè menſibus clancularij de illa ſchola præcones quinque hæreticis dogmatibus à Caluino, Beſa, Farello altè imbuti, atque ad peſtem exitioſiſſimam latè ſpargendam omni arte parati, ſed non fefellerant Eccleſiaſtici officij vigilantiam, à quo illicò detecti carceribus conditi tenebantur. Verùm ne in eos ageretur lege Bernates Heluetij ſuis apud Regem intercesſionibus, aliique ex aula ſuſpectæ fidei homines præpediebant. Vbi adfuit Turnonius nulla fuit mora, quin omnes, quòd Galli eſſent, & contra Regis grauiſſima interdicta perniciem Regno inferrent, meritiſsimas flammis pœnas luerent. Acres deinde adeò fuere tum ipſius, tum plurium, quos in eam operam ipſe aſciuerat, vigiliæ, quo nihil ibi Eccleſia Catholica detrimenti ſentiret, omnéſque errorum fibræ conuellerentur, flammíſque vltricibus abſumerentur, vt Geneuenſes illæ peſtes nihil diutiſsimè haberent exoſius, nihílque fugerent longius, quàm tractum Lugdunenſem. Itaque conuenticula hæretica quinquennio antequam Lugduni Turnonius præeſſet cogi cepta, ſtatim ac ille fuit Epiſcopus penitùs diſsipata, non coiere denuò, niſi illo è viuis demum ſubducto. Has aliáſque haud paulò grauiores curas Lugdunenſium ſaluti biennio impendit, quarum cùm vtilitatem, ac potiùs neceſsitatem

Hiſtoriæ Hæreticorum.

1555. haberet perſpectam, vix inde euelli potuit anno CIↃIↃLV. quo iuſſus eſt cum Cardinali Carolo Lotaringo extra ordinem Romanam ſuſcipere legationem. Obtendit diutiſsimè non eſſe dignitatis ſuæ, vt Romæ conſpiceretur Cardinale

Annales Franc.

nale Bellaio poſterior, qui erat per eius abſentiam Deca- *Annus*
nus Cardinalium factus, cùm poſt eum in Collegium eſſet *Christi.*
aſcitus. Sed hoc ille tantùm obtendit: nam vera legationis defugiendæ cauſa fuit, vel Lugdunenſium ſalutis ſtudium, vel quod aliqui ſcribunt, ne ambitioſis, atque infelicibus Carafarum Pauli IV. nepotum conatibus operam præberet, quibus pacem Eccleſiæ turbandam præſagiebat. Iuſſus tamen iterato à Rege Romam iit. Vbi diſſentiente Turnonio, ſed Carolo & Carafis authoribus, ictum eſt inter Regem ac Pontificem fœdus arcanum, quo & Pontifex Regi ad Neapolitanum regnum recipiendum opem & conſenſum, & Rex Pontifici, ac Carafis tutelam, & rei familiaris multiplicem acceſſionem deſpondit. Sed induciis poſt iſta inter Regem Gallum & Hiſpanum ad longum tempus depactis nihil contra eas tentari paſſus eſt Turnonius, donec Carafarum & Columniorum diſſidia Romam Hiſpanos euocarunt, ac Pontificem eò periculi adduxerunt, vt non aliter, quàm Regis Franci, Romanæ iam olim Eccleſiæ protectoris, copiis eximi poſſe videretur. Quam in rem ſedulam, vt par erat, operam Turnonius impendit, Rege per litteras nunciósque excitato, vt valido in Italiam exercitu, ſi aliter non poſſet, ſubmiſſo, Hiſpanos ad Romanas portas volitantes abigeret; reſtitutóque in libertatem Pontifici redintegrandæ honeſtis conditionibus pacis redderet facultatem. Sed præſtat de hoc eius conſilio Lambinum, qui tunc Romæ aderat cum ipſo Turnonio differentem audire. Memoria, inquit, tenebant te cùm Pontificem Maximum in belli ſtudium incumbere videres, inſtigante præſertim fratris eius filio Cardinali Carafa, cui Deus immortalis dignum flagitioſa vita, ſceleratiſque factis, exitum dedit, Regi per litteras ſuaſiſſe vt in ſententia maneret, pactáque & ſibi honeſtiſſima, & populo ſuo vtiliſſima ſanctiſſimè, religioſiſſiméque obſeruaret. Sua quidem omnia Pontifici Maximo bellum Columniis inferre meditanti pro ſua dignitate ac maieſtate polliceretur, laborantíque ſedulò ſubueniret, eum tamen precibus omnibus obſecraret, ne bellum renouando ſpem pacis penè

Lambin. in Satyr. Horatij.

Annus Chriſti. exploratam turbaret, atque ex manibus extorqueret. Quòd ſi ille de belli gerendi ſententia, neque difficultate deterreri, neque precibus dimoueri poſſet, ita Rex illum pecunia, viriſque iuuaret, vt neque eum deſertum eſſe pateretur, neque Induciarum pactum infirmaret. Hæc tua fuit de bello illo Romanis calamitoſo nobis propè funeſto ſententia.

Capvt IX.

De Romana eius mora, Præfectura Reomaenſi, & Decanatu Cardinalium.

NEmo hæc vel certiùs vel elegantiùs deſcripſerit, quàm Lambinus comes eius aſſiduus. Tu autem, inquit, cùm paſſim bellicum caneretur, paſſim delectu habito milites conſcriberentur, neque, vt inquit ille, audiret currus habenas tempeſtatem futuram multò antè proſpiciens voluntate, & conſenſu ipſius Pontificis Maximi, cuius apud te grauiſſima ſemper & ſanctiſsima fuit authoritas, quamuis multa eius inſtituta, actáque non admodum tibi, vt credibile eſt, probarentur, ex vrbe diſceſsiſti, triennium & eo ampliùs Roma abfuiſti, menſes circiter quindecim in Vmbria, ſex Venetiis, in oppido Corneliano annum moratus es. Inde longo itinere valetudinis cauſa ſuſcepto ad aquas Lucenſeis de Medicorum ſententia profectus es. Vbi cùm de Pontificis Maximi obitu multorum literis certior factus eſſes, tibíque inſtarent non ſolùm tui, verùm etiam alieni, & tamen tui amantiſsimi, vt Romam ad Comitia Pontificia mari contenderes (nam te terra iter facere aduerſa valetudo prohibebat) vix tandem peruicerunt. Ita Romam nauigaſti, non ſpe Pontificatus adipiſcendi, quem ſpe rauiſti nunquam, ac nec optauiſti quidem, ſed Eccleſiæ Romanæ laborantis iuuandæ ſtudio incenſus; & in comitium Cardinalium ad v. Idus Septembris expectatus introiſti.

1559. Vertebatur tunc annus CIↃIↃLIX. quo exeunte cùm Turnonius, vt addit Lambinus, plurium promeruiſſet ſuffragia, ſuperior tamen eo fuit ac potior ſuffragiis Angelus

Medices, cui nomen Pij IV. mox fuit. Is Turnonium, vt par erat, fecit maximi. Non enim, vt ſcribit Lambinus, audierat ſolùm id quod omnium ſermone celebratum, omniúmque teſtimonio confirmatum, ac comprobatum eſt, eum ſingulari ſapientiâ, animi magnitudine, grauitate, conſtantia, iuſtitia, integritate præditum eſſe, ſed quotidie in priuatis & publicis de Religione, de Eccleſiæ Romanæ ſtatu, negotiis experiebatur, & in conſilio dando fide, & in ſententia dicenda ſapientia, prudentiáque ſingularem. Ac ne ſuum de eo ſenſum ſola contineret mente, duplici illum dignitate auctiorem per hæc Pontificatus initia eſſe voluit. Nam cùm in ipſis Comitiis, quibus lectus fuit fato ceſſiſſet Hieronymus de Capiteferreo, qui Reomaenſi Monaſterio præfectus erat, eam dignitatem ad Franciſcum Turnonium tranſtulit Pius IV. ſtatim ac Pontifex fuit renunciatus. Nec multò poſteà, cùm Cardinalis Bellaij deceſſu vacuus eſſet Oſtienſis, ac Veliternus Epiſcopatus, in eum inductus eſt à Pio Turnonius, & Romani Collegij Decanus factus. *Annus Chriſti.*

Capvt X.

De poſtrema eius reuerſione in Galliam.

Pavcis antè diebus, quàm creando Pontifici indicerētur Romæ Comitia, funeſtiſſimo infortunio deſierat eſſe in viuis Henricus II. Rex Francorum, locúmque eius adierat Franciſcus II. penè puer, móxque, vt in tenera Regum ætate ſolet, aula in factiones, ambitioſáque ſtudia diuulſa, ſecretis odiis inter Regni Proceres certabatur, nec vanus metus erat, rem breui in apertas diſcordias, inteſtináque bella erupturam. Ergo dum partium ſtudiis laborant conſilia, viſum eſt Regni moderatoribus è re eſſe, vt Cardinalis Turnonius vir profundæ prudentiæ, ac longo rerum vſu perſpectus, nullíſque addictus partibus Roma ad conſilium Regium accerſeretur. Idque eò procliuiùs prouiſum, quod miſerabili fato hæreſis cauſa in haſce aulicas

factiones ſe inſinuaſſet, cuius fraudi atque impotentiæ amoliendæ, ac frangendæ ille cùm primis idoneus videretur. Ægrè impetratum eſt à Pio IV. vt eo carere vellet, ſed triſtibus, vt ait Lambinus, iiſque crebris è Gallia allatis ad ſe de Religione litteris, ac nunciis commotus, cùm cuperet florentiſſimo, potentiſſimóque Regno pro paterno in omnes Chriſtianos amore conſulere, eum vnum ad eas partes aptiſſimum iudicauit, cùm præſertim Rex ipſe Franciſcus II. & mater, Conſiliariíque Regij eum quotidianis literis à ſe flagitarent, eámque ob cauſam triremes quatuor in portum Oſtienſem partim ventis prouectæ, partim remis appulſæ eſſent, quarum erant duæ Regiæ è portu Maſſilienſi profectæ, reliquarum duarum altera à Coſmo Florentiæ regulo, altera à Ciuitate Genuenſi rogatu Regis erat miſſa. Ita eum Pontifex Maximus Pius IV. à ſe diſcedere, atque in Galliam reuerti paſſus eſt, vt hominem ſibi cariſſimum non libenter, vt ad ſedandas diſcordias, Eccleſiæque Romanæ authoritatem ſartam tectam conſeruandam accommodatiſſimum, non inuitus. Vix Maſsiliam prætervectus erat Rodano Lugdunum petens, cum cauſa illi doloris oblata à Carolo Podienſi Mombrunio, qui proxima affinitate iunctus Turnoniis, arma pro hæreticis primus ea in regione mouit. Sed eum Cardinalis nunciis ac litteris ab impio tunc auſu abduxit, eodémque poſteà relapſum non ceſſauit reuocare, donec ſua illum facinora perdidere.

[margin: ...n's ...riſti. ...mbinus Satyr. ...tarij.]

CAPVT XI.

Collegium Turnonenſe Societati IESV attribuit.

ALTERA illi in hoc itinere doloris cauſa fuit à Collegio Turnonenſi: cùm enim anno CIↃIↃXLII. partim popularium ſuorum miſeratione, qui Magiſtrorum inopia, vel imperiti conſeneſcebant, vel ad Magiſtros non ſanæ fidei extra prouinciam adire cogebantur, partim doctorum hominum conſortio, quod maximi ſemper fecit, frui perceptans Turnone gentilitia vrbe ſplendidiſsimas ædes ex-

ædificaſſet, in quibus viri doctrina excellentes humanas omnes diſciplinas auditoribus vndequaque confluentibus traderent, antiquámque in illis pietatem ex præſcriptis ab ipſo legibus conſouerent. Atque anno ſubinde CIↃIↃXLII. vt ardor ſtudiis ſplendórque creſceret, iura Vniuerſitatis à Rege ac Pontifice Collegio illi ſuo impetraſſet. Hoc demum anno CIↃIↃLX. quo Roma rediit, & Turnone iter habuit, adeò ſpes omnes, conſiliáque ſua comperit euanuiſſe, vt Ioannes Peliſſo vir eruditus quem Collegio præfecerat, Profeſſores prope omnes Luteraniſmo infectos, diſcipulos eodem præcipitare, rogatus de ſtatu Collegij teſtaretur. Quin & res ipſa, quantum in Collegio labis eſſet illicò patefecit, cùm eò impudentiæ proceſſerint, ſiue diſcipuli, ſiue Magiſtri, vt ad ipſas caſtri Turnonij portas, dum adeſſet Cardinalis, maledica quædam in Pontificem & Cardinales ſchedia affigere non dubitarent. Quæ res ita illius animum conuulnerauit, vt crebrò ædes illas ſuas in quiduis aliud quàm Collegium ſe mutaturum minaretur. Verùm cùm Petrus Villarius, qui poſteà fuit Viennenſis Archiepiſcopus, & Vincentius Laureus, qui poſteà factus Cardinalis, aliique viri grauiſsimi, ac literatiſsimi, quos domi plures alebat, ei de Collegio illo Societati IESV addicendo ſuggeſsiſſent, in hac ſtatim cogitatione, conſilióque conquieuit. Etenim cùm ab anno CIↃIↃXLII. qui alter fuit à Societate confirmata ſuauiſsimum de ea guſtum cepiſſet in Alphonſo Salmerone, & Paſchaſio Broeto, quos ex Hibernia Pauli III. Pontificis legatione reduces, ac pro exploratoribus Lugduni captos carcere exemerat, domi aliquandiu ſecum habuerat, equiſque ac viatico Romam abeuntes liberaliter inſtruxerat: tum Romæ poſteà cum ſancto Ignatio, ac Lainio ſæpè verſatus, quantum in Societate eſſet, contra enaſcentes tunc hæreſes præſidij, quantúmque in promouendis cum pietate litteris induſtriæ perſpectum habebat. Itaque Vincentio Laureo illicò imperat, vt ad Iacobum Lainium Societatis Præpoſitum ſuo nomine det litteras, quibus ſignificet ſe Turnonium Collegium Societati tradere, optaréque vt optimi eò Magiſtri quam-

Annus Chriſti.

Annales Societat. tom. 2 lib. 4. n. 85.

1560.

Annales Societat. tom. 2 lib. 5. n. 190.

Annus Chriſti. primùm mitterentur. Scripſit Laureus Calendis Octobris anni cIↃIↃLX. & proximo pòſt anno Lainius in Galliam à Pontifice Legatus Eleuterium Pontanum, Emundum Augerium, Ioannem Baptiſtam Violam, & alios Turnonem miſit, qui adita Collegij poſſeſsione docendi initium v. Nonas Maias fecere. Nec multò poſteà dum ad S. Germanum in Laya degeret, ſolemnibus literis noſtros in iura Vniuerſitatis induxit ſignatoribus præter Villarium & Laureum quos dixi, Ioanne Fournerio Pariſienſi Doctore, & Bono Broueo Senatus Pariſienſis Præſide.

Capvt XII.

Comitiis Regni Aurelianenſibus intereſt.

INterea poſt ſcriptas à Laureo quas dixi litteras, accelerauit Turnonius iter Lugdunum, atque inde Aureliam, quo Rex Comitiorum cauſa ad xv. Cal. Nouembris erat acceſſurus. Præuertit paucis diebus Rex Turnonium, eúmque aduenientem exquiſitis honoribus eſt proſequutus. De iis Lambinus qui aderat ſic ſcripſit. *In Satyr. Horat.* Quis fuit nuper tuus in Galliam ex Italia reditus? Quæ Aureliani, qua in vrbe trium Regni ordinum conuentus habebatur, à Principibus & Nobilibus facta tibi gratulatio eſt? Qui plauſus, quæ ex tuo aduentu perceptæ lætitiæ ſignificatio? Quo te vultu Rex Franciſcus II. paucis antequam diem ſuum obiret diebus, quo Catharina Medicæa mater eius excepit? Qui complexus, quæ lacrymæ, partim gaudio, partim eorum quæ in Gallia te abſente acciderant recordatione profuſæ? Lætabuntur omnes ſcilicet eum difficilibus & turbulentis Reipublicæ temporibus ſaluum & incolumem longo interuallo patriæ eſſe redditum, qui non vinculis, non terrore, non pœna, non cruciatu, ſed ratione, conſilio, prudentia, ſapientia, ciuiles diſcordias ſedare, belli inteſtini incendium reſtinguere, diſſenſionibus de religione modum finémque conſtituere poſſet. Vertere ſe tamen hæc omnia breui in mœrorem, ſiue ob principum virorum

diſsidia, ſiue ob iuuenis Regis fatum, qui die Decembris quinta ſublatus Carolo IX. locum ceſsit. Huius primordiis ob teneritudinem ætatis electi rectores Regni, ac Conſiliarij, inter quos Turnonius non vltimo loco fuit. Tum Comitia Franciſci II. morte nonnihil interpellata coiere Idibus Decembris, in quibus magno Turnonij dolore illa primùm eſt vox audita, vt iis qui ex Proteſtantibus nobiles eſſent, Templa conuentuum ſuorum cauſa habere ne eſſet interdictum. Quam vocem illo, aliiſque Eccleſiæ Proceribus agentibus ita repercuſsit Orator Eccleſiaſtici Ordinis, vt ij quoque qui authores fuerant, eius abs ſe inuidiam amoliri omni ope conarentur. Dimiſſa dehinc ad tempus Comitia, & ad proximum Maium reiecta. Quo interuallo Turnonius non ſolùm paci conciliandæ inter Principes Galliæ viros, qui pernicioſis inter ſe odiis diſſidebant, omnem operam poſuit. Sed diuiſa etiam in ſuos Lugdunenſes ſolicitudine ſtatuta Synodalia olim abs ſe, ſuiſque Epiſcopis ſancita euulgauit. Reuocata ſubinde ſunt anno CIↃIↃLXI. Regni Comitia, non Maio, vt erat condictum, ſed Septembri menſe, primùm ad Pontem Eſiæ, tum ad S. Germanum, in quibus Primarij Cardinalis dignitatem inſigniter eſt tutatus Turnonius.

Annus Chriſti.

Petramellarius.

Robertus.

1561.

Capvt XIII.

Egregiam Eccleſiæ operam præbet in Conuentu Piſciacenci.

INtvmescentibvs magis quotidie, ac magis Sectariorum in Regno tumultibus, ac factionibus, viſum eſt Regni moderatoribus eſſe è Republicâ; vt Eccleſiæ Prælati Piſciacum haud procul Pariſiis conuocarentur, non ſolùm vt Eccleſiæ facultatibus ærarij Regij egeſtatem ſubleuarent, ſed eo etiam maximè, vt diſpicerent quibus modis virorum Eccleſiaſticorum mores componi poſſent, quorum lapſus & corruptelas, hæreſum buccinatores, ſchiſmati ac tumultui ſuo velut cauſam prætexebant. Verùm

Annus Chriſti. ambiguum eſt cuius malûm ſuggeſtione factum fuerit, vt Nouatores qui nihil aliud in ore haberent, quàm liberum Concilium eò quoque, vt de erroribus ſuis contra Theologos diſceptarent, tanquam ad liberum Conuentum ſint accerſiti. Quæ res vt laudis non vulgaris, ita moleſtiſsimi negotij Turnonio ſeges fuit. Nam primùm nihil non egit, vt conſilium exemplo inſolens, auſu temerarium, euentu perniciosſum diſturbaret. Ita vbi ex improuiſo ad diem Septembris ſeptimam Regni Cancellarius ad Prælatorũ cœtum de hæreticis diſceptandi cauſa eundem in cœtum admittendis ſermonem fecit, Turnonius Regi quidem, ac Reginæ, qui adfuere magnas Eccleſiaſtici eiuſce cœtus nomine gratias habuit, quòd illam ſua cohoneſtare præſentia dignarentur. Sed quòd Cancellarius verba feciſſet de hæreticis eò admittendis, quódque alias longè ob cauſas cœtus ille coactus eſſet, æquum dixit ſibi videri, vt quæ propoſuerat ſcripto ederet, quo Eccleſiaſtico cœtui fas eſſet ea de re ire in conſilium. Negauit abruptè Cancellarius quod petebatur, multúmque inſtanti Turnonio totam hanc diſsipandi negotij viam præcluſit. Ergo poſteaquam hæretici nebulones Eccleſiaſtici Ordinis, Conciliorum ac Patrum iudicia libello dato eierarant, coacti fuere Cardinales ſex, Epiſcopi ſex & triginta, magnóque numero alij Preſbyteri, ac Doctores audire Theodorum Bezam ore impuro blaſphemos errores ſuos ſine probationibus, & argumentis, quaſi ex indiculo lapſando interim, ac balbutiendo horam benè longam recitantem. Inter quæ dum auſus eſſet homo perfidiſsimus eam vocem effutire, Tantum ab Euchariſtiæ Sacramento abeſſe Chriſti corpus, quantum à terra cœlum. Cohorruit videlicet Turnonius, & in pedes erectus Regi ſupplicauit; vt vel illi os obſtrueretur, vel Eccleſiaſtico cœtui eò liceret abire, vbi has vocum impietates non audiret. Quæ obteſtatio, etſi fucato publicæ pacis ſtudio, quod huius colloquij authores obtendebant, non eſt audita, tamen Bezanum in dicendo frigus multò congelauit ampliùs, longámque illi poſteà ineptarum excuſationum, atque apologiarum materiam ſuppeditauit.

dictauit. Dixit impius Bambalio, & Turnonius Regem compellans præſagiſſe dixit animum non ſolùm ſibi, ſed toti etiam Eccleſiaſtico cœtui, non ſine Dei iniuria abiturum hoc colloquium, quod tanta omnium hominum inuerecundia ſuſceptum eſſet. Cuiuſmodi enim illud eſſet quod coram Rege Chriſtianiſſimo tam aliena à Chriſtiana pietate auſi ſint impudentiſſimi homines blaterare. Cuiuſmodi verò etiam quòd leuiſſimi Nouatores non antiquorum Patrum traditionibus, non Conciliorum decretis, ſed futilibus ſuis tantùm Scripturæ interpretamentis fidem eſſe in eo Regno poſtularint, cuius fides tot Patrum, tótque Conciliorum doctrina ſit fundata. Denique quantæ illud eſſet temeritatis, atq; abſurditatis, quòd hæreſeos inſimulati, ac rei laica ſibi tribunalia flagitantes Eccleſiaſticum Ordinem non pro iudice, vt par erat, ſed pro actore coram laicis eſſe velint. Itaque mandatum ſibi à ſacro Ordine dixit, vt eius Maieſtati ſignificaret non alio ſe, quàm auguſtæ ipſius præſentiæ reſpectu ductum, vt eorum verba auribus admitteret. Sed quando eo eſſet proceſſum poſtulare vt eorum, quæ dicta erant confutationi diem certam dicat. Deſcenſurum enim Ordinem ſacrum in omnem conditionem, vt non ipſi modò de cuius religione à Maioribus tam procul deriuata nihil ambigat, ſed vt cæteris quoque omnibus quantum præ mendacio valeat veritas, liquidò ſit perſpectum. Dicta eſt dies decima-ſexta Septembris, ad quam diem Carolus Cardinalis Lotaringus acerrima, fundatiſſimáque oratione docuit, non Regum, non Magiſtratuum, ſed eorum tantùm qui ſacro Ordini ſint aſcripti munus eſſe ea quæ ad fidem pertineant diiudicare. Eam verò ad rem non nudas tantùm Scripturæ ſacræ voces, ſed veterum etiam Patrum interpretationes ac traditiones vſui eſſe oportere. Tum delapſus ad Euchariſtiæ Sacramentum omni argumentorum genere validiſſimè confecit veram in eo eſſe corporis Chriſti ac ſanguinis præſentiam, Regem extremo obteſtatus, nequid de tam veteri, támque conteſtata veritate delibari in Regno ſuo pateretur, atque in eo maximè tot ſibi à Regibus hæreditario tranſmiſſum Chri-

Annus Chriſti.

Annus Chriſti. ſtianiſſimi nomen repræſentaret. Acceſſit poſtquam ille dixerat, Turnonius ad Regem toto ſe Ordine Eccleſiaſtico circunfundente, teſtatus hanc Catholicæ, hanc Gallicæ cum primis Eccleſiæ fidem ſemper fuiſſe, & pro ea paratos, qui adſint omnes ſanguinem fundere, authoréſque illi eſſe, ſi qui huic fidei obſtrepant, damnet eos ſilentio, atque abs ſe procul ableget. Audiit pro eo ac debuit Rex Cardinalem, nec aliis conuenticulis, quæ frigida deinceps ibi, ac colluſionibus cum dubiæ fidei hominibus plena fuere, ſuam poſteà commodauit præſentiam.

Capvt XIV.

Franciſci Cardinalis Turnonij extremus morbus.

Non ſolùm ſarciendæ Religionis concordiæ fruſtra fuit Colloquium illud Piſciacenſe; cuius iniquitas hoc tantùm obtentu velabatur, ſed règnum è contra maioribus multò diſcordiis implicauit. Nam eo tantùm quòd in illo Regni theatro facta eſſet poteſtas perditiſſimis hominibus, vt errores, quos in luſtris antè, ac tenebris vix mutire audebant, impunè euulgarent, factus eſt vbique animus iis, quos illa peſtis afflauerat, Catholicorum tentandi patientiam. Itaque perſonare iam cœperunt vbique compita profanis Clementis Maroti Canticis, nec aulæ tantùm, ſi quæ in vrbibus erant ampliores, ſed etiam ipſæ Catholicorum Eccleſiæ ab hæreticis præconibus alicubi ſunt inſeſſæ. Quod cùm vi atque iniuria fieri ſibi conſciæ eſſent conciones hæreticorum armatæ videlicet conueniebant, ne à Catholicis loco pellerentur. Hinc vulgatus inter hæreticos primum, tum & inter Catholicos edictorum Regis, quæ arma in pace geſtari vetabant contemptus, nec diu poſteà irritatis animis ex immodica licentia ſentiendi ac diſceptãdi de religione armis alicubi ac cædibus eſt tranſactum, cui malo vt iretur obuiam coactus eſt ad S. Germanum cœtus, vt Galli vocant Notabilium, qui tunc fuere Præſes vnus è quolibet Senatu, & Conſiliarij duo. Horum con-

ſultu concinnatum eſt Edictum anno CIↃIↃLXII. cui à menſe Ianuario, quo fuit promulgatum, indita eſt appellatio. Eo facta poteſtas hæreticis cœtus, ac conciones habendi extra vrbes, templa Catholicorum, quæ inuaſerant adempta, vrbium occluſa ſepta, Imaginum amolita iniuria, diſceptationes de Religione interdictæ, armorum geſtationi; omníque conflictui pœnæ additæ. Verùm non tantùm ſuperauit remedia malum, ſed ex ipſis etiam ſuſcepit incrementa. Dum enim hæretici quæ vſurparant obſtinatè retinent, & Catholici quæ olim ſua erant non deſerunt, exarſit toto Regno inteſtini belli funeſta flamma. Cuius conſpectu ita contabuit Turnonius, qui ad id tempus nihil non egerat ad fidei Catholicæ, Eccleſiæque ruinam prohibendam, vt nihil deinceps illi eſſet in vita ſuaue. Silentibus enim inter arma conſiliis, ac vi dominante nullus ei ſupererat gubernaculi tenendi modus. Itaque dolore preſſus animi morbum contraxit, quo eſt ad extrema perductus. Narrationem verò fortunatiſſimæ mortis eius aliis, quàm Hiſtoriæ Societatis verbis non facilè poſſim meliùs inſtituere, quæ Tomo II. lib. 6. §. 38. ſic habet.

Annus Chriſti. 1562.

CAPVT XV.

Polancus è Societate IESV morienti adeſt.

POLANCVS Pariſiis, aſſiduè concionibus Latinè habendis ad varia diſcentium Collegia ſalutarem nauabat operã, cùm à Cardinali Turnonio ad S. Germani grauiter ægrotante raptim accitur. Eum bonus ſenex generalem totius ſuæ vitæ confeſſionem excipere, & ſupremo tempore ſibi adeſſe voluit. Non deſtitit reuocare in mentem illi Polancus Chriſtianum officium, atque inprimis vt famulis, quorum plerique annorum flore apud ipſum conſumpto valdè ab re imparati relinquebantur, prouideret; reditus autem Eccleſiaſticos, vti ſacra poſtularent iura, diſtribuendos curaret. Quæ diligenter Cardinalis exequutus eſt. Et quoniam ad Turnonium Gymnaſium quidam ac-

Annus Chriſti. cedebant in amictu ouium lupi rapaces, ſummam Catholicæ doctrinæ inuiſa hæreticis capita diſertè complexam, quàm omnes, qui Turnone eſſe vellent profiterentur eidem Pater autoritate ſua confirmandam, vnáque decreta quædam ſpectantia ad honeſtatem morum propoſuit, quod item libenter fecit pius Princeps, & Iuſto Turnonenſi Domino, vt obſeruanda curaret plurimùm commendauit. Mirum eſt ſanè quantum alterius amore vitæ arderet, cùm iam ſe præ ſenio & infirmitate corporis Reipublicæ ſuperuacaneum diceret. Rogauit Polancum vt Pariſienſibus Sociis preces ad Deum indiceret, ſibi vt contraheret vitæ diem. Miſerebatur laborum, quos in ſe curando domeſticos videbat ſubire. Medicamenta, & quæ alia vitæ adminicula præbebantur, eo tantùm ſumebat quod id Deum velle ſciret, iubentem quoad ipſe euocet in cuſtodia corporis permanere. Quanquam interim videre ſe dicebat migrationem ad cœleſtem patriam ea re inuito ſibi differri. Ita exuerat immodicum erga cognatos amorem, vt neptem quæ Pariſiis ad eum viſendum venerat haud læto animo viderit, & abire confeſtim iuſſerit. Denique multis pro ſancta Eccleſia perfunctus laboribus, & tum maximè periclitanti patriæ ſolicitudine, & angore animi ingenti, priſtinum Catholicæ fidei tueri decus contendens annis cumulatus, ac benefactis, mortuus eſt x. Calen. Maij annum agens, vt Vincentius Laureus, qui valetudinem eius regebat, prodidit, tertium & ſeptuageſimum. In templo Collegij ſui Turnonenſis, quod Societati tradiderat humari voluit, & grato animo Societas non tanquam fundatori modò Collegij, ſed etiam veluti Ordinis totius parenti, ob ſingularem erga ſe pietatem meritos ſuffragiorum honores liberaliter ſoluit.

CAPVT XVI.

Inſignes Turnonij virtutes.

ITA deſiit eſſe illuſtre Galliæ lumen diuina prouiſione iis maximè temporibus Regno commodatum, quibus & Religio, & eruditio, & Reipublicæ ſtatus maximè laborabant. Erat enim in eo inprimis tam incenſum Religionis erga Deum ſtudium, vt qui eius ætate emerſerunt Nouatores, nullum conatibus ſuis ſenſerint infenſiorem. Itaque ij Galliæ hiſtorici, qui vel ipſi fuere hæretici, vel fauorem hæreticis impendere, hoc vnum in eo notare ſolent vitium, quod nimiũ in cauſa Religionis timeret. Quaſi rerum fides nõ docuerit nullum ea in re timorem eſſe nimium potuiſſe. Si enim, vt ille poſtulabat, Franciſci & Henrici Regũ ſemper obtinuiſſent interdicta, & pernicioſæ prurigini dubitandi, ac diſceptandi de rebus fidei facta fuiſſet, vt in primordiis, ita in progreſſu medicina, nunquam extitiſſet illud tempus, quo repentè Epiſcopi Arelatenſis, Trecenſis, Niuernenſis apparerent hæretici, aliiſque aliquot labaret fides, nec potuiſſent hæretici iactare apud Catharinam Medicæam per hæc extrema Cardinalis tempora, Eccleſias, vt vocabant, ſibi in Regno eſſe bis mille centum quinquaginta. Verùm hæc religioni eſt illata labes, dum genus omne hominum impune de ea audet vel diſſerere, vel audire, vel legere quidlibet Magiſtratu, aut diſſimulante, aut conniuente. Quam labem cum eo progreſſam videret Turnonius, vt virorum Principum etiam animos occuparet, & audacia effrænata in Piſciaſcenſi Colloquio ita porrò ſpargeretur, vt blaſphemis in ſacroſanctam Euchariſtiam vocibus audiente Rege, & Aula tota non parceretur, nullam poſteà cœpiſſe animo ſcribitur voluptatem. Politiorem ad hæc eruditionẽ eo conſilio magni faciebat, vt & hoc etiam ornamento Catholicã pietatẽ excoleret, & vanitatem Nouatorum retunderet, qui hominẽm hoc genere eruditum, eundem ſuæ peruerſitatis non poſſe ſectatorem non eſſe

Annus Chriſti.

mentiebantur. Hæ illi cauſæ fuere non ſolùm Collegij Turnonenſis inſtituendi, ſed etiam viros complures omni ſcientiarum genere celebres domi foríſque officiis, ac beneficiis proſequendi. Nullum enim fuit tempus, quo etiam inter peregrinationes non plures eorum aleret, libróſque illis inter pretioſas ſarcinas comportaret, quo ſtatim vt equo deſcenderant, ad ſtudium tranſire poſſent, atque erudita coràm ſe colloquia inter cœnandum miſcere. Huic illi vſui fuere Petrus Daneſius poſteà Vaurenſis Epiſcopus, Dionyſius Lambinus Pariſiis Profeſſor Regius, Vincentius Laureus poſtmodum Cardinalis, Arnoldus Ferrerius, Guillelmus Rondeletus, & alij. Denique ad gerendam Rempublicam ea vnus ſimul attulit omnia, quæ vel ſingula alium quomlibet rebus magnis facere poſſent idoneum. Vis enim illi erat animi nulli non multitudini, ac ponderi negotiorum ferendo apta. Vt meritò de illo ſcripſerit Michael Hoſpitalius,

Cuius conſilio res omnis publica noſtra
Dirigitur foris, atque domi, quæcunque gerantur.

Deinde ea erat eius in negotiis aſſiduitas, vt nulli vnquam fas eſſet ceſſantem reperire, quod pergit aſſeuerare Hoſpitalius,

Sed quæ te vacuum deprehendet nuncius hora
In tanto quæ te circunſtant agmine rerum?

Sed hæc duo quorum eſt in pauciſſimis coniugium comitas & integritas tam apud illum inſigniter coaluere, vt cùm nihil ab eo poſſet obtineri, quod vel minimum ab æquitatis linea detortum eſſet, tum ſi quæ id genus poſtularentur ea tam rationabili, támque comi, vrbanáque oratione, negaret, vt pluris apud multos eſſet illius recuſatio, quàm aliquorum conceſſio. Itaque rariſſimi illud fuit exempli, vt cùm ab Henrico II. Republica eſt amotus, nec inuidia laborarit, nec contemptu, eáque poteſtate non tam eiectus, quàm molliter depoſitus in portum exiſtimaretur.

PHILIBERTI NALDII BABOI BORDESERII

CARDINALIS ET ABBATIS LXIX.

Rerum geſtarum excerpta.

CAPVT I.

De Bordeſeria gente & ortu Philiberti.

CLARISSIMA fuit iam olim apud Turonenſes gens Baboa, cui à Toparchia factum eſt poſtea nomen Bordeſeriæ, ſed non aliàs magis eluxit, quàm Franciſco I. rerum in Gallia potiente. Quo tempore illuſtris cum primis fuit Philibertus Babous, non ſolùm domui Ludouicæ Regis Matris Præfectus, ſed etiam generalis Regiarum pecuniarum Quæſtor. Salmonius Macrinus lib. 4. carm. 24. abſolutè Quæſtorem Franciæ nominat: Annales nunc Theſaurarium, nunc Generalem Franciæ. Quæ appellationes geſſiſſe illum munus Quæſtoris largitionum, ſeu vt Galli vocant, *de l'Eſpargne*, videntur inſinuare. Huius enim generis vnicus tunc erat in Francia Quæſtor, à Franciſco Rege recens inſtitutus. Cæterùm ſic illũ Macrinus compellat.

Nos opum Baboe inopes, & harum
Neſcij rerum pretioſiorum
Mittimus verſus, & inocioſæ
Dona Thaliæ.
Tu modò, ô fautor, Philiberte, vatum,
Arduas quo cum Ludouica curas
Vſque partitur, domui & regendæ
Præficit vnum.
Fac, precor, quando potes ipſe, ſortem,
Vt meam Herois mutet illa præſtans
Pauperem, ne me malesuada quondam
Vexet egeſtas.

Annus Chriſti. Philiberto filij fuere duo, & maioris quod ſciam nomen nondum eſt proditum, licèt ſatis conſtet eum Regiis ſubſtructionibus quæ frequentes tunc ac magnificę fuere præfectum. Minor Iacobus eſt dictus, qui admodum iuuenis inter libellorum ſupplicum Magiſtros allectus, breui poſteà Epiſcopatu Encoliſmenſi Regia eſt nuncupatione donatus. Egit in Epiſcopatu annos nouem, neſcio an facta ætatis gratia conſecratus, ſed tamen anno XXI. non maior deceſſit è viuis CIↃIↃXXXII. Nouembris XXI. vt legitur in eius tumulo ad S. Martini Turonis, cui etiam Eccleſiæ Præpoſitum illum fuiſſe docent hi verſus ibidem inſcripti.

Exta ſepulta iacent Iacobi Præſulis olim
Encoliſmenſis de Baboo genere,
Qui templo Martine tuo Regiſque libellis
Præfuit, hunc iuuenem mors inopina rapit.

Prodiit ex filio Philiberti Quæſtoris natu maiore & Maria Gaudina coniuge primo loco Ioannes Babous, qui Regio Henrici II. cubiculo fuit, vt infrà dicam, Præfectus: ſecundo loco is de quo agimus Philibertus Babous Cardi-
1513. nalis ad annum Chriſti CIↃIↃXIII. quem auus ac pater nullo inſtitutionis atque eruditionis genere à prima pueritia carere ſunt paſſi, vt res ipſæ ſubinde docuere.

CAPVT II.

De primis honoribus Philiberti Cardinalis Bordeſerij.

ERANT eius ſæculi ij mores, vt Sacerdotalibus infulis donarentur nuncupatione Regia, qui viriles etiam annos nondum attigiſſent. Itaque Philibertus Latinis, Græciſque litteris in Pariſienſi Academia egregiè excultus, Ia-
1532. cobo Patruo ſuffectus eſt in Epiſcopatum Encoliſmenſem annos vix natus decem & nouem. Nec ea illi dignitas ſtudiorum, vt pluribus, ceſſationem, ſed acceſſionem attulit. Nam ſexto pòſt anno Ioannes Gilotus Iuriſconſultus, dum ſua eius nomini iuris Themata inſcripſiſſet, miris laudibus ſtudia

eius, atque eruditionem commendabat. Nihilóque ſecius *Annus Chriſti.*
prudentiam illi ac gerendarum rerum peritiam addebat ætas, ſiquidem annis circiter poſt hæc nouenis, cùm Henricus II. ad Regni gubernacula manus primulum admouiſſet, adeò eſt in agro Encoliſmenſi, Santonenſi, aliiſque aliquot Aquitanicis à plebe, propter Salinarium vectigal exaſperata, tumultuatum, vt nec à Publicanis, nec à Iudicibus, nec à Prouinciæ Præfectis manus abſtineret. Quòd ſi vt in agris ita in vrbibus graſſata eſſet rebellio, timebatur meritò non leuis pernicies. Egit itaque Philibertus Encoliſmenſis Epiſcopus, & oratione qua plurimùm poterat apud ſuos, & authoritate apud vicinos nobiles, & acri omnem in partem vigilantia, vt ciuitas Encoliſmenſis perſtaret in officio, & perduellium turbæ diſiicerentur. Hæc illi cauſa ad Regis gratiam primùm viam aperuit, nec longæ interceſſere moræ, quin Pariſios euocatus, in Regium aſciſceretur conſiſtorium, in quo dum ingenij ac prudentiæ ſuæ vim maximam Regi, Proceribúſque egregiè probat, idoneus eſt viſus, qui ad Paulum IV. Pontificem Legatus ad annum CIↃIↃLVII. mitteretur. Tanta verò etiam tunc in aula gratia florebat frater eius Ioannes Babous Bordeſerius ſecreto Regis cubiculo Præfectus, vt cùm Andelotius Gaſparis Colinij frater eſſet poſthæc auſus coram Rege Caluiniſmum præfractè profiteri, eum Rex Bordeſerio, vtpote gratioſiſſimo, & Catholicæ Religionis ſtudioſiſſimo tradiderit cuſtodiendum. Integra fuit Rex in fratrem vtrumque gratia donec aduixit, cúmque à Philiberto Legato mox expetiiſſet, vt omnem adhiberet artem, ne Philippus Rex Hiſpaniæ, qui Eliſabethæ Angliæ Reginæ nuptias ambire credebatur, legibus cognationis, quam ex coniugio cum ſorore eius contraxerat, à Pontifice ſolueretur, eam eſt expertus in illo induſtriam, vt ſi vſus fuiſſet, nihil hinc Regno timere oportuiſſet detrimenti. Sublato ſubinde Hẽrico II. ac breui poſteà Franciſco eius filio, cùm Nouatores erumperent vndequaque, nihílque aliud tota Gallia fremerent, niſi Concilium liberum, eâque voce ipſos etiam Catholicos, qui minùs eorum nequitiam perſpi-

Annus Chriſti. cerent, non parum commouerent. Incredibile dictu eſt, quantum Philiberto Romæ moleſtiarum fuerit concoquendum, ne vel Pontificis, vel Magnatum Galliæ offenſioni pateret.

Caput III.

Cardinalium Collegio adſcribitur, Autiſiodorenſi Epiſcopatu, & Reomaenſi Præfectura donatur.

1561. GRATIAM verò ab vtriſque iniiſſe non vulgarem euenta docuere, cùm anno CIϽIϽLXI. qui Carolo IX. & Pio IV. Pontifici ſecundus, prona iſtius voluntate, & benigna illius poſtulatione inter Cardinales aſcitus IV. Calen. Martij, ac titulo S. Sixti ſit attributus. Anno circiter
1562. poſt hæc lapſo vacuam Cardinalis Turnonij morte Reomaenſis Præfecturæ poſſeſſionem iniit, vt Monaſterij indicant monumenta. Atque res interim Gallicas dum Romæ gerere pergeret calamitatem multis antè ſæculis inauditam in Encoliſmenſi perpeſſus eſt Eccleſia. Nam cùm inde ab anno CIϽIϽLIX. quo viuere deſiit Henricus II. ſupina Præfectorum negligentia permiſſus eſſet Encoliſmenſis quidam ciuis hæreſim inter ſuos diſſeminare, eáque per Regum qui ſucceſſere pueritiam incredibiliter ſuccreuiſſet, vbi primùm hæreticus furor prætextu violati Ianuarienſis Edicti propalam cepit armatus volitare, tanta ſe rabie anno CIϽIϽLXII. in ſacra omnia Encoliſmæ effudit, vt non ſolùm ſacramenta die, & palam profanarit, ſacras Imagines contriuerit, Eccleſias igne corruperit, ſed etiam Principum Regij ſanguinis, quorum illa erat ditio, ſepulcra violarit, Ioannis Encoliſmenſis viri optimi, ac integerrimi, qui Franciſci I. Regis auus fuerat, corpus cui naturalis corruptio pepercerat, deſpectui ac ludibrio habuerit, nihilque auaritia & crudelitate intactum reliquerit. Præfuiſſe enim adhuc Encoliſmenſibus Philibertum Bordeſerium, cùm hæc fierent, teſtatus eſt Belloforeſtus Coſmographus in Encoliſma ſua, ex quo conficitur Autiſiodorenſem Epiſcopa-

tum, quem illi Petramellarius & alij attribuunt, non multò ante extremos annos potuiſſe obtingere. Quo tempore cùm Philippum Lenuncutium aliquot ab annis Autiſiodori præfuiſſe, ac diutiſſimè Philiberto ſuperſtitem vixiſſe ſit compertum, videlicet dicendum eſt, de Epiſcopatu inter eos ceſſione, vel permutatione tranſactum. Atque hæc dum in Gallia abſenti tribuuntur, non deerant etiam quæ præſenti Romæ conferrentur, ex S. Sixti titulo ad S. Martinum in montibus, atque inde ad S. Anaſtaſiam traducto. *Annus Chriſti.*

Capvt IV.

Virtutes eius & honorificæ cognationes.

NOn vulgares ſunt virtutes, quibus eum inſignem fuiſſe Scriptores aſſeuerant. Qui enim è Gallis æuo illius propior fuit Belloforeſtus ſic tradit. Præeſſe Encoliſmæ vidimus Epiſcopum Beboum Bordeſerium Cardinalem virum illuſtrem probitate, comitate, atque omni genere litterarum, qui maximis rebus gerendis adhibitus, inſignibúſque legationibus Henrico II. Franciſco II. & Carolo IX. regnantibus eſt perfunctus. Petramellarius duplici eum laude prudentiæ, & doctrinæ commendabilem fuiſſe ſcribit, alij Græcè Latinéque doctum. Porrò per Ioannem fratrem longa illi atque honorifica cognationis ſeries ad hanc vſque ætatem eſt propagata, ſiue minorem natu eius filium Georgium ſpectes, qui Carnutum Præfectus hactenus ſtirpe in maſcula familiæ nomen conſeruauit, ſiue maiorem Ioannem Comitem Sagonæ, qui per filiarum alteram Franciſcam gentem Bordeſeriam inſeruit non ſolùm Marchionibus de Cœuure, ex quibus hodie ſupereſt Hannibal d'Eſtree Equitum Tribunus, ſed etiam Ducibus Vindocinenſibus: per alteram verò Iſabellam Bordeſeriam coniunxit gentem ſuam familiæ d'Eſcoubleau, in qua nepos illi fuit Franciſcus Cardinalis de Sourdis, vir pietatis, ac dignitatis, diſciplinæque Eccleſiaſticæ ſingulariter retinens: Henricus olim Malcacenſis Epiſcopus, nunc

Annus Chriſti. Burdegalenſis Archiepiſcopus fraternis veſtigiis ad merita ac decora Eccleſiaſtica proficiſcens, & vtroque natu maior Marchio de Sourdis militari gloria familiæ nomen adaugens. Eundem in numerum venit nobilis etiam Romæ familia, in qua omnibus virtutis, eruditionis, æquitatis, prudentiæ, ac rerum gerendarum ſcientiæ luminibus conſpicuum hodie nouimus Fabritium Bordeſerium Caualliceníem Epiſcopum.

CAPVT V.

Obitus Cardinalis Bordeſerii.

PERGEBAT res Galliæ gerere Romæ Legato Regio Domino de l'Iſle, aliiſque poſtmodum quod factu opus eſſet ſuggerentibus. In quo illud fuit egregium, quòd anno antequam fato fungeretur, à Pio V. Pontifice optimo, eius admonitu contra bacchantes toto regno hæreticos Duci Andium Regis fratri ſubmiſſæ auxiliares copiæ peditum IV. CIↃ. equitum IↃCCC. Quæ pars fuit exercitus quo ad Moncонturium hæreticæ copiæ fuerunt profligatæ. Lapſo poſt hæc circiter anno ad diem XXVI. Ianuarij repentina humorum in cor ruina oppreſſus occubuit, eiúſque corpus ad S. Ludouici Gallorum ſepultum lapide tectum eſt, cui hoc ineſt Epitaphium.

D. O. M.

Philiberto Naldio Bordeſerio S. R. E. Cardinali, trium Galliæ Regum Henrici II. Franciſci II. & Caroli IX. apud Paulum IV. & Pium IV. Pontifices Maximos legatione perpetua egregiè functo, Maria Gaudin mater, Philibertus, & Fabritius nepotes poſuerunt.

1570. Vixit annos LVII. obiit anno CIↃIↃLXX. VII. Cal. Februarij.

Annus Chriſti.

PHILIPPI DE LENONCOVR CARDINALIS ET ABBATIS LXX.

Rerum geſtarum excerpta.

CAPVT I.

De Philippi ortu, ac iuuentute.

GENTI Lenoncuriæ & nomen, & prima origo fuit à cognomine oppido Lotaringico, cui poſt longam maiorum ſeriem dominabatur Henricus Lenoncurius Philippi auus, cùm Robertus frater Henrici Cardinalitiam dignitatem in ſuam primus inuexit familiam anno Chriſti CIↃIↃXXXVIII. Quanquam longè antè dignitatum Eccleſiaſticarum decora in eam induxiſſet Robertus alter, qui poſt Turonenſes infulas Remenſibus adornatus, deſierat viuere ad annum CIↃIↃXXXII. Horum in honores, qui ſuccederet Philippus Lenoncurius lucem primò vidit haud procul Pariſiis in auito oppido Coupuray anno CIↃIↃXXVII. 1527. patre Philippo, Henrici quem dixi filio, & matre Ioanna Dinteuillia è Trecenſi nobilitate primaria fœmina. Is cùm primores annos litteris egregiè impendiſſet, vt primùm per ætatem potuit ad Antonium Borbonium Nauarræ Regem à patre eſt deductus, vt inter honorarios illius ephebos cenſeretur. Quo in munere eam Philippus à Rege Nauarræ gratiam iniit, vt magno Galliæ bono nullum tota deinceps vita Rex ille habuerit, cuius in ſinum res ſuas omnes, ac publicas quibus præerat, maiore confiſione deponeret. Vbi iã planè adoleuerat, atque ex ephebis exceſſerat, Robertus Cardinalis non patris eius frater, vt ſcripſit Petramellarius, ſed patruus, Romam concedens eum ſecum duxit, qui tunc, vt idem author aſſerit, vel propter nobilitatem familiæ, moréſque ingenuos, vel ob egregiam mem-

Annus Chriſti. brorum compoſitionem elegantiſſimus pulcherrimúſque Gallorum, qui in Italia degerent, equitum dicebatur.

Capvt II.

Primæ eius in Eccleſia dignitates.

Revertit in Galliam cum propatruo Philippus haud diu poſteà non omnibus ſolùm nobilitatis exercitamentis, ſed litteris etiam impenſè excultus, nec diſtulit, quin animum à militaribus votis breui auerteret, atque ad diuini cultus ſtudium applicaret, quæ res propatruo perſuaſit, vt renunciata in eius gratiam Monaſterij Charitatẽſis ad Ligerim Præfectura, cum Eccleſiæ autoraret, dumque magis in dies ac magis ſuum illi pronepos Eccleſiaſticæ vitæ, ac pietatis propoſitum probat, duas item alias ditium Monaſteriorum, Vngiacenſis, vt puto, & Rebacenſis Pręfecturas paucis pòſt annis in eum abs ſe transferret. His iam moribus atque opibus ſubnixum non difficile fuit Roberto ad Regem Henricum II. producere Philippum anno
1556. CIↃIↃLVI. vt Catalaunenſem Epiſcopatum, quem ipſe multis iam aliis donatus deſerebat, nuncupatione Regia promereretur. Debere ſe credebat Henricus Roberto, quòd Metenſis Epiſcopus egregiam præbuiſſet quadrienno ante operam in reuocanda ad Franciæ Reges Mediomatricum ditione, vt eius precibus prolixa beneuolentia ſatisfaceret. Itáque nullæ moræ ſunt interiectæ, quin is Epiſcopatus Philippo decerneretur, atque eo quem dixi anno eius poſſeſſio ab illo poſt inaugurationem adiretur. Anno dehinc CIↃIↃLX. Epiſcopatum quoque Autiſſiodorenſem, quo non diu erat potitus, Philippo Robertus detulit. Quo
1560. etiam anno poſt Franciſci II. Regis fata Antonius Borbonius Rex Nauarræ ad Regni Franciæ gubernacula, dum Carolus IX. adoleſceret, propter ſanguinis propinquitatem euocatus, Philippum ſibi ad intima omnia conſilia adeſſe iuſſit, adeóque res omnes, ac ſtudia ſuâ cum eo eſſe coniuncta voluit, vt cùm intercederet Philippo grauiſſima

lis recuperatoria aduerſùs Ducem Guiſium ob Comitatum Nantolienſem, quem iniquis conditionibus de Margarita Broia auia ſua emptum contendebat, non dubitarit Rex Nauarræ contra Guiſium pro Philippo ſuſcipere contentionem. *Annus Christi* 1571

Capvt III.

Egregia Regno opera præbita in Regis conſiſtorium adſciſcitur.

Nvlla erat per hæc tempora Regni calamitas maior, quàm ex intemperantiſſima circa res diuinas curioſitate, immenſa quædam incertitudo, & vacillatio ingeniorum, qua fieret vt hæreſis adminiſtri ex impudentiæ, omniûmque flagitiorum colluuione conflati, nihil artibus ſuis non peruium rati, omnium hominum, ſed eorum cum primis, qui magno dignitatis loco eſſent, animos pertentare non vererentur. Itaque cùm Rex Nauarrus ob Regiæ cognationis prærogatiuam Regno moderaretur, nihil fecere reliqui, quo non eius animum oppugnarent, vt ſe in fratris Condæi factiones abduci pateretur. In quo, quia erat extrema Regni labes, Philippus, quo nemo plus poterat in Nauarri ingenium, non ſolùm eum in officio erga religionem, ac Regem validiſſimè continuit, ſed etiam contemptis omnibus rei familiaris rationibus, ita eum cum Guiſio, Montmorancio, & aliis conſociauit, vt certa inde extiterit Regni ſalus, hæreticæq; perfidiæ manifeſta pernicies. Hinc videlicet manarunt authorum hæreticæ hiſtoriæ amara in Philippum conuitia. qui tamen dum hac in re, vel externorum Principum artes, vel eorum qui Philippo allaborarent auaritiam interceſſiſſe comminiſcantur, Philippo quid vitij impingant non habent. Senſit Nauarrus vtilitatem conſiliorum Philippi, tum ex ipſo rei honeſtiſſimæ ac laudatiſſimæ genere, tum ex eorum fortunato euentu. Itaque cùm nihil Regni ſalutem morari magis ſubinde aduertiſſet, quàm nonnullos verſutiæ apud homines, & prauæ

Annus Chriſti. fidei apud Deum ſuſpectos, qui ſe aulicis artibus in ſummas Regni dignitates, Regiúmq; conſiſtorium inſinuarant, animum induxit, iis ſubmotis alios auitæ ſincerǽque fidei ſtudioſiores, atque inter eos principem Philippum ad an-
1561. num CIↃIↃLXI in Regium conſiſtorium aduocare.

CAPVT IV.

Alii honores Philippo delati cum Præfectura Reomaenſi.

MAGNO quidem dignitatis ſuæ præſidio caruit eo, quem iam dixi anno, Philippus, cùm Robertum illi Lenoncurium Cardinalem mors ſubduxit, ſed multò ma-
1562. ximè anno CIↃIↃLXII. ad menſem Septembrem, in quem inauſpicata Antonij Borbonij Regis Nauarræ, quo maximè nitebatur, cædes incurrit. Sed vt virtuti ferè comes eſt honor, ita octauo pòſt anno, cùm eſſe in viuis deſiiſſet Cardinalis Bordeſerius, delata eſt virtuti eius à Carolo IX. Reomaenſis Præfectura, quæ ob Autiſiodorenſis Epiſcopatus, quem regebat vicinitatem, rebus eius magnoperè commodabat. Luctuoſum ſubinde atque aſperum non Regno minùs vniuerſo, quàm priuatim Philippo annum
1574. CIↃIↃLXXIV. ob Caroli IX. deceſſum mitigauit Henrici III. ſucceſſoris erga eum comitas ac beneuolentia. Is enim cùm viros eloquentes, ac moribus ſuaues magni ſolitus eſſet facere, tum Philippũ his aliíſque de cauſis medullitus eſt complexus. Itaque anno CIↃIↃLXXIX. cùm ex toto
1579. Epiſcoporum Galliæ numero quatuor tantùm in equeſtrem S. Spiritus ordinem, quem tunc inſtituit, cooptaret, Philippum cùm primis inter illos cenſeri voluit, ac ſexto pòſt anno dum moleſtæ illum factiones non hæretico-
1585. rum modò, ſed etiam Catholicorum vndequaque vrgerent, vt aliquam pacis Regno conciliandæ rationem iniret, Philippum delegit, quem ad iuuenem Nauarræ Regem Henricum legaret, pro antiqua ſua in Antonium patrem, & ipſum obſeruantia conſilia pacis perlaturum. Et exceptus

ptus ab Henrico Philippus fuit ea animi propenſione, vt *Annus*
ſi quam tùnc per fœderatos Catholicos diſcedendi ab ar- *Chriſti.*
mis ſpem concipere licuiſſet, non eſſet obſcurum eum animum reuertendi ad Catholicam Eccleſiam, quem ſenſu iam ac verbis præferebat, quémque illi poſteà Gallia abundè eſt gratulata, ab illo fuiſſe ſuſcipiendum.

Capvt V.

Cardinalatus & res in eo geſtæ.

Aditvs hinc Philippo ad Cardinalatum patefactus, quem Henrico III. plurimùm efflagitante aſſecutus eſt à Sixto V. in tertia octo Cardinalium promotione VI. Cal. Ianuarij anno CIƆIƆLXXXVI. Nec longo pòſt interual- 1586.
lo volente Rege Romam profectus exquiſitis honoribus à Pontifice exceptus eſt, atque ei congregationi mox Præfectus, quæ librorum prohibitorum indici conficiendo fuerat deſtinata. Inter illas Romæ moras audiit illum crebrò Sixtus V. de Henrico IV. quem anno antè vrgentibus Regni factionibus ab Eccleſia proſcriptum diris deuouerat. Cúmque Lenoncurius, qui parenti Antonio, illíque fuerat intimus, tùm de eius erga auitam religionem mente optima, quam ex neceſſariis cauſis tunc in apertum proferre non poterat, tum de animi magnitudine, militari peritia, ac fortitudine plura diceret, facilè animaduertebat, non leui Sixtum priſtini iudicij pœnitentia pulſari. Quæ deinceps cauſa fuit, vt nullis hoſtium Henrici artibus adduci potuerit ad quidquam inclementius contra eum mortuo deceſſore ſtatuendum. Nec dubium peritis morum Sixti fuit, quin ſi ad Eccleſiam illo ſuperſtite Henricus, vt poſteà, reuerti voluiſſet, obuiis illum vlnis fuerit admiſſurus. Minùs biennio Romæ egit Lenoncurius, quippe qui
anno CIƆIƆLXXXVIII. Henrico III. poſt Pariſienſem ſedi- 1588.
tionem, & nonnullas Carnoti moras, Rotomagi præſto fuerit, atque inde mox digreſſus Bleſenſibus cum ipſo Comitiis XVII. Cal. Nouembris interfuerit. Aſſiduas verò Conſiſto-

Annus Chriſti. rio Regio operas dedit poſt dimiſſa Comitia, cùm ob rebellionem Pariſienſem & Conſiſtorium, & Senatus eſſent in Turones tranſlata, ſed vt erant illis temporibus inter factiones infida omnia, Henrico III. ad ſequentis anni Auguſtum deteſtabili parricidio ſublato ambigendum ſibi non cenſuit, quin Henrici IV. cuius iampridem ſenſa intima habebat perſpecta partibus adhæreret, eandémque illi quam deceſſori in conſiſtorio operam impertiret, ratus, quod euenta docuere, animum eius inſtando, & adhortando citiùs multò ac faciliùs, quàm deſerendo, aut obnitendo à ſectariorum conſortio poſſe reuocari. Verùm, quæ erat temporum perfidia, vix September proximus adfuit, cùm graue illi periculum creauit ſecreta conſpiratio, non in illius tantùm, ſed & in totius Conſiſtorij, ac Senatus caput atrociſſimè, ni Deus auertiſſet, graſſatura. Ea tamen detecta ac diſcuſſa perrexit porrò Lenoncurius, Regi in Conſiſtorio adeò vtilis eſſe, vt Veneti cùm mox de ineunda cum ipſo amicitia diſceptatio eſſet Cardinalium maximè Vindocinenſis, & Lenoncurij exemplo, atq; apud Regem conſtantia, ſua in illum officia contra obtrectatores in tuto eſſe poſſe non dubitarint. Quin & Sixtus V. cùm anno
1590. CIƆIƆXC. Cardinalem Caietanum legaſſet in Galliam, atque ille neglecto Rege, ac Regiis cũ aduerſariis, tantum ſermonem commutaret, grauiter illum increpuit, quod non etiam cum Cardinali Lenoncurio de legationis ſuæ capitibus communicaſſet, memor videlicet eorum, quæ ab illo olim audierat, & nonnullam rebus turbatis tranquillitatem ab eius ſibi interuentu deſpondens.

CAPVT VI.

Philippi Lenoncurii extrema.

PENETRAVERAT altiſſimè in Regis conſilia Philippus, cúmque eius cum Eccleſia conciliationem, aliquando fore non dubiam certò ſibi perſuaſiſſet; tum inter infeſta factionum contra illum ſtudia, quæ ſectariorum co-

piis illi opus eſſe aſtruebant,non ſatis eam hactenus erat arbitratus maturam. Sed poſteaquam Catholicos qui cum Rege militabant, ipſóſque adeò Regij ſanguinis Principes prolixas hac in re moras pertæſos diſceſſionem ab ipſo, nouámque in Regno factionem apud Turones meditatos non obſcuris indiciis eſt ſubodoratus, tum verò rem ab exordio per ſecretas litteras Regi non diſtulit aperire, ratus nulla potentiore machina nutantem iamdudum animum ad id, quod Regno totique Chriſtiano orbi adeò erat ſalutare poſſe permoueri. Nec eum ſua fefellit coniectura; nulla enim toto hoc diſſidio res fuit, quæ Regis animum altiùs pupugerit, quæque illi maiorem profitendæ propalam eius, quam animo olim fouebat Catholicæ fidei procliuitatem attulerit. Verùm vt quidam ſæpè caſus incidunt omni humanæ ſolertiæ improuiſi: ita neſcio quomodo euenit, vt Lenoncurij litteræ à Rege amiſſæ in Principum, de quibus ſcriptæ fuerant, manus peruenirent. Quæ illi res, & atrociſſimam in præſens contentionem conuiciorum, ac contumeliarum pleniſſimam, & infenſiſſimum in poſterum apud illos odium conciliauit, cui malo cùm non parum difficilem videret medicinam, & re vulgata à factioſis iniquiſſimè conſilium eius in contrarium interpretantibus Romæ traductus eſſet, quaſi ſciſſionem à Romana Eccleſia meditatus Patriarchatum ſibi in Gallia ambiret, incredibili vndique mœrore oppreſſus morbum contraxit, qui illum rebus humanis eripuit menſe Decẽbri anni Chriſti CIↃIↃXCII. 1592.
ætatis LXV. cúmque ſcripto anteà teſtamento corpus ſuum Durocottorum Remorum deferri imperaſſet, vt in familiari ſacello, quod olim Robertus Lenoncurius exædificaret, conderetur, Canonici aduerſariis Henrici IV. etiam tum adhærentes cùm viuum triennio ante Remenſi Archiepiſcopatu donatum non admiſiſſent, mortui etiam cineres eo ſepulcro prohibitos Turonibus condi compulere.

Annus Chriſti.

De Oeconomo Monaſterij vacante Præfectura.

ANNOTATIO.

NON leuis fuit in Gallia rerũ ac Præfecturarũ Eccleſiæ
1595. labes ab anno CIↃIↃLXXXIX. quo Henricus III. vita & Regno deceſſit ad annum CIↃIↃXCV. quo eius ſucceſſorem Henricum IV. aduerſas olim Eccleſiæ partes ſequutum Clemens VIII. reconciliauit. Cùm enim neque fœderati Principes Regio iuri in nominatione ad Præfecturas legitimè poſſent derogare, nec iis, qui à Rege nominabantur Præfecturas eo interuallo concedere vellent Pontifices, deſtituta ferè Præfectis Monaſteria Oeconomorum ſuberant prouiſioni. Itaque ab anno CIↃIↃXCII. quo deſiit eſſe Philippus Lenoncurius vacanti Reomaenſi Præfecturæ Oeconomum ſubſtituit Petrus Ianinus Diuionenſis Præſes fœderatorum Principum, qui tunc in Burgundia plus poterant, conceſſione. Sed pauculis pòſt annis inclinante ad Regem Henricum IV. victoria, captóque à Regiis Reomao Forgetius Fraxineus Regis intimus Secretarius pulſo Ianini Oeconomo ſuum ſuffecit, eóque genere adminiſtrationis, annis haud minùs duodecim Abbatis facultatibus eſt potitus.

Annus Chriſti.

GVILLELMI VII. FOVQVET DE LA VARENNE EPISCOPI ANDEGAVENSIS, Abbatis LXXI.

Rerum geſtarum excerpta.

CAPVT I.

Ortus eius & primæ dignitates.

GVILLELMO Fouqueto patria fuit Flexia Andegauorum non ignobile hodie municipium, parens vir clariſſimus Guillelmus Fouquetus Dominus de la Varenne Andegaui Rector, qui in Regis Henrici IV. gratia egregiè florens filium ſuum omni diſciplinarum, quæ Eccleſiaſticum virum decent genere adornatum, inter egregia virtutum exempla educauit, vt dignitatum Eccleſiæ, quas illi de Regis beneuolentia deſpondebat, compotem faceret. Ergo cùm principio Athanatenſis apud Lugdunum Monaſterij, ac ſubinde S. Nicolai apud Andegauos donatus eſſet Præfectura, anno demum CIƆIƆCVII. in Reomaenſem annos iam quindecim vacantem commendatitio nomine eſt introductus. 1607. Haud procul ab hoc tempore auctus etiam eſt Floriacenſi Præfectura, quæ eſt inter Gallias nominatiſſima. Accedebat ætas illi iam maior, cùm pater egregia eum caritate complexus, morúmque eius integritate delectatus, ad maiora eum deſtinans, in Senatum Pariſienſem cooptari curauit. Dehinc Launomarenſis apud Bleſas Monaſterij ornatus extremo Præfectura, cùm iam Eccleſiaſticos prouentus per ætatem liberè poſſet diſpenſare, magni opus animi Eccleſiæ Launomarenſis reſtitutionem eſt aggreſſus, de qua nihil certius poſſim dicere, quàm quod diuturnæ memoriæ ea in Eccleſia verbis hiſce fuit inſcriptum.

Annus Christi. Hocce-Templum, quod ſtructura cum ſumptuoſiſſimis totius Regni certabat, anno CIↃIↃLXVIII. cæcis hæreticorum furentium ad odia mutua armis & animis incenſum; aris & Imaginibus confractis, ſupellectile omni ſacra confracta, cùm poſteà tot intercurrentibus, ſibíque inuicem ſuccedentibus publicarum cladium momentis per XLIV. annos in parietinis deformatum, non ſine acerbiſſimo bonorum omnium doloris ſenſu iacuiſſet, tandem Guillelmus Fouquet de la Varenne cinerum miſerandorum deflagrati cœnobij pertæſus, ad Dei omnipotentis gloriam in hanc formam renouari curauit
1612. anno ſalutis CIↃIↃCXII.

CAPVT II.

Alij eius honores, & immaturus obitus.

MORA illi in Senatorum ſubſelliis non fuit diuturna, vtpote qui paterno ſubnixus fauore pauculis pôſt annis inter ſupplicum libellorum in aula Magiſtros eſt accerſitus, ne hoc quidem gradu diu ſubſtitit, ad Epiſcopatum Andegauenſem ceſſione Caroli Mironis ad annum
1616. CIↃIↃCXVI. qui ętatis eius erat XXIX. die Octobris XXI. proue-ctus. Quod in munus incredibile eſt quantam ille morum integritatem, actionum dignitatem, omnis officij accurationem attulerit. Sextum in ea dignitate annum laborando non impleuit, merendo longè plures exceſſit. Sed id aliunde meliùs, quàm ex Epitaphio elogio Andegauenſis eius tumuli nemo didicerit. Sic enim habet,

Memoriæ Sacrum.

Guillelmo Fouqueto Varano Epiſcopo Andegauenſi, ſanctiſſimis moribus, & pietatis zelo ſupra hominem flagrantiſſimo, ſolutam in ſua Diœceſi ſacram diſciplinam inſtaurandi auidiſſimo, improbo labore, & vigiliis exinanito corpore, indeſinentibus ad Deum precibus, clericis ſuis exemplo præire contendenti; vim à natura ſeue-

riore acceptam, quam latè patuit officij regula, perpetua & inexorabili conſtantia acerrimè roboranti, contemptu ſæculi ad futuram gloriam ſententia ineluctabili anhelanti, priuatis caritatibus nunquam delinito. *Annus Chriſti.*

Maturinus Simonius turbato mortalitatis ordine, diſcipulo præceptor, hunc titulum, & tumulum mœrens poſuit.

Vixit annos xxxv. menſes xi. dies xv. obiit Andegaui iv. idus Ianuarias cIɔIɔcxxi. *1621.*

CAROLI MIRONIS ARCHIEPISCOPI LVGDVNENSIS, ABBATIS LXXII.

Rerum geſtarum excerpta.

CAPVT I.

Ortus eius & progreſſus ad dignitates.

MARCO Mironi Henrici III. Francorum Regis politiſſimo, eruditiſſimóque Archiatro filij fuere duo, Franciſcus Miro Prætor vrbanus Pariſiis Henrico IV. dilectiſſimus, qui fidei eius tribuit vt eum Ædilibus, Decurionibúſque vrbis turbulento maximè ac ſuſpecto tempore Præfectum vellet, & Carolus Miro vitam à prima ætate complexus Eccleſiaſticam. Franciſco filia fuit Maria Mironia, quæ paternis opibus ditiſſima Claudio Gouffier Comiti de Cara.ıas antiqua Gallicæ nobilitatis familia orto in manum conuenit, eúmque duorum liberorum parentem fecit. Carolus verò in Pariſienſi Academia artium ſcientiarúmque omnium, quibus vir Eccleſiaſticus aut ornari poteſt, aut ad dignitates idoneus fieri orbem complexus, iis naturæ, induſtriæque opibus à prima iuuentute fuit cumulatus, vt facilè appareret primis eum Eccleſiæ Magiſtratibus non imparem fore. Erat enim in rebus intelligendis celer ingenio, memoria tenax, acer & acutus iudicio, in

Annus Chriſti. rebus verò gerendis ea peruidendi eius, quod probum, ac rectum eſſet perſpicacitate, ea tuendi conſtantia, ea perſuadendi ſolertia, vt quocunque eius incubuiſſet ſententia, aut peruinceret, aut obnitentibus non leue negotium faceſſeret. Itaque partim paterno, partim ſuo merito commendatiſſimus viſus eſt Henrico III. qui eum tum aliis minoris nominis dignitatibus, tum Cormeriacenſis Monaſterij Præfectura maturè honeſtauit.

CAPVT II.

Andegauenſi Eccleſiæ præponitur.

VIx dum iuſtos annorum numeros erat aſſecutus, cùm anno CIↃIↃLXXXVII. Guillelmus Ruzæus rebus humanis, atque Andegauenſi throno deceſſit, & Henricus III. qui illi volebat optimè in Guillelmi locum illicò eum ſuffici imperauit. Gratus itaque initio omnibus Andegauenſibus aduenit, maſcula eius eloquentia, quam crebro populis de ſuperiore loco communicabat impensè delinitis. Sed cùm per ſuperiorum temporum incuriam, ac licentiam multa ſenſim in hominum Eccleſiaſticorum mores irrepſiſſent, quæ Epiſcopi cenſura vehementiore viderentur indigere, eóque illam quã diximus vim animi Carolus attuliſſet, in graues ac diuturnas incidit cum multis contentiones, in quibus cùm dignitatem Epiſcopalem non facilè ſummittendam, & rectum ſemper gubernaculum ſibi eſſe tenendum contra ingruentes tempeſtates exiſtimaret, plurimis diu iactationibus, iiſque moleſtiſſimis ſe, ſuáque expoſuit. Verùm ingentem animum res nulla infregit, quin & idoneis ſe tutaretur remediis, & ſuas in re publica partes intereà generosè obiret. Nam & anno CIↃIↃCX. elegantem habuit ſermonem funebrem in Henricum IV. infando parricidio ſublatum, & quinto pòſt anno cùm generalia Regni Comitia Pariſios conueniſſent, oratione ſanguinis ac nerui plena edocuit, quantum Regis ac Regni intereſſet, ne res quæ ad Eccleſiam pertinent,

nent alij quàm Eccleſiaſtici, aut tractare auderent, aut decidere. *Annus Chriſti.*

Caput III.

Reomao & haud longè ante obitum Lugduno præficitur.

Dimissis comitiis cùm plures Andegaui animorum aduersùs ſe offenſiones ex præteritis contentionibus non ignoraret eſſe reliquas, ratus ſe adeò exulceratis affectibus haud ſatis vtiliter allaboraturum, vel quod vero eſt ſimilius ad tranquillitatem, quam annorum iam ſeptem ac viginti labor poſtulabat propendens, remiſſo Epiſcopatui nuncio Guillelmum Fouquetum Varanum, de quo dixi, ſibi ſubrogari poſtulauit, legitima viciſſim permutatione, Reomaenſem ſibi Præfecturam ab illo ſtipulatus. Et re ad ineuntem annum cIↄIↄCXVI. tranſacta ſex annos ea in Præfectura ſuauiter conquieuit. Iis lapſis Guillelmum Varanum ſua, vt diximus, fata è viuis ſubduxerunt, & conſeneſcente iam inuidia, ſanatiſque Andegauenſium ferè offenſionibus, Regio ſimul ac Pontificio calculo in Sedem priſtinam Carolus Miro fuit reuocatus. Sanè Vrbanus Pontifex operam eius tanti ad Eccleſiæ commoda eſſe cenſuit, vt cùm aliquot poſt annis Dionyſius Simon Cardina- 1622.
lis de Marquemont de Lugdunenſi Throno, qui eſt in Gallia primarius, morte deceſſiſſet, enixè apud Regem per Nuncium Apoſtolicum egerit, vt Carolum Lugdunenſibus vellet iuberétque Pontificem dari. Nimirùm plurima ille ſibi de imperterrita illius in propugnandis Eccleſiæ priuilegiis conſtantia pollicitus erat, ac cùm in Pontificis ſententiam Rex iuiſſet exeunte demùm anno cIↄIↄCXXVI. Ec- 1626.
cleſiæ Lugdunenſis Primas eſt creatus. Verùm egregium virtutum eius curſum, & in longum porrectas expectationes omnes biennio ferè poſteà mors intercepit.

Annus Chriſti.

DE LVDOVICO II. GOVFIER DE BOISY ABBATE LXXIII.

ANNOTATIO.

NVNC dehinc Præfectorum Reomaenſium res geſtas, quod Dei beneficio ſint ſuperſtites non, vt hactenùs, vſque ad extrema, ſed vſque ad renunciatam tantùm Præfecturam, vt proſequamur res poſtulat. In iis verò princeps locus eſt Ludouico Goufier de Boiſy Caroli Mironis ex nepte pronepos. Is antiqua ortus familia, in qua magni Regiæ domus Magiſtri, magni Hipparchi, Præfecti maris, Præſides prouinciarum, Duces, Marchiones, Comites, aliíque grandibus titulis illuſtres vixere, non minùs proauunculi Caroli, quàm patris Claudij Goufier Comitis de Carauas deſtinatione Eccleſiaſticam amplexus vitam, atque inde ab adoleſcentia ad virtutes, ac diſciplinas ei vitæ conſentaneas egregiè factus, atque inſtitutus Præfectura primùm Cormeriacenſi, deinde etiam Reomaenſi, ex Caroli Mironis renunciatione fuit cohoneſtatus. Verùm geminatis intra non multos annos hinc patris, inde maioris natu fratris ſine ſtirpe funeribus, ne familia illuſtris eſſe deſineret, vtraque Præfectura dimiſſa in nomen ac fortunas Comitis de Carauas ſucceſsit Ludouicus.

ARMANDI IOANNIS DV PLESSIS Cardinalis de Richeliev, Abbatis LXXIV.

Rerum geſtarum excerpta.

Capvt I.

Ortus eius & inſtitutio.

ARMANDVS Ioannes Cardinalis de Richelieu admirabilis vir animi, ſolertiæque incredibilis, Reomaenſem Præfecturam ad annum cIↃIↃCXXIX. excepit, cuius ſi *1629.* res omnes domi & foris bello ac pace ad hanc diem geſtas proſequi velim, nec mei, vt opinor, moduli, nec inſtituti memor fuerim. Suſcepto itaque in hac Abbatum Reomaenſium recenſione muneri fecero, vt arbitror ſatis, ſi quæ ille decora ac commoda Eccleſiæ Regnóque contulit, donec hac Præfectura ceſsit, quantum mihi compertum erit repræſentem. Igitur ſol illi primùm illuxit Pariſiis anno cIↃIↃLXXXV. parente Franciſco du Pleſsis Domino de Richelieu, quem non tantùm paternum Pleſſæorum ſtemma longa nobilium auorum, ac proauorum ſerie propagatum; ſed etiam maternum Franciſcæ de Rupe Cauardi Regiis Principibus Drocenſis familiæ inſertum, illuſtrabat; mater fuit Suſanna de la Porte Vezins cordatiſsima ac grauiſsima fœmina. Sed parens eius cùm à prima adoleſcentia Regis Caroli IX. honorarius fuiſſet ephebus, tum Henrici III. & IV. maximis deinceps in rebus obſequio ſemper præſto fuit. Nam priorem ad ſuſcipienda Poloniæ ſceptra pergentem, atque ad Francica ſubinde remeantem fidiſsimè aſſectatus permouit inprimis, vt in ſanciendo fœdere cum Germanis equitibus, qui duce Caſimiro irruperant in Galliam, ſua opera honorificè vteretur; tum vt ſe habere vellet magnum rerum capitalium in aula Prætó- *1585.*

Annus Chriſti. rem, nec multò poſteà vtriuſque Ordinis Francici Equitem Torquatum. Poſteriorem varias rebellantibus vrbibus obſidiones molientem nunquam deſeruiſſet, niſi morte immatura anno cIↃIↃXC. in obſidione Lutetiæ interceptus eſſet. Quinquennem ad iſta patris fata Armandum primis literis, pauciſque deinceps euolutis animis, politioribus ſtudiis ſedula mater admouit: in quibus cùm & ingenio Magiſtrorum præuerteret officia, & ſuauitate ac guſtu magis quàm neceſsitate teneretur, eos breui edidit progreſſus, vt quanquam militaribus rudimentis hunc ſtudiorum curſum poſteà interpellarit, tamen ad literas identidem recurrere poſſet. Itaque cùm poſt annos aliquot Alphonſus maior natu frater, Iacobo Pleſſæo parentis patruo in Epiſcopatu Lucionenſi Henrici IV. nuncupatione ſubrogatus, Cartuſianam ſolitudinem Pontificiis infulis prætuliſſet, ac regia nuncupatio eſſet in Armandum conuerſa, non fuit illi difficile literis animum reſtituere. Quin iſta etiam ceſſatione vegetior in Philoſophica, ac ſubinde Theologica adeò ſe immerſit, vt quæcunque eſſe ſolent eorum ſtudiorum exercitamenta ex iis ille inſignem ſiue ingenij, ſiue ſedulitatis laudem reportarit.

CAPVT II.

Res geſtæ in Epiſcopatu ante aulicas dignitates.

TRIBVIT aliquot ſub hæc annos domeſticis ſtudiis, nullúſque fuit qui eum vel eruditione, vel virtute maturum deſtinatæ dignitati non exiſtimaret, ſi non defuiſſet ætas, quam leges Eccleſiæ annariæ ei ordini præſcripſere.
1607. Ergo conſultum eſt, vt anno cIↃIↃCVII. Romana ab eo ſuſciperetur peregrinatio, ſiue vt intereà ætas accreſceret, ſiue vt nonnullus ex ea ciuitate ſacri Ordinis fonte fructus hauriretur. Præerat tunc Eccleſiæ Paulus V. qui Armandi ingenio ac colloquio captus, pati noluit vt eius indolis bonis diutiùs careret Eccleſia, ſed facta biennij quod deerat gratia conſecrationem iuſsit accelerari. Excepit redeun-

tem Rex humaniſsimè, cúmque illum Mariæ Mediceæ *Annus* coniugi, quaſi Epiſcopum, vt loquebatur propriè ſuum, *Christi.* prolixè commendaſſet, paſſus eſt ad Eccleſiam ſuam proficiſci. Hic ille cùm per bellicas hæreticorum vaſtitates, non in agris ſolùm, ſed etiam in vrbibus Eccleſias fide, moribus, ac ruinis miſerè deformatas cõperiſſet, egit tum diſertiſsimis concionibus, ac diſceptationibus, vt ad fidei puritatem, officiique perfectionem omnes reuocaret, tum ſollicitudine & autoritate, vt hæreticos nonnullis Eccleſiis, quas inuaſerant, eliminaret, tum ſedula viſitatione, vt præpoſitos Eccleſiis Presbyteros doctrina atque exemplo ſaluti populorum collaborantes haberet. Pariſios triennio pòſt reuiſit, vbi exercitata iam lingua ac mente ad dicendum, conciones habuit in Eccleſia ſancti Andreæ aulæ toti acceptiſsimas, nihilóque ſecius cum ſuis ſe, quàm alienis plus debere intelligeret, ad excolendos Lucionenſes breui reuolauit. Nec ante inde extulit pedem, quàm anno cIↄIↄcxiv. publica Regni Comitia Lutetiæ cogerentur, ad 1614. quæ ille cùm prouinciæ ſuæ delectu veniſſet, tam illuſtre ab ordine Eccleſiaſtico commeritus eſt opinionis, ac iudicij de ſe publici teſtimonium, vt inter tot natu aut dignitate priores vnus ſit delectus, qui peractis Comitiis ſolemni oratione (quam ille habuit diſertiſsimam) Ordinis Eccleſiaſtici ad Regem poſtulata deferret.

Capvt II.

Primæ eius in aula dignitates, & res in eis geſtæ.

Hinc iam illi ſe via aperuit ad ea dignitatum faſtigia, quibus non tam ipſe extolleretur, quàm in plurimos proſpectus eius, ac prouidentia funderetur. Nam cùm anno cIↄIↄcxv. Ludouici XIII. cum Anna Auſtriaca Hiſpani 1615. Regis filia maturarentur nuptiæ, magni inprimis Eleemoſynarij munere apud illam fungi eſt iuſſus, ac deinceps cùm inter Hiſpanum & Sabaudum non pauca in Italia controuerterentur, réſque ad arma ſpectarent, quibus Regem

Annus Chriſti. quoque oporteret implicari, decreta illi eſt in Hiſpaniam legatio, pacis conficiendæ cauſa, quam tamen idcircò non obiit, quod & ipſius opera circa Regem neceſſaria, & res breui in Italia componi aliter poſſe viderentur. Itaque hæſit deinceps in aula iuſſus fungi munere vnius è quatuor Ammanuenſibus, qui ſecreta Regis mandata perſcribunt. Sed conuerſo haud multò poſteà rerum aulicarum orbe Reginam matrem Regis Bleſas pergentem aſſectatus magni apud eam Eleemoſynarij, aulæque eius Præfecti munus geſsit, ac pluſculum mox nactus otij libris ſe inuoluit, cúmque Caluiniani Pariſienſium Miniſtri propugnandis erroribus ſuis epiſtolam ad Regem auſi eſſent perſcribere, eam ille diſertiſsimo ac vehementiſsimo commentario confutauit. Auenionem ſubinde commigrauit, vbi otij impatiens dixit plerunque ad Religioſas familias publicè, ſuis verò Lucionenſibus quam præſens ore non poterat, eam ſcripto operam præbuit, molitus egregiam eorum Inſtitutionem ad Chriſtiana officia.

CAPVT IV.

Pace Regno reſtituta fit Cardinalis.

CVM ſubinde turbatum eſſet nonnihil in Gallia, quod inuito Rege Mater Regina Bleſas deſeruiſſet, Auenione reuocatus non ſolùm priſtinas apud eam dignitates tenuit, ſed etiam pacis ac tranquillitatis publicæ quaſi Interpres, ac curator illi adeſſe eſt iuſſus. In quo tam præclarè illius opera enituit, vt cùm poſteà ſuas pleríque Magnatum offenſiones cum Reginæ cauſa miſcuiſſent, eámque improuiſo impetu ad nouos tumultus abripuiſſent, Armandus cum primis idoneus fuerit iudicatus, qui omnia in tranquillitatem referret, animóſque exulceratos ad lenitatem comitatémque reuocaret. Qua ex re cùm illi quæſita eſſet apud Regem iuxta ac Reginam inſignis de nouo gratia, egit Rex apud Pontificem, vt Cardinalibus Romanis accenſeretur, idque volente ac Iubente Gregorio XV. im-

petrauit ad annum Chriſti cıↄıↄcxxıı. Contulit ſe etiam *Annus*
per hæc tempora in tutelam eius, ac prouiſionem Schola *Chriſti.*
Sorbonica; nec multò poſteà potiſſimam publicæ rei curam in eius ſinum Rex depoſuit, ratus illius in primis prouidentia obtineri poſſe, vt nec auita Religio, nec maieſtas imperij quidquam ab hoſtibus caperent vſpiam detrimenti.

Capvt V.

Caluinianos, Deo ac Regi perduelles, apud Ream Inſulam conſilio & opera domat.

Incredibilis fuerat adoleſcente Rege Caluinianorum in Gallia impudentia ac ferocia, querimoniis ac minis omnia complere, cum exteris fœdera coire, militem cùm libitum erat legere, ciuitates contra regiam autoritatem munire, exilium ciuibus indicere, viros Eccleſiaſticos bonis ſuis vel deturbare, vel interdicere; nullius audire imperia; denique Regnum alterum in Regno condere. Tenuit hæc peruerſitas ad annum cıↄıↄcxx. quo Rex autoritatis ſuæ detrimenta videre non ſuſtinens ad Benearnenſes Regij conſiſtorij imperia detrectantes, ac Epiſcopos facultatibus ſuis reſtituere renuentes, infeſto exercitu conuolauit, factionem oppreſſit, ſacra religionémque reparauit, & diuina, regiáque iura vendicauit. Hinc exaſperati perduelles conueniunt in ſolita conciliabula Iuliodunûm, ac deinde Rupellæ duces bello deſtinant, Regni illis prouincias diſtribuunt, hoſtilia omnia machinantur. Sed Regiis impares viribus Salmurium, Angeriacum, Neracum, atque alia in Santonibus, Burdegalenſibus, ac Nouempopulis oppida propè ſexaginta ad annum cıↄıↄcxxı. amittunt, nihilóque ſecius animis obſtinatis impiam fouent coitionem Rupellæ rebellionis arce, Regiam ad ſe autoritatem rapiunt, vectigalia inuadunt, ſigilla publica adulterant, nihilque inauſum relinquunt. Itaque Regiis exercitibus terra marique bis cincti Ream inſulã anno cıↄıↄcxxv. 1625.
perdunt, qui illis molitionum deinceps omnium ſcopulus

Annus Chriſti. 1626. ac naufragium fuit. Cùm enim ea in Inſula arcem geminam Martinianam & Pratenſem exædificaſſent Regij ad annum CIↃIↃCXXVI. ira ac deſperatione in tranſuerſum acti Rupellani Anglos in belli ſocietatem accerſunt, factáque in Inſulam exſcenſione arcem Martinianam arcta obſidione premunt. Superabant noſtri animis, ſed commeatuum vrgebantur penuria, quod omnes ad arcem aditus terra marique hoſtes obſtruxiſſent. Hic ergo incredibilis fuit, tum ſolertia, tum fortitudo animi Cardinali Richelio, vt deluſis, vel perruptis Anglorum obſtaculis, commeatus inueheretur obſeſſis, Galli plures atque exteri in hoc negotium euocati fruſtrà fuere, ſed peruicit tandem conſtantia, viſque ingenij omnia impedimenta, ternáque tranſuectione tantum noſtris eſt ſuppeditatum commeatus quantum ad hoſtes ſpe victoriæ, atque Inſula deiiciendos ſatis eſſet. Nihil enim tum abfuit, quin tranſportari in Inſulam exercitum ſuaderet Cardinalis, quo vna die, & ſoluta obſidio, & cæſus fugatúſque eſt Anglus, atque ea ex victoria tanta extitit hæreticarum partium debilitatio, vt certam deinceps in ruinam præcipitarint.

CAPVT VI.

Rupella hæreticæ factionis caput eius conſiliis obteritur.

FRVSTRA ſperabatur Eccleſiæ tota Gallia reſtitutio, Regnique conſtans tranquillitas quandiu ſtaret erroris ac rebellionis receptaculum Rupella. Itaque eo aduertendum neceſſariò animum pulſis Gallia Anglis Rex & Cardinalis cenſuere; ſed ea erant vrbis ſiue à natura, ſiue ab arte munimenta, vt non dubium eſſet, quin aliis quibuſlibet ingeniis, ac manibus inexpugnabilis videri poſſet. Prima tamen naturæ vis facta quadrati lapidis aggere æſtuantis Oceani fluctibus obiecto, cuius oſtia muniret obex quadruplex nulli nauigiorum generi facilè penetrabilis, tum ex tignis arrectariis, qui ad aggeris medium decuſſatim ſtu-

cis, eſſent defixa, tum ex aliis tignis in tranſuerſum iacen- *Annus*
tibus, quæ catenis deuincta ferreis fluitarent; tum ex na- *Christi.*
uibus quæ lapidea ſubſtructione oneratæ, medióque merſæ
alueo fluctibus murum altiorem opponerent; tum deniqúe
ex nauibus fluitantibus ferróque cuneatim vinctis, quæ
magnam tormentorum æneorum vim permeare volenti-
bus intentarent. Tam multiplici obſtaculorum arte coer-
citis fluctibus verſa ſubinde eſt induſtria in propugnacula,
quæ manus firmarat, & ducta circum foſſa communitáque
caſtellis, omnis commeatui aditus fuit interclufus. Nullus
erat tot molitionum fructus, ſi Anglorum quæ Rupellen-
ſibus ſubſidio bis aduenere vires valuiſſent; ſed alter illis
mari, alter terra obiectus eſt exercitus, in quibus ea flore-
ret militiæ diſciplina, eáque ſtipendiorum fides eſſet, vt
non multò difficiliùs ad vrbis obſidia excubare, quàm do-
mi degere viderentur. Obtinuit verò hæc prouiſio, vt men-
ſe poſtquam circumſederi cœperat duodecimo ad diem
primam Nouembris anno CIↃIↃCXXVIII. Rupella fame e- *1628.*
domita ſub Regis ſui manum redierit, perfidiam eierarit,
Sacra, Religionéſque ſexageſimum iam annum exilio aut
captiuitate preſſas quo par erat loco admiſerit, munitiones
rebellionis, ac peruicaciæ irritamenta ſolo æquarit, æmu-
láſque Regno faſces adeò abiecerit, vt ne in vrbibus qui-
dem Gallicis nomen deinceps haberet.

CAPVT VII.

Italiæ Principes ad pacem reducuntur.

DVM hæc ad Rupellam gererentur, recruduit in Ita-
lia malè obductum olim vulnus diſſidij de Principatu
Montisferrati inter Sabaudiæ ac Mantuæ Duces: pro illo
ſtetit Hiſpanus, pro iſto Francus. Sed Hiſpanus dum Rex
hæreret apud Rupellam, captis aliquot vrbibus, & Caſali
obſeſſo ſuſceptas à ſe partes egregiè promouerat, Regi ſub-
acta etiam Rupella, multa ſupererant domi componenda,
vigente etiamnum plurimis ac munitiſſimis in vrbibus Cal-

Annus Christi. uiniana rebellione, & alioqui clauſtra Italiæ militum copiis, prodigioſiſque operibus, Sabaudus ac Hiſpanus obſtruxerant. Ea tamen fuit tum in Rege animi, tum in Cardinali vis conſilij, vt commoto raptim à Rupella exercitu, magnis itineribus Italiam propè improuiſus inuaſerit, Seguſiana clauſtra perruperit, hoſtilem exercitum fuderit, Seguſianam vrbem ac propugnaculum cœperit, tantóque ſui terrore omnia compleuerit, vt diſſidentes Principes breui ad concordiam ſpectarint. Itaque dictæ ſtatim concordiæ leges fuerunt, Caſalis ſoluta obſidio, Italia metu liberata, Regis apud hoſtes pauor, apud ſocios amor, apud omnes autoritas, & fama immenſum excreuere.

CAPVT VIII.

Hæreticæ perduellionis reliquiæ extinguuntur.

1629. HIs inter Alpinas niues confectis, ineunte anno CIƆIƆCXXIX. recepit ſe Rex in Galliam, & aperiente ſe vere exercitibus ſuis omnibus præfecit Cardinalem, vt toto Regno cum hæretica perduellione debellaretur. Adeſſe tamen ipſe voluit dum Priuatæ vrbs Heluiorum, vnde rebellionis origo fuerat, ferro & flamma deleretur, & perduellium Dux conſpiratione dirempta, ad veniam pacémque recurreret. Inde Eccleſiæ latè ac Regno pacem, ac tranquillitatem perpetuam Cardinalis circumtulit, Vcetiæ, Nemauſi, Ceſeroni, Montalbani Eccleſias Epiſcopis, Epiſcopos populis, omnes Regiis imperiis, obſequiiſque reſtituit. Vrbes alias tricenis plures in deditionem accepit, munitiones ac propugnacula, quorum fiducia coaluerat rebellio, æquauit ſolo, Religioſis viris, ac fœminis ædium antiquarum vindicias dedit, Templa vel profanis ritibus violata, vel diruta reſtaurauit, ſacra iampridem exulantia poſtliminio reduxit. Hæreſis præcones qui Galli non eſſent Gallia pepulit, Gallorum factioſa conſilia diſſipauit, & impudentiam, audaciámque confregit. Francos nobiles, quos hæreticæ olim partes abduxerant, partim obiecto

Regiæ Maieſtatis reſpectu, à perduellium ſeuinxit conſi- *Annus*
liis, partim eruditis de fide & religione diſceptationibus, *Chriſti.*
ad Catholicas partes traduxit. Populos intolerabilibus tributis
factionem ſuſtentare diutiſſimè coactos ſuis ſimul facultatibus,
Regiiſque obſequiis redintegrauit.

Capvt IX.

Læſa iterùm pax Italiæ reſtauratur.

Pace tota Gallia compoſita, turbæ iterùm in Italia 1630.
ſubortæ ad annum cIɔIɔcxxx. dum Imperator Mantuanum Gallicæ originis Principem in fidem non admittit, & iunctis cum Hiſpano copiis hinc Mantuanum agrum vaſtat, inde Caſale premit obſidione. Eas ob res bello Dux lectus à Rege Cardinalis florentiſſimum exercitum in Italiam transfert, & viam Fœderatorum tergiuerſationibus, ac fallaciis hoſtium obſtructam ferro aperit. Alpignanum primò in poteſtatem venit, tum Briqueraſſum, ac demum Pignarolum, & caſtrum Peruſæ. Itaque apertus aditus commeatui, qui ex Gallia ad exercitum conuehebatur. Parte alia Rex altero exercitu Sabaudicas vrbes ſubegit, & Cardinalis qui ad ipſum venerat conſulto victorem exercitum in Italiam miſit. Is breui interuallo pugna duplici ad Villanam, & Carinanum hoſtilem exercitum fudit, atque inſigni clade affecit. Has victorias deinceps eſt ſequuta harum aliarúmque vrbium deditio, tantáque hoſtium conſternatio, vt aliquandiu nulla de re, niſi de pace ageretur. Quam cùm victores non recuſarent, tamen hoſtilis exercitus Ducum mutua æmulatio, atque ambitio perdiu eſt morata. Capta eſt à Germanis inter moras Mantua, & pacis obtentu, dum Rex grauiſſimo Lugduni morbo conflictaretur, vrbs Caſalis Hiſpano permiſſa propugnaculo eius Regiis interim copiis communito. Diuturna poſteà fuit pacis fruſtratio, dum Spinola Hiſpanici Dux exercitus capti propugnaculi gloriam affectat, ſed Regius intereà exercitus inſignibus ſupplementis Cardinalis induſtria auctus,

Annus Chriſti. ad Caſalis vicina penetrat, Hiſpanum exercitum cingit, atque ad pugnam prouocat, nulláque dehinc mora fuit, quin ipſa in acie pugnæ pax conficeretur. Itaque Mantua & Caſali reſtitutis, Dux in fidem ab Imperatore eſt admiſſus. Dehinc de agro Montisferrati cum Sabaudo tranſactum, Pignarolum Regno Franciæ contributum, euulſiſque diſſenſionum fibris, ſolida Italiæ pax ſancita.

Capvt X.

Plurimi inde vim aut iniuriam metuentes in Regis tutela ac præſidio eſſe ambiunt.

Detvlit per hæc tempora Armandus Cardinalis Alphonſo fratri Purpura itidem anno antè à Pontifice donato, Reomaenſem Præfecturam. Quæ mihi res tantùm geſtas Abbatum Reomaenſium proſequenti, neceſſaria cauſa eſt ſtili hoc loco ſuſtinendi. Quanquam inuitus, atque identidem reſpectans animus ægrè ſibi patiatur eripi mentionem ingentis illius decoris, quod in Regem Franciæ ex Rupellenſi & hoc Italico bello eſt deriuatum, vt à Chriſtiana Europa communis quaſi tutela ac præſidium habeatur eorum omnium, quos potentiorum vis, & iniuria terrefecit. Qua laude nulla illi vel ad Eccleſiæ tranquillitatem opportunior, vel ad Principum ſecuritatem commodior, vel ad Francici nominis maieſtatem amplior, vel ad æternæ gloriæ præmium vberior potuit, vt opinor, obuenire. Quam ad rem cùm ſubſeruire Rex ſibi Armandi conſilia, induſtriámque voluerit quæcunque deinceps poſteritas huius decoris memoriam conſeruabit, ea de Armandi nomine nunquam conticeſcet.

ALPHONSI DV PLESSIS CARDINALIS, ARCHIEPISCOPI LVGDVNENSIS, & Abbatis LXXV.

Rerum geſtarum excerpta.

CAPVT I.

De rebus eius antequam renuntiaretur Cardinalis.

ALPHONSVS du Pleſſis de Richelieu Armando natu prior lucem Pariſiis vidit, patrémque, vt dixi, impubes amiſit, nihilóque ſecius impigra matris ſollicitudine egregia literarum ac pietatis in primis rudimenta poſuit. Quæ cùm ætatis acceſſu non mediocres acciperent acceſſiones viſus eſt Henrico IV. poſt aliquot ab adoleſcentia annos idoneus, qui Romano Pontifici nominaretur ſucceſſor Iacobi Pleſſæi Propatrui, qui in Lucionenſibus infulis paulò antè erat demortuus. Et Regis quidem iudicium amplexus eſt ac veneratus Alphonſus, ſed cùm illi à puero tranquillitas animi, atque erga Deum pietas impensè cordi eſſent, pertæſum eſt breui illius vitæ, in qua & fluxa rerum curanda, & non leuia ſalutis pericula eſſent adeunda. Itaque infuſi de cælo ſpiritus flatu impulſus, mutata velificatione ad tranquillum Cartuſianæ vitæ portum mentem appulit. Quæ illi ſtatio & tutiſſima tandiu fuit, & gratiſſima, quandiu publicæ rei non interfuit, vt priuata eius commoda communibus poſtponerentur. Sed poſteaquam grauiſſima Regni negotia Armandi humeris incubuere, Regia factum eſt prouidentia, vt fraternis vel ſolatiis ſuſtentaretur, vel honoribus augeretur. Itaque Alphonſus frater Aquenſem primò Metropolim in ſecunda Narbonenſi Prouincia regere iuſſus, quamuis repentinò ex vmbra eſſet adductus ad ſolem, tamen oculis tam vigilantibus,

Annus Chriſti. quæ Pontificij eſſent muneris perſpexit ſemper, vt meditata iampridem omnia ex ſolitudine priſtina attuliſſe videretur. Paucis inde pòſt annis ad primariam Galliarum Sedem Lugdunum traductus, omnes eius muneris partes accuratiſſimè eſt perfunctus.

Capvt II.

Ab Vrbano VIII. dictus eſt Cardinalis.

Gradvs illi hinc factus ad Romanam Purpuram, quam anno cIↄIↄcxxix. exeunte ab Vrbano VIII. eſt promeritus, poſteaquam & honorificis Regis litteris id fuiſſet flagitatum, & legi quæ fratres duos in Cardinalium numero ſimul cenſeri vetabat, ab Vrbano eſſet cum hoc elogio derogatum. Feciſſe Armandi Cardinalis in Eccleſiam merita, vt ius ei eſſet cæterorum legibus non teneri. Iam vt dignitati ſuus non deeſſet ſplendor tum alios Eccleſiaſticos prouentus, tum Reomaenſem Præfecturam abs ſe in fratrem transferri Armandus voluit. Et ea erat Alphonſo tum actæ anteà vitæ integritas, tum in ampliſſima fortuna moderatio, vt ſuis alioqui luminibus plurimùm omnem in partem reſplenderet. Optauit poſt hæc vir integerrimus Cardinalis de la Rochefoucauld prouecto iam ſenio, corporéque aulicis laboribus impari de munere maximi Eleemoſynarij decedere; atque illud mox in Regis vnde ad ſe profectum erat, libera poteſtate repoſuit. Nihil abfuit, quin illo ſtatim munere Alphonſi Purpuram Rex ornaret, ſibique admotum propiùs tum ad alia plurima, tum ad Romanam in qua nunc agit legationem deſtinaret.

Annus Chriſti.

FRANCISCI DE LA ROCHEFOVCAVLD CARDINALIS ET ABBATIS LXXVI.

Rerum geſtarum excerpta.

CAPVT I.

Genus eius & ortus.

FRANCISCVS Cardinalis de la Rochefoucauld, cui Alphonſus du Pleſſis Præfectura Reomaenſi ceſſit, ortus eſt è primaria Pictauorum apud Aquitanos nobilitate, quæ in varia nomina familiáſque propagata gentis caput agnoſcit Rupifucaldum olim Comitem, nunc Ducis ornamentis à Ludouico XIII. ob egregia Franciſci V. apud Reſiam Inſulam facinora cohoneſtatum ad annum Chriſti CIƆIƆCXXVII. Parens fuit Cardinali Carolus Rupifucaldus Comes Randani Franciſci II. filius ex Anna Poligniaca, qui equitibus cataphractis quinquaginta primùm Præfectus, tum Ordinis Regij torquatus Eques, mox centum leuis armaturæ Equitum Dux, dum à Carolo V. Imperatore obſideretur ciuitas Metenſis, egregiam ſingularis pugnæ cum Hiſpano Equite laudem retulit. Demum ſupremus peditum Francorum Magiſter factus in obſidione Biturricarum, quas hæretici milites inuaſerant, grauiter vulneratus, ſed multò grauiùs in ea quæ deinde ſequuta eſt Rotomagi, mortem oppetiit anno CIƆIƆLXII. Ex eius coniugio cum Fuluia Pica Galeatij Mirandulæ & Concordiæ Principis, & Hippolytæ Gonſagæ filia natus eſt Pariſiis ſecundo inter quinque liberos loco Franciſcus anno CIƆIƆLVIII. Ac Fuluia quidem non maior annis duobus & 1558. viginti marito viduata à Catarina Medicæa Regum matre, cui teneris ab annis honoraria puella fuerat, in aulam eſt reuocata, paucíſque pòſt annis ab Henrico III. domui Ludouicæ Lotharingicæ coniugis ſuæ, ob pietatis, pruden-

Annus Chriſti. tiæque eximia decora Præfecta fuit. Egit laudatiſſimam viduitatem annis XLV. fato demum functa anno CIƆIƆCVII. atque Aruernis in Eccleſia Societatis IESV Billomenſi in melioris expectationem vitæ compoſita.

CAPVT II.

Adoleſcentiæ eius ſtudia & primæ dignitates.

PARISIIS aliquandiu priuato Magiſterio inſtitutus Franciſcus, publicis poſteà Collegij Claromontani Societatis IESV Scholis eſt adhibitus, emenſiſque pro dignitate rei, & bonitate ingenij litterarum politiorum ſtudiis, ad Philoſophicas breui conuolauit. Quas dum enixè percurrit prima illi dignitas Eccleſiaſtica obuenit Præfectura Monaſterij Trenorchiani, qua illi Ludouicus Gardinalis Guiſius ſponte ceſſit, poſtquam annos circiter vndecim illam adminiſtraſſet. Vix dignitatem adierat, cùm de illa augenda, & ornanda cogitationem ſuſcepit. Nam cùm vetuſtum xenodochium Trenorchij Caluiniani perduelles Gallia tota miſerabiliter debacchantes, rebúſque ſacris omnibus vaſtitatem inferentes ſolo æquaſſent, Franciſcus autore patruo Ioanne Rupifucaldo Abbate maioris Monaſterij apud Turonos, & matre Fuluia, illud à fundamentis & ſolidiùs & illuſtriùs reſtituit. Omninò verò autor eſt SanIulianus Cabilonenſis eum dum ſtudia peregit præter annuos quadraginta aureos, quibus ſe ſuóſque ſuſtentabat, reliquum illius Monaſterij prouentum reſarciendis ædificiis, puellis egeſtate periclitantibus in coniugium dandis, pueris pauperum, aut litteris, aut vtili opificio, quo ſe in poſterum alerent, informandis planè impendiſſe. Hinc videlicet ab illo iacta ſemina illius in miſeros beneficentiæ, quæ mirifica poſt hæc ſuſcepit apud ipſum incrementa. Hinc à Deo fortunata eius ſtudia, quæ ille ita confecit, vt in hoc Pariſienſi Theatro Epiſcoporum, Aulicorum, Magiſtratuúmque celeberrimo cœtui laborem atque ingenium ſuum egregiè probarit, dum concluſiones

totius

totius Philoſophiæ publicè propugnaret. Inter quæ Henricus III. ad ſummam Capellæ ſuæ Præfecturam, quæ primariis in Regno Prælatis Eccleſiæ ſolet attribui, eum vix ſexto-decimo anno maiorem aſciuit. Theologica deinde ſtudia ingenti animo, fructúque non diſpari proſequutus eodem in Collegio, eam ſibi ſacræ eruditionis copiam congeſſit, quæ & longæuam deinceps vitam inſigniter exornaret, & complurium rei publicæ commoditatum eſſet inſtrumentum. Dehinc in Italiam cum fratre peregrinatus, litterarum ſimul & ſtudiorum quæ virum nobilem decent, guſtum cepit vberiorem ac fructum. *Annus Christi.*

Caput III.

Res in Epiſcopatu Claromontano geſtæ.

CVM primùm ad annos Epiſcopales peruenit, vacuæ illum Claromontis apud Aruernos Sedi deſtinauit
Henricus III. anno Chriſti CIↃIↃLXXXIV. proximóque pòſt 1584.
anno inter Regij Conſiſtorij Conſiliarios allegit. Sed ille aula eodem anno derelicta populo ſuo ſe præſentem ſiſtit, poſſeſſionéque ad diem VII. Octobris adita perpetuus deinceps negotiis Eccleſiæ ſuæ incumbit. Ac eò primùm ſuas impenſè curas confert, vt ſacro Ordini imperitiæ, ac nimiæ licentiæ fama illo in Epiſcopatu grauiter laboranti ſeueriſſimo ordinandorum delectu mederetur. Nulla propè fuerat anteà nobilium, nulla plebis familia, quæ ſibi Presbyterum, non tam ad ſacra, quàm ad rem familiarem regendam non depoſceret, inde ſuccreuerat in Eccleſiis ineruditа, atque vt ſolet malè morata ſacrorum hominum turba, quàm imminutam eſſe, & Ordinis ſacri, & publici exempli intererat. Ergo occluſo interceſſoribus aditu, acríque candidatorum examine illud breui obtinuit, vt nemo indignus ad ſacra auderet adrepere. Nihilóque ſecius omni ope egit, vt qui iam erant conſecrati abiectis viliſſimis negotiis ordinem ſuum, dignitatémque recognoſcerent, maléque neglecta litterarum ſtudia, vel adirent, ſi

Annus Chriſti.

ætas pateretur, vel legendis vulgaris ſermonis libris reſarcirent. Hæc illi, vt opinor, occaſio fuit vt inter iſta adminiſtrationis initia libros duos euulgaret, alterum de ſtatu dignitatéque Eccleſiaſtica, alterum de autoritate Eccleſiæ. Iam illam quoque habuit antiquiſſimam curationem, ne ſubſidiariis Religioſorum Ordinum copiis atque operis deſtitueretur. Itaque primus Capuccinos Patres Aruernis intulit, cœnobio illis Billomi exædificato, nec deſtitit quin eorum domicilia tota latè Diœceſi ſtatueret aliquo ferè pecuniario ſubſidio ad eos admittendos, ac fundandos vrbes allectans. Nimirum erat hæc quoque pars quædam benignitatis illius in pauperes, quæ illi ab adoleſcentia fuit congenita, atque his maximè temporibus enituit. Non enim facilè inaudiit quempiam è ſuis, vel abiectiſſimæ fortunæ hominem moleſtia atque ægritudine corporis conflictari, quin vel ipſe inuiſeret, vel viſendum, ſolandum, atque aliqua ope ſubleuandum curaret. Contigit anno quodam magna annonæ caritas, & mercatores lucri auidi toto Aruernenſi agro diffuſi etiam Moſunum, vbi Epiſcopi annona erat manu pecuniis inſtructiſſima adiere. Sed ille renunciari iuſſit melioribus iam ſibi cum mercatoribus conuentum eſſe, pauperes innuens, qui de annona non æris, ſed cæli pretio tranſigerent, & nihil abfuit quin concurrentem ad huius rei famam egenorum multitudinem ingenti largitate paſceret anno illo & veſtiret. Venit interim aliquoties ob publica Cleri negotia in aulam, ibique toti Clero ſpectaculo fuit, dum nobilis, ac iuuenis Epiſcopus quotidie, niſi morbus vetaret, incruentam offerret hoſtiam, factóque ſuo illos argueret, qui ſacra obire munia, aut nobilitati ſuæ, aut iuuentuti indecorum arbitrarentur. Quæ opinionis peruerſitas ſenſim eius exemplo aula incepit exulare.

Annus Chriſti.

CAPVT IV.

Nouis honoribus, Cardinalatus, & aliis auctus.

FLVXERE anni aliquot ſubinde in Gallia turbulenti, quibus cùm id egiſſet Franciſcus, vt Catholicæ atque auitæ fidei nullo loco deeſſet; tum vt primùm Henricus IV. Eccleſiæ eſt reſtitutus, quod ſatis conſtaret ipſum non ſtudio partium, ſed religionis ac fidei amore ab illo priùs abductum, nouis eſt à Rege dignitatibus exornatus, Regiiſque rurſum obſequiis deuinctus. Nam & tunc reſcripto deſponſa eſt illi Præceptoria dignitas Equitum ſancti Spiritus, & aliquot pòſt annis enixè apud Paulum V. Pontificem actum, vt in Cardinalium Romanæ Eccleſiæ album referretur. Narrabat autem Rex in litteris, quibus eum Pontifici commendabat, non id ſe priuatæ amicitiæ cauſis permotum poſtulare, cùm Epiſcoporum extremus ad ſuam veniſſet gratiam, ſed vitæ illius, meritorúmque reſpectu. Itaque haud diu poſteà cùm ſuo gregi intentus nihil cogitaret eiuſmodi, renunciatus eſt Cardinalis menſe Decembri
anno CIↃIↃCVII. Venit poſthæc in aulam, vt miſſo Roma 1607.
pileo Regia manu indueretur, vbi cùm intelligeret in animo eſſe Regi, vt ad communia Eccleſiæ negotia ſibi præſto eſſet, non putauit Claromontanum Epiſcopatum, quod Pariſiis procul abeſſet, ſibi retinendum, ſed Pontificis, Regiſque voluntate eum mox cum Siluanectenſi commutauit.

CAPVT V.

Mox à Cardinalatu Romam ad Eccleſiæ negotia miſſus.

VISVM deinde eſt Regi anno CIↃIↃCIX. vtilem eius 1609.
Romæ operam fore Eccleſiaſticis Regni negotiis. Et verò non illis minùs, quàm totius Eccleſiæ commodis

Annus Chriſti. Romæ fuit opportunus. Vbi enim eò aduenit Congregationibus ſancti Officij, Epiſcoporum, ac Regularium à Pontifice addictus operam illis indefeſſus præbuit Bellarmini inprimis Cardinalis, & conſuetudine delectatus, & exemplo permotus. Sed inſignis inter alias ea cura fuit, qua Ordinibus Religioſis ſtuduit. Cùm enim florere tum primùm in Gallia cæpiſſet Congregatio Franciſcana, quam Recollectorum vocant, eáque non mediocriter aduerſantes pateretur eos, qui tam arctis diſciplinæ vinculis nollent obſtringi, tutiſſimũ rerum ſuarum præſidium Romæ apud Cardinalem Rupifucaldum inuenit, qui à Cardinali Arigonio Ordinis Protectore vocatus in cõſilium autor fuit, vt ne ea Congregatio minùs religiosè viuentibus Præfectis ſubeſſet, ſed ſuos haberet ſeorſim arctiori vitæ aſſuetos, vtque nonnulla illorum domicilia iſtis in vnaquaque Prouincia contribuerentur. Quibus ex rebus is poſteà fructus extitit, quem nunc Galliæ gratulamur. Deſiit etiam per ea tempora in viuis eſſe Cardinalis de Giury Gallus, cui Protectio Ciſtercienſis Ordinis erat concredita, eam Paulus V. in Cardinalem Rupifucaldum illicò tranſtulit, cuius in eum Ordinem innumera poſteà fuerunt officia. Nam & Præfecturas eius viris non Religioſis extra Regnum attribui crebrò vetuit, & intra Regnum piè ac religiosè viuentes fouit ſemper ac promouit. Erga Societatem IESV iam olim & verbis & rebus fuit prolixiſſimus. Cùm enim à prima adoleſcentia perſuaſum illi eſſet plurimas ab ea in publicum vtilitates proficiſci, viderétque Pontificum, ac Tridentini Concilij in eius Inſtituto commendando conſpirationem, nec facilè tolerabat Catholici nominis homines illius famæ detrahentes, nec ceſſabat labores eius, ac certamina, quibus poterat rebus ſubleuare. Iam illud Eccleſiæ communiter contulit, quod pars Baſileenſis Concilij poſt ſchiſma habita, & in vetuſtis editionibus vano quodam offenſionum metu hactenùs conſeruata, vt deinceps expungeretur Pontifici, & Cardinalibus autor fuit.

Annus Chriſti.

CAPVT VI.

Reuerſus in Galliam Regni Comitiis intereſt.

FVNGEBATVR Romæ Protectoris Franciæ munus, cùm in Regnum eſt reuocatus anno CIↃIↃCXIII. tantúmque illic ſui reliquit apud omnes deſiderium, vt nulla eſſet natio, quæ & beneficentiam eius quadriennio quo adfuit, non eſſet experta, & abſentiam non deploraret. Trenorchio dum iter haberet, Franciſcanorum qui Recollecti dicuntur Monaſterio primum lapidem poſuit, & pecuniæ vim non minimam in ædificium numerari iuſſit. Inde Pariſiis flexit Siluanectum, vbi non longè poſteà delectus eſt ad Comitia toti Regno indicta in annum CIↃIↃCXIV. Sed priuſquam illa haberentur, cùm Rex egreſſus ex Ephebis Maiorem ſe in Senatu Pariſienſi declararet, locum Franciæ Parium cum aliis Cardinalibus Regis mandato occupauit. Sequuta ſunt eo anno, die XIII. Octobris Comitia, & altero pòſt eorum initium menſe dum Eccleſiaſtico Ordini præſideret Cardinalis Rupifucaldus, quæſitum eſt de Tridentino Concilio admittendo, ac publicando, poſtulatúmque à Rege non Eccleſiæ tantùm, ſed illius ſuaſu, nobilitatis etiam nomine, vt eam ad rem Regia autoritas interponeretur. Verùm cùm lentum poſteà viſum eſſet id negotium Rege grauibus alibi Regni neceſſitatibus diſtentiſſimo, egit poſt ſoluta Comitia Cardinalis cum Epiſcopis, qui ad Eccleſiaſtica negotia Pariſiis anno CIↃIↃCXV. conuenerant, vt pro ſe quiſque Tridentinum Concilium in ſua Diœceſi admittere ac promulgare, interpoſito ſacramento ſponderent. Nec diſtulit quin Siluanecti in ea, quæ mox habita eſt Synodo primus id ipſe præſtaret. Eodem commendationis loco ponenda ſunt, quæ in iiſdem Comitiis ab ipſo, ac toto Ordine Eccleſiaſtico conſpirante nobilitate generoſiſſimè peracta fuere, ne laicorum de Theologicis atque Eccleſiaſticis rebus vlla cognitio eſſet, aut definitio.

1613. 1614. 1615.

CAPVT VII.

Res ab eo geſtæ in Epiſcopatu Siluanectenſi.

VERTIT deinde curas in Siluanectenſem Eccleſiam, cui ſexto antè anno Præfectus fuerat, cúmq; ante hac nullas optimi Epiſcopi partes omiſiſſet, tum hoc tempore in illud inprimis incubuit, vt Parœciarum Presbyteros haberet ad munus quod gerebant inſtructiſſimos. Ea propter & ipſe quotannis ſingulos domi inuiſit, horáſque benè prolixas illis priuatim inſtituendis impendit, & dum abiret vicinos inter ſe aliquot conuenire ad vnum ex eruditioribus aliquoties in hebdomada iuſſit, vt fierent mutuis de officio diſſertationibus peritiores. Quos verò inuenerat imperitiſſimos eos menſibus ſingulis Siluanectum ad ſe euocabat, vt quantũ ex priuatis congreſſibus profeciſſent agnoſceret, atque ad meliora animaret. Iam quia praua inoleuerat conſuetudo, vt Canonici vrbani Parœcialibus Eccleſiis, vnde ferè aberant, præficerentur, pugnauit tam acriter contra eum morem Cardinalis, vt cùm Magiſtratu abiit, nullus eſſet Parochus, qui in ſua non reſideret Eccleſia. Non diſpar fuit eius in Religioſos Ordines ſtudium, ſiue vt nouos Ciuitate donaret, ſiue vt veteres diſciplinæ, ſplendoríque priſtino reſtitueret. Capuccinos collata de ſuo ad ædificium non parua pecunia eò induxit, cellulámque ſibi apud eos nihilo aliis maiorem reſeruauit, in quam, dum ſinebant negotia, ſe abſcondebat victu contentus religioſo, id eſt pauperrimo, mediæ noctis precationes frequentabat, nullúmque religioſi illius Inſtituti morem miſſum faciebat. Erat Siluanecti vetus ſancti Vincentij Monaſterium, in quo Religioſi plures ſancti Auguſtini Canonici parum degebant religioſè, ſed pauci aliquot tandem ex eis ad vitæ religioſæ integritatem reſpectum habuere, quos adeò conſiliis, præſidiiſque ſuis ſuſtentauit Cardinalis, vt non id tantùm Monaſterium, ſed plura etiam alia fœcunda ſanctitatis ſobole obſtetricante illius manu compleuerint. Virginum ſubin-

de Monaſteriis tum in cæteris rebus, tum quòd hactenùs deerat, in virorum ad illa ingreſſu, ſeuerè ab eo eſt prouiſum. Denique populo vniuerſo non tantùm perpetuos fidei, officiíque Chriſtiani monitores tota Diœceſi adhibuit, qui è Societate IESV crebrò fuere; ſed etiam ſi quid inciderat egeſtatis ita proſpexit, vt nullum faceret beneficentiæ finem. Medicum, Chirurgum, Pharmacopæum, annuis ſtipendiis conduxit, vt ægros pauperes nullo eorum ſumptu curarent, coquinam peculiarem in eorum cibos inſtituit, veſtium, ac lectorum copiam tantam erogauit, vt iniri numerus non potuerit. *Annus Chriſti.*

CAPVT VIII.

Magnus Regis Eleemoſynarius creatus multa præclarè gerit.

FVNESTVS poſt hæc fuit viro inſigni Cardinali Perronio annus CIↃ IↃCXVIII. fecitque vacuum magni Eleemoſynarij locum quem ille in aula tenebat. Eò ſtatim acceſſitus eſt Cardinalis Rupifucaldus, & defuncto ſuffectus; ſed mox veritus ne Epiſcopalibus curis aulica negotia officerent, quamquam erant viri docti benè multi, qui in tanta Diœceſis vicinitate, támque anguſtis eius finibus, id minimè cenſerent metuendum, tamen perſuaderi non potuit, quin abdicato Epiſcopatu totum ſe nouo muneri pro dignitate gerendo dederet. Itaque Iuriſperitorum ac Theologorum aduocato conſilio xenodochia Regni, quæ in Eleemoſynarij poteſtate ſunt feriò inſpicere, legibus ac moribus componere, priuilegiis non dubiis communire, quidquid eò vel imperitia, vel incuria, vel peruerſitas hominum vitij attulerat pro virili parte emendare, rectores ſpectatæ virtutis domibus præficere, ac pauperum commodis, quacunque licuit, proſpicere eſt aggreſſus. Ambiebant tunc plurimi Eleemoſynarij minoris ordinis nomen, non vt Regiis obſequiis quidquam conferrent; ſed vt fori priuilegio vti, & litigantes tribunalis fauore, vel lon-

Annus Chriſti. ginquitate liceret frangere, aut de iure dimouere. Ea res, cùm Cardinali viſa eſſet periniqua, egit quàm maximo potuit opere, vt iſti nomine ſolo Eleemoſynarij in poſterum ne à Rege crearentur. Diuinis officiis, quæ in aula agebantur, vt grauitas ac dignitas ineſſet multùm ſategit, cámque ob rem ornatum omnem ad pietatem, ac ſplendorem multò accommodatiſſimum ſemper accurauit. Pecunias eleemoſynis Regiis deſtinatas, ne alio, vt fit, deriuarentur, impensè laborauit, magnáque ſolicitudine in pauperes diſpenſauit. Si quando, quod in Regum nuptiis aliiſque celebritatibus ſolet, cuſtodia eſſent aliqui liberandi incredibiliter expendebat, an quid inde in partes maneret detrimenti, at ſi quid id eſſet, in Regem, cuius liberalitate hoc agebatur, haud dubiè deriuabat. Aulicorum pœnitentium confeſſiones ne quilibet promiſcuè Sacerdotes exciperent ſeriò cauit, ac ſi quando adeſſe ipſe non poterat per litteras Epiſcopos locorum vbi aula hæſerat rogauit, vt probatos Sacerdotes eam ad rem in aulam ſummitterent. Eccleſiaſticas Præfecturas nullas ſibi verbo, aut ſigno vnquam depopoſcit; ſed vbi alicuius doctrinam, ac mores probarat, non ſegniter eum Regis notitiæ inferebat, decoráque eius claro in lumine collocabat. Aulæ ſpes, ac metus ex æquo ſemper deſpexit, nec aliam promerendæ gratiæ artem agnouit niſi probitatem.

Capvt IX.

Pacem cum Regina Matre conciliat, & præficitur Monaſterio S. Genoueſæ Pariſienſi.

1619. Tvrbatvm eſt nonnihil in Gallia ad annum cIↄIↄcxix. quòd Regis mater biennio antè Regni adminiſtratione mota, plures obtendens eorum, qui tunc in aula plus poterant in ſe offenſiones, deſerta quàm filius præſcripſerat ſtatione, ad Procerum quorundam præſidia perfugiſſet. Viſus eſt Cardinalis idoneus, qui animos vtrinque exulceratos deliniret, atque ad concordiam reuocaret. Itaque Enco-

Encoliſmam ad Regis matrem legatus tam ſuauiter, atque ingenioſè mentem ſenſuſque eius pertractauit, vt euulſis omnibus ſuſpicionum, atque offenſionum fibris nihil illa ſe tunc profiteretur habere antiquius, quàm vt in filij conſpectum veniret, paucíſque ſubinde perſcriptis conditionibus apud Turones mater in amplexum filij, Regnúmque in priſtinam tranquillitatem reuerteret. Excepit inde redeuntem Cardinalē Rex amantiſſimè, cúmque per eos dies audita eſſet mors Epiſcopi Laudunenſis, qui Monaſterio Pariſienſi ſanctæ Genouefæ Præfectus fuerat, ac Monachi fratrem defuncti, qui Monachus non erat, ſibi Abbatem poſtulaſſent; Rex qui Monaſticam diſciplinam ei Monaſterio reſtitutam eſſe magnoperè volebat, cenſuit ad id negotium nullum plus voluntatis, atque efficacitatis afferre poſſe, quàm Cardinalem, reiectáque illorum poſtulatione, ei detulit Præfecturam. Verùm ipſe antiquum retinuit inſtitutum, ac cùm plura Beneficia ſemper refugiſſet, Archiepiſcopatum Lugdunenſem ſibi ab Henrico, ac Ludouico Regibus oblatum, in alios lubentiſſimè paſſus eſſet trāsferri, & de Pręfecturis S. Arnulphi Metenſis, & S. Manſueti Tullenſis ſibi à Pontifice donatis iure experiri neglexiſſet; tum iſtam S. Genouefæ Præfecturam, quòd nunquam anteà commendatitio nomine collata eſſet, negabat à ſe poſſe admitti. Victus tamen eſt ad extremum Regis conſtantia, & piorum doctorúmque hominum ſuaſione, qui præ diſciplinæ eo in Monaſterio reſtauratione, nihili ducendam cenſebant illam commendatitiæ Præfecturæ nouitatem.

Annus Chriſti.

CAPVT X.

Paci rurſum & Monaſtico Ordini reſtaurando operam dare iubetur.

LABEFACTATA fuerat anno CIↃIↃCXX. factionibus Procerum Regis cum matre concordia, quam anno antè ſanxerat Cardinalis; ſed Rex tranquillitatis publicæ

Annus Chriſti. referre arbitratus, ne impunè toties in Regno turbaretur, cæſis fugatiſque apud Andegauos factioſorum copiis, pacem matri, quibus à Cardinali priùs concepta fuerat conditionibus reddidit. Quæ dum fieren, taliam Cardinalis pacem cõflabat inter Marchionem Roſnium Ducis Sullij filium, & Eccleſiam Catholicam, à qua ille ob errores Caluinianos hactenùs fuerat abalienatus. Actum eſt poſthæc Romæ anno ciↄiↄcxxi. apud Gregorium XV. Regis nomine, vt Cardinali poteſtas attribueretur reſtituendæ Religioſæ diſciplinæ iis in Regni Monaſteriis, quæ vel bellorum calamitate, vel hæreſum contagio, vel temporis longinquitate, hominúmque deſidia à primæuis Inſtitutis plurimùm deſciuiſſent. Nam biennio antè cùm Rex Turonis celeberrimum illud ſancti Martini Monaſterium, quod Maius vocant, rei ſacræ cauſa adiiſſet, offenſus videlicet eſt non leuiter, vt res tunc erant, multis, quæ vel audiebat, vel videbat, veterémque pietatem, quam illic olim viguiſſe diſcebat plurimùm deſiderauit, quam occaſionem adeptus Cardinalis Radeſianus qui tunc Regio Conſiſtorio præerat vehementer author fuit, vt Cardinali Rupifucaldo Pontificia ac Regia autoritate munus imponeretur Monaſteria ad priſtinas inſtitutiones reuocandi. Cuius rei cùm anno ciↄiↄcxxii. ad diem viii. Aprilis poteſtas illi facta eſſet reſcripto Gregorij V. perſcriptæ ſunt mox Regiæ litteræ, quibus cauebatur, ne quæ illi à quoquam eo in negotio conficiendo moræ, aut impedimenta inicerentur.

Capvt XI.

Regis Conſiſtorio præficitur, & ſanctæ Genouefæ Monaſterium illuſtrat.

CARDINALEM Radeſianum mors abſtulerat xvi. Auguſti in obſidione Montis Peſſulani, & anno qui ſequutus eſt proximè ciↄiↄcxxiii locum eius in Regis Conſiſtorio ſubire iuſſus eſt Cardinalis Rupifucaldus Præſes conſilij factus. Ab hoc munere quantum illi ſuperfuit

temporis, id ille ferè in reſtituenda Religioſorum Ordi- *Annus* num integritate, ac nitore impendit. Cùm enim Pontifex *Chriſti.* Romanus Canonicorum ſancti Auguſtini. & Monachorum Cluniacenſium, Ciſtercienſium, atque omninò Benedictinorum reformationis cauſa curationem illi eſſe voluiſſet, orſus à lare proprio, id eſt à ſanctæ Genouefæ Monaſterio, quod ab annis aliquot inhabitabat, Canonicos ſancti Auguſtini, quibus Siluanecti olim ad veterem diſciplinam Monaſterio ſancti Vincentij reddendam erat impensè opitulatus, eo accerſit, Eccleſiam, clauſtrum, cellulas, aliaque, vt vocant, regularia loca illis attribuit. Eos verò, qui antiquæ diſciplinæ minùs aſſuefieri poterant iis locis cōſtituit, vnde nullo aliorum incommodo opportunis pietatis ac religionis exemplis informari poſſent. Conuertit inde ſtudium ad exornandam Eccleſiam, qua nulla eſt Pariſiis vel antiquitate ſpectabilior, vel religione auguſtior. Ac primùm S. Genouefæ Virginis celeberrimæ, cuius patrocinio Lutetia nititur, monumentum in tenebricoſa olim atque humili defoſſum ſpecu, noua atque illuſtri crypta exædificata ſpectabile reddidit, columniſque marmoreis ac picturis præclarè exornauit. Suprà cryptam tetraſtylo ex inſigni marmore operi capſam, in qua S. Genouefæ corpus eſt auro, ac gemmis longè quàm olim cultiorem impoſuit. Altaris præterea gradus marmore ſtrauit, cancelloſque illi ex ære ac marmore circumpoſuit, apſidem & circunſtructas cellas auro ac picturis decorauit. Pronaon Altaribus octo, marmoreis columnis, coronis, tectorijs marmore incruſtatis, tabuliſque elegantibus ipſum demum veſtibulum pulcris emblematis illuſtrauit. Nam quæ ille vaſa, & capſulas reliquiarum ex argento quamque diuitem condendis Sacramentorum vaſis thecam aræ præcipuæ impoſuerit, nullis ſatis verbis deſcripſerim. Sanè illud non videtur ambiguum, quin diutiſſimè plus in eius Eccleſiæ ornamenta contulerit, quàm quanti eſſent Monaſterij ad ipſum pertinentes prouentus.

Annus Chriſti.

Capvt XII.

Canonicos ſancti Auguſtini Inſtituti ſui ſtudioſos in congregationem cogit.

Nihil opis erat, neque in Pontificiis, neque in Regiis mandatis ad reſtaurandam in Gallia vitæ Religioſæ diſciplinam, ſi non aliqui in ſingulis Ordinibus reperti eſſent, qui diuina perfuſi luce vitæque perfectioris ſuauitate allecti, ad Maiorum ſuorum mores, primóſque in obſeruando Inſtituto feruores animum accommodaſſent. Soli quippe Deo efficax eſt in animos imperium, & reformatio morum animo potiùs, quàm externa legum obſeruatione conſtat. Ergo quos optimè à Deo animatos ad Religioſæ vitæ integritatem agnouit, eos ſibi cenſuit Cardinalis vnam in ſocietatem colligendos, ex qua facultas ſubinde eſſet varias alio colonias deducendi, atque ei cùm nomen feciſſet Congregationis Pariſienſis, conſtitutiones quæ ad Regulam ſancti Auguſtini addendæ videbantur, pro facta ſibi à Pontifice poteſtate ſanxit, Monaſteria eius Ordinis, quæ inſignis diſciplinæ labes deformaſſet, à probatis viris inſpici, ac deſcribi iuſſit, accitis in conſilium tum eius, tum aliorum Ordinum, in quibus Religionis ardor ineſſet, compluribus Patribus, quid ei labi remedij eſſet accuratè diſpiciendum propoſuit, eóque rem incredibili diligentia ac ſolicitudine promouit, vt paucis pòſt annis rara eſſent in Prouinciis Pariſios ambientibus id genus Monaſteria, in quibus ſanctitas, integritáſque Canonicæ ſancti Auguſtini diſciplinæ non refloreſceret. Verùm vt id bonum, quo erat amplius eo fieret diuturnius, egit inprimis cum Rege Cardinalis, vt Canonicis regularibus Monaſterij ſanctæ Genouefæ liberam eſſe fineret Abbatum ſuorum inpoſterum electionem. Quod cùm impetraſſet, ac maximo ſubinde opere, vt ratum haberetur à Romano Pontifice perfeciſſet, Abbatem tertio quoque anno deligi, eumque de Pontificis ſententia ei, quam dixi Congregationi

Generalem eſſe Præpoſitum voluit. Sed ne vllæ eſſent Religioſæ vtilitatis, ſuſceptique conſilij moræ, iam inde ab eo tempore Coadiutor ſibi vt vnus ex Canonicis Fratrum ſuffragiis adoptaretur, poſtulauit, nec multis pòſt annis perfecit. Nihilo ſecius iis quoque Monaſteriis, quæ extremis in Regni Prouinciis ſita eſſent, ſua cautum voluit prouiſione. Cùm enim vices ſuas ad id negotium viro Religioſiſſimo, & antiqui Inſtituti diligentiſſimo commiſiſſet, plurima per eum Monaſteria detersâ rubigine in nitorem priſtinum illis quoque in prouinciis reuocauit. *Annus Christi.*

Capvt XIII.

Ordini ſanctæ Trinitatis, & viduarum hoſpitio ad ſanctiorem vitam opem præbet.

QVOD aliis vulgò Ordinibus Religioſis antiquitate ſua nonnihil labefactatis, hoc S. Trinitatis Ordini per hoſce ferè annos contigerat, vt nonnulli laxioris diſciplinæ pertæſi ad mores antiquos, primùmq; Ordinis feruorem aſpirarent. Sed videlicet bonorum omnium hoſtis dæmon ſanctis eorum conſiliis multa opponebat obſtacula, dum vel Ordinis Capita, vel priuati plerique aliis moribus imbuti horum ſe Religione, atque Inſtitutis ſuggillatos interpretati omni ope ad priſtina eos itinera reuocarent, inbuóſque progreſſus interpellarent. Quod cùm fuiſſet Pontifici Maximo renunciatum, viſus illi eſt Cardinalis Rupifucaldus idoneus, qui & à nouellis hiſce pietatis ſtirpibus arceret iniuriam, & ſuis eas conſiliis, atque autoritate vegetaret. Ergo ille pro facta ſibi à Pontifice poteſtate indicto ad vallem Montis-Morentiaci eorum, qui ad meliora niterentur conuentu, collectiſque ſingulorum ſuffragiis, virum egregiè probum, honoriſque minimè omnium appetentem Vicarium nuncupat, ſelectæ eum ſuorum Congregationi præficit, aliis Ordini Præpoſitis qui laxiore viuerent diſciplina, omni cognitione atque inquiſitione in mores & inſtituta eius Congregationis interdicit, aliaque

Annus Chriſti. eam in rem conducentia ſancit. Ita pace Congregationi data lætiſſimis eam pietatis ac Religionis prouentibus breui conſpexit cumulatam. Iam cùm Pariſiis domus Hoſpitalis viduis mulieribus Deo per vota conſecratis ab Stephano Audrico Pariſienſi ſub tempora S. Ludouici deſtinata magni Eleemoſynarij cura ac prouiſione regeretur, atque earum mulierum inſtituta vetera eiuſmodi eſſent, vt non tantùm hodiernas eius ſexus leges à poſterioribus Eccleſiæ Conciliis latas conuellerent, ſed etiam multa continerent ei ſexui in huius æui corruptela parum tuta, conſultius viſum eſt Cardinali, nouis eas, ac receptis legibus adſtringere, quam veteres ac iampridem à conſuetudine, vſúque ſubmotas reuocare. Itaque decretum à Pontifice impetrauit, quo illis S. Auguſtini Regula præſcribebatur, atque ad eam conſtitutiones aliquot hodiernis moribus conſentaneæ adiiciebantur.

Capvt XIV.

Clero Franciæ conſilio & autoritate aſſiduè præſto eſt.

FVit domus eius tum maximè, cùm ad S. Genouefæ agere inſtituit, quaſi commune quoddam oraculum, ad quod vulgò concurrerent & ij, qui ab hæreſi reſipiſcentes aliquod rebus ſuis vel præſidium, vel ſubſidium depoſcerent; & ij qui claro loco nati ad Eccleſiæ obſequia animum applicarent, & ij quibus Rex beneficia ex Cardinalis, vt ſolebat, conſilio deferre vellet. Sed multò maximus eo fiebat Epiſcoporum conuentus, ſiue laboranti aliqua Regni parte Religioni ſubueniendum, ſiue Eccleſiæ tutanda priuilegia, ſiue hæreticorum conatibus obuiam eundum, ſiue alicuius Epiſcopi propulſanda iniuria, ſiue communes Eccleſiæ facultates procurandæ, ſiue aliquid à Rege in illius incolumitatem, ſplendorémque eſſet impetrandum. Sanè illa fuit in eiuſcemodi cœtibus omnium erga illum veneratio, illa eius in ſentiendo, dicendóque integritas ac

moderario, vt pari eo voluptate, atque vtilitate cogeren- *Annus*
tur. Nullam verò rem [illegible] tulit, quàm cùm quid inci- *Christi.*
diſſet inter illos Eccleſiæ Præſides, Pontificemque diſſidij,
quo eorum conſpiratio in ſubditorum ſalutem, aut retar-
dari, aut aliqua parte labefactari videretur. Itaque cum
anno CIↃIↃCXXV. neſcio quo caſu in Comitiis Eccleſiæ ge- 1625.
neralibus ſemina quædam diſſenſionum inter illa Eccleſiæ
columina, & Religioſos Ordines à Pontifice ſubſidij cauſa
ſummiſſos infeliciter iacta eſſent, nec deeſſent viri doctri-
næ ſibi nomine blandientes, qui & iam olim, & dimiſſis
maximè his Comitiis dogmata vulgare non ceſſarent vni-
tati, ac concordiæ parum amica, non tenuit dolorem Car-
dinalis, ſed publico ſcripto deteſtatus hominum quietis
impatientium molitiones maximos quoſque Regni Ma-
giſtratus præſentis admonuit periculi, atque vt in hiſce
ſchiſmatis fibris ſtirpitus conuellendis collaborare omnes
vellent, eſt magnoperè adhortatus.

Capvt XV.

Probos ac doctos viros amplectitur, ſed Religioſos cum primis, eóſque qui è Societate Iesv eſſent.

Provecta iam admodum ætate, viribúſque corpo-
ris non parùm debilitatis, cùm itineribus conficiendis,
quæ Rex ad domandam hæreticorum perduellionem poſt
annum CIↃI[illegible]XXVI. toto triennio crebrò ſuſcepit, ſatis va- 1626.
lidus non e[illegible], [illegible] ſanctæ Genouefæ frequens inco-
luit; nec tamen [illegible] tam [illegible] de Republica ſollicitu di-
nem intermiſit. Doctis etiam ac probis viris in conſilium
accitis, ſi quæ fortè inciderant Catholicæ pietati aduerſa,
eis ſtrenuè obſiſtebat, & [illegible] tum ſemina, quæ ſub do-
lis quorundam doctrinæ nomen vſurpantium propoſitioni-
bus, in vulgus ſpargebantur, conuellere, atque extirpare
magnopere ſatagebat. [illegible] verò Profeſſores, qui
Regiis mererent ſtipendiis, quòd magni Eleemoſynarij cu-
ra ac diligentia regerentur, ſemper [illegible] quam licuit opti-

Annus Christi. mos, & Catholicæ pietati addictiſſimos, neque vnquam in eorum Collegium pedem inferre quemquam eſt paſſus, qui fidei eſſet minùs exploratæ. Fouere autem non ceſſit vite eos, quorum mores, atque eruditionem probarat, tum omnibus alijs officijs, tum æquiſſima ſtipendiorum cùm res tulerat, attributione. Sed multò maxima illi tum erat cum Religioſis viris cōſuetudo, quos ad ſe frequentes euocabat, vt de reſtituẽdis antiquis Ordinum moribus, atque inſtitutis conſilium caperet, vnde extitere & nõnullæ leges eam ad rem accommodatæ, & plurimorum Monaſteriorum Ordinis ſancti Auguſtini ad ea quæ iam erant reſtituta acceſſio. Societatem IESV cum inſignibus ſemper beneuolentiæ argumentis complexus eſſet vniuerſam, tum Collegium Claromontanum, cui vnus è prædeceſſoribus Aruernenſis Eccleſiæ Epiſcopis nomen dederat, inſigni beneficentia obſtringere olim aggreſſus, nullo poſteà tempore prouidentiæ, ac benignitatis ſuæ fructibus paſſus eſt manere deſtitutum.

CAPVT XVI.

Decedit magni Eleemoſynarij munere, & fit Abbas Reomaenſis.

POSTEAQVAM annis tredecim Regiis eleemoſynis integerrima fide & circunſpectiſſima charitate præfuerat, nec iam patiebatur valetudo ipſum affectationis aulicæ perferre moleſtias, de dignitate decedere ſtatuit
1630. anno CIↃIↃCXXX. Et obſtitit Rex aliquandiu eius conſilio memor, quanto ſibi ſolatio in diſtribuendis Eccleſiaſticis honoribus illius eſſet prouidentia, ac ſolicitudo. Non enim quidquam hac in re fieri præcipitatò, atque inconſideratè, neque dignitatibus homines magis, quàm dignitates hominibus honeſtari patiebatur. Virorum quippe plurium piorum, proborúmque teſtimonia de iis, qui ad dignitates aſpirarent exigebat, nec facilè adducebatur, vt ſine illis ſuam de quoquam ſententiam diceret. Enimuerò cùm

ſatis

ſatis eſſet Regi perſpectum poſteà vires illius debiliores *Annus*
eſſe, quàm vt aulam tolerarent, & renunciatio dignitatis *Chriſti.*
Eleemoſynarij admiſſa, & honorifica ei miſſio eſt conceſſa.
Hac ille Regis gratia præſtanter vſus, & ſecum enixiùs habitare exorſus ſpiritalia ad cœlum viatica pluribus hactenùs modis eo in otio congerere non ceſſat; nec tamen interea oculos interdum non aduertit, tum ad Monaſteria, quorum Præfecturas hactenùs gerit, tum ad alias Eccleſiæ vtilitates. Ac Reomaenſis quidem Monaſterij Præfecturam anno CIƆIƆCXXXI. Regia nactus nuncupatione, ſtatim 1631.
quæ in eo vel longinquitas temporis, vel incuria hominum labefactarat, orſus eſt reſtituere. Eccleſiam rudiore tectam opere præclaro decorauit lacunari, Sancti Ioannis. oſſa ornamentis omnibus Caluiniano furore ſpoliata, argenteo incluſit loculo, ruinas ædificiorum non domi tantùm, ſed in agris etiam reſtaurauit, religioſam diſciplinam iampridem exulantem accerſitis de ſancti Mauri Congregatione Monachis poſtliminio reſtituit; nihil denique non egit, vt antiqua reuiuiſceret pietas, honores ſancto Ioanni repararentur, Deo cultus accreſceret, comprimeretur peccandi licentia, ſanctiſſimíſque exemplis populorum animi ad vitam piè Chriſtianéque inſtituẽdam pellicerentur. Quam in rem non ſuos tantùm ille prouentus, ſed multò maximè ſolicitudinem prolixè impendit.

Capvt XVII.

Monaſterio S. Dionyſij propè Pariſios Religioſam diſciplinam reddit.

Eminet inter Galliæ Monaſteria Dionyſianum apud Pariſios, Regum tumulis illuſtre, opibus copioſum, & ſanctorum hominum corporibus venerandum. Id cùm iam inde à Ludouici Pij Imperatoris temporibus ex ſancti Benedicti inſtitutis ad pietatem Religioſam eſſet excultum; tamen ſiue temporum, ſiue hominum vitio eam erat diſciplinæ labem perpeſſum, vt non tantùm eorum inſtituto-

Annus Chriſti. rum vſus exoleuiſſe videretur ; ſed ipſa etiam religioſa profeſſio, non iam ad S. Benedicti Regulam, ſed ad neſcio quas Monaſterij conſuetudines obſtringeretur. Erant iam pridem Regi moleſtæ in eo quaſi Franciæ oculo tam con-
1632. ſpicuæ maculæ. Itaque anno demum CIƆIƆCXXXII. Pontificium reſcriptum impetratum, quo Franciſco Cardinali Rupifucaldo mandabatur de nouo, vt Benedictinis ac Ciſtercienſibus Monaſteriis antiquam redderet diſciplinam. Ei reſcripto cùm Regium diploma fuiſſet annexum, quo eius negotij peragendi ratio præſcribebatur, conſultò inſtitutum eſt, vt à Dionyſiano Monaſterio reformationis initia ducerentur. Ergo primarios ad ſe Monachos cùm euocaſſet Cardinalis facilè obtinuit, vt faterentur hæc duo; alterum, Monaſterij diſciplinam ab antiqua norma plurimùm deſciuiſſe; alterum, non facilè poſſe inter ipſos reperiri, qui ei malo facerent medicinam. Quæ cùm ſatis viderentur eſſe confeſſa, illud fuit conſequens, vt decerneretur aliunde accerſendos, qui ex Pontificia Regiáque ſanctione Monaſterium in lumine priſtino Religionis, ac pietatis collocarent. Et erat ad manum religioſiſſima ſancti Mauri Congregatio, quæ propè totam iam Galliam luculenta primigenij Benedictinorum inſtituti face colluſtrabat. Inde igitur cùm quinque circiter ac triginta viros ad eius inſtituti normam præclarè directos eduxiſſet, Monaſterium illis Dionyſianum attribuit, veteres incolas pecuniaria penſione aſperſos ſuas ſibi res extra regularia clauſtra habere, ne quietem religioſam interpellarent imperauit, nouámque ei domui faciem approbante cœlo, Rege gratulante, totáque applaudente Gallia breui concinnauit.

CAPVT XVIII.

Ciſtercienſi Ordini reſtituendo præbet operam.

HÆc quoque Cardinali cura à Pontifice erat demandata, vt videret ne quid Ordo Ciſtercienſis tot iam olim nominibus in Eccleſia illuſtris cepiſſet in moribus, &

diſciplinæ detrimenti. In eam vt ſeriò incumberet præſto ſibi eſſe Pariſiis voluit Abbates quinque totius Ordinis Præſides, cum quibus vbi multam de iis, quæ ad rem pertinerent inſtituiſſet diſquiſitionem, conſilium iniit, vt rationes, quibus ei Ordini priſtinus feruor, ac ſplendor reſtitui poſſet, ſcripto publico euulgaret. Ac cùm ei negotio moræ deinceps aliquæ eſſent iniectæ, conſtare tamen omnibus voluit quænam eſſet animi ſui de illo ſententia. Nihilo verò ſecius quod tunc licuit, id egit in primis, vt qui arctiorem vitæ ac diſciplinæ rationem in Ciſtercienſi Ordine adamaſſent, ij in vnam quaſi familiam & Congregationem collecti, quietam Deo ſeruitutem ſeruirent, enatantibus è laxioris vitæ fluctibus portum ac perfugium præberent, & noua ac probè inſtituta ſobole Ordinem adaugerent. Deinde quod erat in promptu Collegium Pariſienſe, in quo totius Ordinis iuuentus litterarum ſtudiis imbuebatur, eorum qui primigenias inſtitutiones in vſum reuocarent, moderationi ſummiſit, vt dum litterarum lacti religioſarum obſeruationum auſteriorem cibum admiſcent, robuſtis ſaniſque animi viribus vitæ ſanctioris exercitationes tota ſubinde ætate tolerare poſſent. *Annus Chriſti.*

LVDOVICI DE ROCHECHOVARD

ABBATIS ADIVTORIS

Rerum Annotatio.

GRAVI annis iuxta ac meritis propatruo Franciſco Cardinali Rupifucaldo attributus eſt ab Vrbano VIII. Pontifice, ex Regis Ludouici XIII. nuncupatione, adiutor Ludouicus de Rochechouard ad annum Chriſti cIɔIɔcxxxv. Quem iuuenem qui norit intimè, fateatur 1635. opinor egregium in eo certamen eſſe nobilitatis cum virtute, virtutis cum ingenio, ingenij cum animi moderatione. Pater illi fuit Ioannes Ludouicus de Rochechouard Vice-

Annus Chriſti.

comes de Champdenier, Ludouici & Mariæ Syluiæ Ru-fucaldiæ filius, qui ſeptimo gradu à Beatrice Drocenſi Regij ſanguinis fœmina genus propagarat. Mater Ludouica de Montberon Ludouici Domini de Fontaines Chalandray filia. Parentum ſollicitudinem in ſe, vel litteris, vel probis moribus informando ſuperauit induſtria, ac indole Ludouicus, cúmque hactenus præclara eruditionis in politioribus & Philoſophicis diſciplinis exempla præbuerit, tum eum ad Theologicas attulit animum, iudicium, ſedulitatem, vt nullum ei Eccleſiaſticæ vitæ ornamentum, diuino aſpirante fauore, breui defuturum, meritò ſperare poſſimus.

ANTIQVVS CATALOGVS
ABBATVM MONASTERII
S. IOANNIS REOMAENSIS,

Cum antiquis notis Chronicis.

Hæc ſunt nomina Abbatum Reomaenſis Monaſterij.

SANCTVS Ioannes primus Fundator, qui rexit præfatum [a] Monaſterium per centum annos, vixítque centum viginti annis à tempore Imperatorum Romanorum [b] Valentiniani & Martiani, vſque ad tempus [c] Iuſtini & Iuſtiniani, quorum tempore cepit florere ſanctus Benedictus, regnante in Gallia [d] Clodoueo primo Rege Francorum Chriſtiano, & Sixto tertio Papa.

[e] Sanctus Silueſter Abbas II. diſcipulus ſancti Ioannis.

Mummolus Abbas III. S. Ioannis diſcipulus, poſteà Lingonenſis Epiſcopus.

Leopardinus Abbas IV.

Sicharius Abbas V.

Bobo Abbas VI.

[f] Hunna Abbas VII.

Celſus Abbas VIII.

QVI [a] *locus ſeu cœnobium fũdatum fuit anno Domini* CCCCXV. *ſicut in quodam libro antiquo reperitur, qui liber dicitur* Compoti. [b] *Iſti ceperunt imperare anno Domini* CCCCLI. *& imperarunt annis* VI. [c] *Iuſtinus cepit imperare anno Domini* DXI. *& imperauit annis* XXXIII. *cui ſucceſſit Iuſtinianus, qui imperauit annis* XXXVIII. [d] *Clodoueus verò vnctus fuit in ciuitate Remenſi ab Incarnatione Domini* CCCCXCIX. *ergo Reomaus Monaſterium erat fundatum* LXXXIV. *annis antequam Chriſtianus fieret Clodoueus, qui Monaſterium ditauit primo ſuæ Chriſtianitatis anno, vt patet in litteris inde ſcriptis, quas obtinuit ſanctus Ioannes.*

[e] *Sancti Ioannis ſucceſſor rexit tempore Clotarij Regis Francorum, qui cepit regnare anno Domini* DXIV.

[f] *Fuit de diſcipulis S. Columbani Luxouienſis Monaſterij, & præſidebat anno Domini* DCLXVI. *tempore Clotarij tertij Regis Francorum.*

Maſchara Abbas IX.
Deodatus Abbas X.
[g] Samuel Abbas XI.
[h] Euſtorgius Abbas XII. poſteà Lingonenſis Epiſcopus.
[i] Chriſtianus poſteà Epiſcopus.
Maurellus.
[k] Valdo.
[l] Heirardus.
Cammundus.
[m] Apollinaris.
Vigilius.
Deidonum.
Modoinus poſteà Auguſtodunenſis Epiſcopus.
Maximinus.
[n] Bernardus I. poſteà Auguſtodunenſis Epiſcopus.
Lotarius filius Caroli dicti Calui filii Ludouici primi Imperatoris, & Francorum Regis.
[o] Hincmarus Lugdunenſis Epiſcopus.
Carlomanus filius Caroli.
Vulpo.
Vulfardus.
[p] Ingebrannus.
Aurelianus.
S. Maiolus Abbas etiam Cluniacenſis.
[q] Guillelmus I. Abbas ſancti Benigni Diuionenſis.
[r] Heldricus ſancti Maioli diſcipulus.

g *Iſte cuſtos Regius præfuit Monaſterio Reomaenſi circa annum Domini* DCXCI. *tempore Dagoberti* * *Regis Francorum.*

* leg. Childeberti.

h *Præfuit Monaſterio Reomaenſi circa annum Domini* DCCX.

i *Iſti duo Chriſtianus & Maurellus præfuerunt Monaſterio Reomaenſi poſt annum* DCCXX.

k *Præſidebat circa annum* DCCLI.

l *Tempore Leonis Papæ tertij circa annum* DCCXCVI. *fuitque filius Adalardi Ducis Burgundiæ.*

m *Præſidebat tempore Caroli Magni circa annum Domini* DCCCIV.

n *Circa annum Domini* * DCCCLVI.

* leg. DCCC. XLVI.

o *Præſidebat anno Domini* DCCCLXIX.

p *Circa annum* DCCCCLVI.

q *Fuit primus Abbas Monaſterij Fiſcanenſis Rotomagenſis Diœceſis, & obiit anno* CIƆXXXIII. *cepit autem regere Monaſterium ſancti Benigni circa annum Domini* CIƆ.

r *Præſidebat anno Domini* CIƆIII. *& fuit præſidens tribus Monaſteriis vno & eodem tempore, ſcilicet ſancti Germani Antiſiodorenſi, Reomaenſi, & Flauigniacenſi.*

Guido I.
Odo I. Abbas Autiſiodorenſis.
Milo.
Hugo I.
Hugo II.
Theodoricus.
[ſ] Godofredus.
[t] Bernardus II.
Girardus.
[u] Petrus.
[x] Rainaldus.
[y] Hugo III.
[z] Hugo IIII.
[aa] Guillelmus II.
[bb] Guido II.
Guillelmus III.
Odo II.
Gaudericus.
Remondus.
Hugo V.
Guillelmus IV.
Stephanus poſteà Autiſiodorenſis Abbas.

ſ *Circa annum* CIↃXCVIII.

t *Eccleſiam Reomaenſem renouauit à fundamentis, & rexit ab anno Domini* CIↃCIX. *vſque ad annum* CIↃCXXXIII.

u *Præfuit Monaſterio Reomaenſi per plures annos ab anno Domini* CIↃCXL. *vſque ad annum* CIↃCLXXVIII. *& vltrà.*

x *Præſidebat Monaſterio Reomaenſi anno Domini* CIↃCLXXXII.

y *Anno Domini* CIↃCXCII.

z *Anno Domini* CIↃCXCVI.

aa *Anno Domini* CIↃCXCVIII.

bb *Præfuit ab anno Domini* CIↃCCXIII. *vſque ad annum Domini* CIↃCCXXXIII.

Gaufredus Abbas pacis amicus iacet in Capitulo Monaſt.
Varinus.

MENSE MARTIO.

Henricus Eduenſis Epiſcopus.
Hugo Abbas iacet in Capitulo Monaſterij.
Hugo Abbas iacet in Clauſtro Monaſterij.
Theobaudus noſtræ Congregationis Monachus.
Girardus Abbas.
Vvido Abbas.
Odo Abbas.
Gibaudus Monachorum pater benigniſſimus.
Ioſeph.
Odo Abbas.
Apollinaris Abbas.

MENSE APRILI.

Ludouicus de Iacuria Abbas laudabilis vitæ, venerabiliſque memoriæ.
Rainaldus Lingonenſis Epiſcopus.
Manaſſes Lingonenſis Epiſcopus.
Girardus.
Lambertus.
Guido de Iacuria noſtræ Congregationis Abbas.
Richerius.
Euerardus.
Ioannes.
Gaufridus Abbas.

MENSE MAIO.

N. de Saulx magnæ circunſpectionis & prudentiæ, & tenacis memoriæ, qui dedit Conuentui cc. libras, iacet in Eccleſia ante Altare S. Ludouici.
Hugo Abbas noſtræ Congregationis Monachus, qui dedit Conuentui quadraginta libras pro anniuerſario. Iacet in Monaſterii Capitulo.
Hugo Abbas iacet in Capitulo Monaſterii.
Huifredus.
Petrus de Aligny laudabilis vitæ, venerabiliſque memoriæ, noſtræ Congregationis Abbas.

MENSE IVNIO.

Bonno noſtræ Congregationis Monachus.
Robertus noſtræ Congregationis Monachus.
Durannus noſtræ Congregationis.
Arnaldus noſtræ Congregationis.
Guido de Iaucuria Abbas noſtræ Congregationis Monachus iacet in Capitulo.

MENSE IVLIO.

N. Preuoſt noſtræ Congregationis Monachus.
Siguinus noſtræ Congregationis Monachus.
Hugo noſtræ Congregationis Monachus.
Rainardus de Caſtro Lucio.
Galterius de Barro noſtræ Congregationis iacet iuxta maius Altare Eccleſiæ.

MENSE AVGVSTO.

Hugo des Noes laudabilis vitæ memoriæque, noſtræ Congregationis Monachus.
Guido noſtræ Congregationis Monachus.

MENSE SEPTEMBRI.

Hugo bonæ memoriæ Reomaenſis Eccleſiæ Abbas ſoluens vltima ſpiramina vitæ carcerali cuſtodia Romæ.
Landricus.
Silueſter.
Petrus noſtræ Congregationis Abbas laudabilis vitæ, venerabiliſque memoriæ.

MENSE OCTOBRI.

Ioannes de Cuſſigny Abbas iacet in Eccleſia ante Altare B. Mariæ.
Garnerius Angelicus noſtræ Congregationis Monachus iacet ante altare B. Mariæ.

MENSE NOVEMBRI.

Petrus Cartilus noſtræ Congregationis Monachus iacet in Capitulo.
Franciſcus de Rabutin noſtræ Congregationis Monachus iacet ante maius Altare.

NOVVS ET INTEGER
CATALOGVS
ABBATVM REOMAENSIVM.

Cum Chronicis Characteribus Præfectura eorum.

S. Ioannes Reomaenſis.	*Anno Chriſti.*	*Pontificis.*	*Imperat. Occident.*	*Regis Franciæ.*	*Regis Burgundiæ.*
Naſcitur.	425.	Cœleſtini I. 3	Valentinia. 3. 1	Pharamundi. 6	Gundicarij. 13
Condit Monaſterium.	448	Leonis I. 9	Valentinia. 3. 24	Merouei. 1	Gundicarij. 36
Ditat.	497	Anaſtaſij. 2	Theodorici. 5	Clodouei I. 16	Gundebaldi. 26
Abdicat in ſancti Silueſtri gratiam.	537	Sylucrij 3	Vitigis. 1	Childeber. I. 7	Clotarij I. 5
Moritur.	545	Vigilij. 6	Totilæ. 4	Childeber. I. 35	Clotarii I. 13
S. Sylueſter.					
Præeſt iam anno nono.	546	Vigilii. 7	Totilæ. 5	Childeberti. 36	Clotarij I. 14
Moritur.	572	Sede vacãte.	Ducũ Long. 1	Chilperici. 3	Guntramni. 11
Mummolus.					
Præeſt.	573	Benedicti I. 1	Ducũ Long. 2	Chilperici. 4	Guntramni. 12
Abdicat.	579	Pelagij II. 3	Ducũ Long. 8	Chilperici. 10	Guntramni. 18
Leopardinus.					
Præeſt.	580	Pelagii II. 4	Ducũ Long. 9	Chilperici. 11	Guntramni. 19

	Anno Chriſti.	*Pontificis.*	*Imperat. Occident.*	*Regis Franciæ.*	*Regis Burgundiæ.*
Moritur circiter.	610	Bonifacii IV. 5	Agilulfi. 24	Clotarii II. 26	Theodori I. 14
Sicharius.					
Præeſt circiter.	611	Bonifacii IV. 6	Agilulfi. 25	Clotarii II. 27	Theodori. I. 15
Moritur circiter.	636	Honorii I. 6	Rotarir. 3	Dagoberti I. 7	Dagoberti. 14
Bobo.					
Præeſt circiter.	637	Vacãte Sede.	Rotarit. 4	Dagoberti I. 8	Dagoberti. 15
Moritur circiter.	660	Vitaliani. 7	Ariperti. 6	Clodouei II. 16	Childerici. 5
Hunna.					
Præeſt circiter.	661	Vitaliani. 8	Ariperti. 7	Clodouei II. 17	Childerici. 6
Res ſancti Ioannis ſcribi curat.	664	Vitaliani. 11	Gundiperti. 1	Clotarii III. 3	Childerici. 9
Moritur circiter.	666	Vitaliani. 13	Grimoaldi. 2	Clotarii III. 5	Childerici. 11
Celſus.					
Præeſt circiter.	667	Vitaliani. 14	Grimoaldi. 3	Childerici. 1	Childerici. 12
Moritur circiter.	676	Doni. 2	Pertarit. 2	Theod. Iter. 7	Theodorici. 7
Maſchara.					
Præeſt circiter.	677	Agathonis. 1	Pertarit. 3	Theodorici. 8	Theodorici. 8
Moritur circiter.	686	Cononis. 1	Pertarit. 12	Theodorici. 17	Theodorici. 17
Deodatus.					
Præeſt circiter.	687	Sergii. 1	Pertarit. 13	Theodorici. 18	Theodorici. 18
Moritur circiter.	690	Sergii. 4	Pertarit. 16	Theodorici. 21	Theodorici. 21
Samuel.					
Præeſt circiter.	691	Sergii. 5	Pertarit. 17	Clodou. III. 1	Clodou. III. 1

	Anno Chriſti.	Pontificis.	Imperat. Occident.	Regis Franciæ.	Regis Burgundiæ.
Moritur circiter.	709	Conſtantini. 4	Aripetti II. 5	Childeb. II. 15	Childeb. II. 15
Euſtórgius.					
Praeſt.	710	Conſtantini. 5	Ariperti II. 6	Childeb. II. 16	Childeb. II. 16
Moritur.	720	Gregorii II. 7	Luitprandi 4	Chilper. II. 5	Chilperici 5
Chriſtianus.					
Praeſt.	721	Gregorii II. 8	Luitprandi. 5	Theodor. II. 1	Theodor. II. 1
Moritur circiter.	735	Gregorii III. 5	Luitprandi. 19	Theodor. II. 15	Theodor. II. 15
Maurellus.					
Praeſt circiter.	736	Gregor. III. 6	Luitprandi. 20	Interregni. 1	Interregni. 1
Moritur circiter.	750	Zachariæ. 10	Rachis. 4	Childer. III. 8	Childer. III. 8
Valdo.					
Praeſt.	751	Stephani III. 1	Rachis. 5	Childer. III. 9	Childer. III. 9
Moritur circiter.	795	Leonis III. 2	Caroli Mag. 23	Caroli Mag. 28	Caroli Mag. 25
Heirardus.					
Praeſt.	796	Leonis III. 3	Caroli Mag. 24	Caroli Mag. 29	Caroli Mag. 26
Moritur circiter.	799	Leonis III. 6	Caroli Mag. 27	Caroli Mag. 32	Caroli Mag. 29
Cammundus.					
Praeſt circiter.	800	Leonis III. 7	Car. M. Imp. 1	Caroli Mag. 33	Caroli Mag. 30
Moritur circiter.	803	Leonis III. 10	Car. M. Imp. 4	Caroli Mag. 36	Caroli Mag. 33
Apollinaris.					
Praeſt.	804	Leonis III. 11	Car. M. Imp. 5	Caroli Mag. 37	Caroli Mag. 34
Moritur circiter.	819	Paſchalis I. 4	Ludouici Pii. 6	Ludouici Pii. 6	Ludouici Pii. 6

	Anno Chriſti.	*Pontificis.*	*Imperat. Occident.*	*Regis Franciæ.*	*Regis Burgundiæ.*
Vigilius.					
Praeſt circiter.	820	Paſchalis I. 5	Ludouici Pii. 7	Ludouici Pii. 7	Ludouici Pii. 7
Moritur circiter.	834	Gregorii IV. 7	Ludouici Pii. 21	Ludouici Pii. 21	Ludouici Pii. 21
Dcidonus.					
Praeſt.	835	Gregorii IV. 8	Ludouici Pii. 22	Ludouici Pii. 22	Ludouici Pii 22
Moritur circiter.	839	Gregorii IV. 12	Ludouici Pii. 26	Ludouici Pii. 26	Ludouici Pii. 26
Modoinus.					
Praeſt.	840	Gregorii IV. 13	Lotarii. 1	Caroli Calui. 1	Caroli Calui. 1
Moritur circiter.	841	Gregorii IV. 14	Lotarii. 2	Caroli Calui. 2	Caroli Calui. 2
Maximinus.					
Praeſt circiter.	842	Gregorii IV. 15	Lotarii. 3	Caroli Calui. 3	Caroli Calui. 3
Moritur circiter.	845	Sergii II. 2	Lotarii. 6	Caroli Calui. 6	Caroli Calui. 6
Bernardus.					
Praeſt.	846	Sergii II. 3	Lotarii. 7	Caroli Calui. 7	Caroli Calui. 7
Moritur.	860	Nicolai I. 3	Ludouici II. 6	Caroli Calui. 20	Caroli Calui. 20
Lotarius.					
Praeſt.	861	Nicolai I. 4	Ludouici II. 7	Caroli Calui. 21	Caroli Calui 21
Moritur.	865	Nicolai I. 8	Ludouici II. 11	Caroli Calui. 26	Caroli Calui. 26
Hincmarus.					
Praeſt.	866	Nicolai I. 9	Ludouici II. 12	Caroli Calui. 27	Caroli Calui. 27
Abdicatur.	868	Adriani II. 1	Ludouici II. 14	Caroli Calui. 29	Caroli Calui. 29
Carlomanus.					
Praeſt.	869	Adriani II. 2	Ludouici II. 15	Caroli Calui. 30	Caroli Calui. 30
Abdicatur.	670	Adriani II. 3	Ludouici II. 16	Caroli Calui. 31	Caroli Calui. 31

	Anno Chriſti.	*Pontificis.*	*Imperat. Occident.*	*Regis Franciæ.*	*Regis Burgundiæ.*
Vulpo.					
Praeſt.	871	Adriani II. 4	Ludouici II. 17	Caroli Calui. 32	Caroli Calui. 32
Moritur circiter.	874	Ioannis VIII. 3	Ludouici II. 20	Caroli Calui. 35	Caroli Calui. 35
Vulfardus.					
Praeſt.	875	Ioannis VIII. 4	Caroli Calui. 1	Caroli Calui. 36	Caroli Calui. 36
Moritur circiter.	877	Ioannis VIII. 6	Caroli Calui. 2	Caroli Calui. 37	Caroli Calui. 37
Præfectura laica ab anno iam dicto. Ceſſauit.	955	Agapiti II. 10	Berengarii. 6	Lotarii IV. 2	Lotarii IV. 2
Ingebrannus.					
Praeſt.	956	Ioannis XII. 1	Berengarii. 7	Lotarii IV. 3	Lotarii IV. 3
Moritur circiter.	969	Ioann. XIII. 4	Ottonis I. 8	Lotarii IV. 16	Lotarii IV. 16
Aurelianus.					
Praeſt circiter.	970	Ioann. XIII. 5	Ottonis I. 9	Lotarii IV. 17	Lotarii IV. 17
Moritur circiter.	982	Bened. VII. 8	Ottonis II. 9	Lotarii IV. 29	Lotarii IV. 29
S. Maiolus.					
Praeſt circiter.	983	Bened. VII. 9	Ottonis II. 10	Lotarii IV. 30	Lotarii IV. 30
Moritur.	992	Ioannis XV. 7	Ottonis III. 9	Hug. Capeti. 5	Henr. Ducis. 5
Guillelmus I.					
Praeſt.	993	Ioannis XV. 8	Ottonis III. 10	Hug. Capeti. 6	Henr. Ducis. 6
Abdicat.	1002	Silueſtri II. 4	Henrici I. 1	Roberti. 5	Roberti. 2
Heldricus.					
Praeſt.	1003	Ioann XVI. 1	Henrici I. 2	Roberti. 6	Roberti. 3
Moritur aut abdicatur.	1016	Bened. VIII. 5	Henrici I. 15	Roberti. 19	Henrici II. 6

	Anno Chriſti.	*Pontificis.*	*Imperat. Occid.*	*Regis Franciæ.*	*Reg. Burg. mox Ducis.*
Guido I.					
Præeſt circiter.	1017	Bened. VIII. 6	Henrici I. 16	Roberti. 20	Henrici II. 7
Moritur circiter.	1030	Ioan. XVIII. 7	Conradi. 4	Roberti. 33	Henrici II. 20
Odo I.					
Præeſt circiter.	1031	Ioan. XVIII. 8	Conradi. 5	Roberti. 34	Henrici II. 21
Moritur circiter.	1044	Gregorii VI. 1	Henrici II. 5	Henrici I. 11	Roberti II. 14
Milo.					
Præeſt circiter.	1045	Gregorii VI. 2	Henrici II. 6	Henrici I. 12	Roberti II. 15
Moritur circiter.	1058	Stephani X. 1	Henrici III. 2	Henrici I. 25	Roberti II. 28
Hugo I.					
Præeſt circiter.	1059	Nicolai II. 1	Henrici III. 3	Henrici I. 26	Roberti II. 29
Moritur circiter.	1072	Alexandri II. 12	Henrici III. 16	Philippi I. 12	Roberti II. 42
Hugo II.					
Præeſt circiter.	1073	Gregor. VII. 1	Henrici III. 17	Philippi I. 13	Roberti II. 43
Moritur circiter.	1085	Gregor. VII. 13	Henrici III. 29	Philippi I. 25	Hugonis I. 10
Theodoricus.					
Præeſt circiter.	1086	Victoris III. 1	Henrici III. 30	Philippi I. 26	Hugonis I. 11
Moritur circiter.	1097	Vrbani II. 10	Henrici III. 41	Philippi I. 37	Odonis I. 19
Godefredus.					
Præeſt.	1098	Vrbani II. 11	Henrici III. 42	Philippi I. 38	Odonis I. 20
Moritur.	1108	Paſchalis II. 10	Henrici IV. 2	Philippi I. 48	Hugonis II. 7
Bernardus II.					
Præficitur.	1109	Paſchalis II. 11	Henrici IV. 3	Ludouici VI. 1	Hugonis II. 8
Moritur.	1133	Innocent. II. 4	Lotarii II. 8	Ludouici VI. 25	Odonis II. 1

Girar-

	Anno Chriſti.	Pontificis.	Imperat. Occid.	Regis Franciæ.	Ducis Burgundiæ.
Girardus.					
Præficitur.	1134	Innocent. II. 5	Lotarii II. 9	Ludou. VI. 26	Odonis II. 2
Moritur.	1138	Innocent. II. 9	Lotarii II. 13	Ludou. VII. 1	Odonis II. 6
Petrus.					
Præficitur.	1139	Innocent. II. 10	Conradi II. 1	Ludou. VII. 2	Odonis II. 7
Moritur.	1179	Alexand. III. 19	Friderici I. 28	Ludou. VII. 42	Hugonis III. 17
Rainaldus I.					
Præficitur.	1180	Alexand. III. 2[illegible]	Friderici I. 29	Ludou. VII. 43	Hugonis III. 18
Moritur.	1191	Celeſtini III. 1	Henrici V. 1	Philippi II. 11	Hugonis III. 29
Hugo III.					
Praeſt.	1192	Cœleſt. III. 2	Henrici V. 2	Philippi II. 12	Odonis III. 1
Moritur.	1195	Cœleſt. III. 5	Henrici V. 5	Philippi II. 15	Odonis III. 4
Hugo IV.					
Praeſt.	1196	Cœleſt. III. 6	Henrici V. 6	Philippi II. 16	Odonis III. 5
Moritur.	1198	Innocẽt. III. 1	Henrici V. 8	Philippi II. 18	Odonis III. 7
Guillelmus II.					
Praeſt.	1199	Innocẽt. III. 2	Philippi. 1	Philippi II. 19	Odonis III. 8
Moritur.	1212	Innocẽt. III. 15	Ottonis IV. 4	Philippi II. 32	Odonis III. 21
Guido II.					
Praeſt.	1213	Innocẽt. III. 15	Ottonis IV. 5	Philippi II. 33	Odonis III. 22
Moritur.	1236	Gregorii IX. 10	Friderici II. 18	S. Ludouici. 9	Hugonis IV. 18
Guillelmus III.					
Praeſt.	1237	Gregorii IX. 11	Friderici II. 19	S Ludouici. 10	Hugonis IV. 19
Moritur.	1241	Cœleſt. IV. 1	Friderici II. 23	S. Ludouici. 14	Hugonis IV. 23

	Anno Chriſti.	*Pontificis.*	*Imperat. Occident.*	*Regis Franciæ.*	*Ducis Burgundiæ.*
Rainaldus II.					
Praeſt.	1242	Sede vacãte.	Frederici II. 24	S. Ludouici. 14	Hugonis IV. 24
Moritur.	1249	Innocen. IV. 6	Frederici II. 31	S. Ludouici. 21	Hugonis IV. 31
Guillelmus IV.					
Præficitur.	1250	Innocen. IV. 7	Friderici II. 32	S. Ludouici. 22	Hugonis IV. 32
Moritur.	1251	Innocen. IV. 8	Guillelmi. 1	S. Ludouici. 23	Hugonis IV. 33
Odo II.					
Præficitur.	1252	Innocen. IV. 9	Guill. Bataui. 2	S. Ludouici. 24	Hugonis IV. 34
Moritur.	1279	Nicolai III. 3	Rodulfi. 7	Philippi III. 9	Roberti III. 7
Gaudricus.					
Præficitur.	1280	Nicolai III. 4	Rodulfi. 8	Philippi III. 10	Roberti III. 8
Moritur.	1296	Bonifa. VIII. 3	Adolfi. 5	Philippi IV. 11	Roberti III. 24
Regmundus de Cummines.					
Præficitur ſexto menſe ante.	1297	Bonifa. VIII. 4	Adolfi. 6	Philippi IV. 12	Roberti III. 25
Moritur.	1315	Vacãt. Sedis. 2	Lud. Bauari. 6	Ludouici X. 1	Hugonis V. 6
Guillelmus V.					
Præficitur.	1316	Ioann. XXII. 1	Lud. Bauari. 7	Ludouici X. 2	Odonis IV. 1
Moritur.	1346	Clement. VI. 5	Lud. Bauari. 37	Philippi VI. 19	Odonis IV. 31
Stephanus de Varennis.					
Praeſt.	1351	Clement. VI. 10	Car. Lutſéb. 4	Ioannis. 2	Philippi I. 2
Moritur circiter.	1359	Innocen. VI. 8	Car. Lutſéb. 12	Ioannis. 10	Philippi I. 10
Guido III. de Iacuria.					
Praeſt.	1363	Vrbani V. 2	Car. Lutſéb. 16	Ioannis. 14	Ioannis R. F. 2
Moritur circiter.	1384	Vrbani VI. 7	Venceſlai. 6	Caroli VI. 3	Philippi II. 20

	Anno Chriſti.	*Pontificis.*	*Imperat. Occid.*	*Regis Franciæ.*	*Ducis Burgundiæ.*
Ludouicus I. de Iacuria.					
		Innoc. VII.	Roberti.	Caroli VI.	Ioannis.
Praeſt.	1404	1	5	23	1
		Innoc. VII.	Roberti.	Caroli VI.	Ioannis.
Moritur.	1405	2	6	24	2
Simon.					
		Gregor. XII.	Roberti.	Caroli VI.	Ioannis.
Praeſt.	1406	1	7	25	3
		Eugenij IV.	Frider. Auſtr.	Caroli VII.	Philippi III.
Moritur circiter.	1440	10	1	18	20
Guido IV. de Lugniaco.					
		Eugenij IV.	Frider. Auſtr.	Caroli VII.	Philippi III.
Praeſt.	1445	15	7	23	25
		Eugenij IV.	Frider. Auſtr.	Caroli VII.	Philippi III.
Moritur circiter.	1446	16	8	24	26
Hugo V.					
		Nicolai V.	Frider. Auſtr.	Caroli VII.	Philippi III.
Praeſt. Incertum quandiu præfuerit.	1447	1	9	25	27
Philibertus Hugonetus Cardinalis.					
		Calliſti III.	Frider. Auſtr.	Caroli VII.	Philippi III.
Praeſt circiter.	1455	1	16	33	35
		Sixti IV.	Frider. Auſtr.	Ludou. XI.	Caroli.
Abdicat.	1475	5	37	14	8
Ioannes de Cuſſigniaco.					
		Sixti IV.	Frider. Auſtr.	Ludou. XI.	Caroli.
Præficitur.	1476	6	38	15	9
		Alexand. VI.	Frider. Auſtr.	Caroli VIII.	*Dehinc Reges Franciæ.*
Moritur.	1491	3	53	8	
Petrus de Aligny.					
		Alexand. VI.	Frider. Auſtr.	Caroli VIII.	
Præficitur quarto menſe ante.	1492	4	53	9	
		Alexand. VI.	Maximiliani.	Caroli VIII.	
Moritur circiter.	1496	8	4	13	
Sebaſtianus de Rabutin.					
		Alexand. VI.	Maximiliani.	Caroli VIII.	
Praeſt circiter.	1497	9	5	14	
		Pij III.	Maximiliani.	Ludou. XII.	
Moritur circiter.	1501	1	9	3	

	Anno Chriſti.	*Pontificis.*	*Imperat. Occident.*	*Regis Franciæ.*
Guillelmus VI. de Machecot.				
		Iulii II.	Maximilian.	Ludou. XII.
Præeſt circiter.	1502	1	10	4
		Iulii II.	Maximilian.	Ludou. XII.
Moritur.	1505	4	13	7
Petrus III. de la Baulme Cardinalis.				
		Iulii II.	Maximilian.	Ludou. XII.
Præeſt.	1506	5	14	8
		Pauli III.	Caroli V.	Franciſci I.
Moritur.	1544	11	26	30
Hieronymus de Capite-ferreo Cardinalis.				
		Pauli III.	Caroli V.	Franciſci I.
Præeſt.	1545	12	27	31
		Pauli IV.	Ferdinandi.	Henrici II.
Moritur.	1559	5	1	12
Franciſcus I. Turnonius Cardinalis.				
		Pij IV.	Ferdinandi.	Franciſci II.
Præficitur.	1560	1	2	1
		Pij IV.	Ferdinandi.	Caroli IX.
Moritur.	1562	3	4	2
Philibertus Bordeſerius Cardinalis.				
		Pij IV.	Ferdinandi I.	Caroli IX.
Præficitur.	1563	4	5	3
		Pij V.	Maximil. II.	Caroli IX
Moritur.	1570	5	7	10
Philippus Lenuncurius Cardinalis.				
		Pij V.	Maximil. II.	Caroli IX.
Præficitur.	1571	6	8	11
		Innocen. IX.	Rodolfi II.	Henrici IV.
Moritur.	1592	1	16	4
Oeconomus.				
		Clem. VIII.	Rodolfi II.	Henrici IV.
Imponitur.	1593	1	17	5
		Pauli V.	Rodolfi II.	Henrici IV.
Deſiit.	1606	1	30	18
Guillelmus VII. Fouquet de la Varenne.				
		Pauli V.	Rodolfi II.	Henrici IV.
Præficitur.	1607	2	31	19
		Pauli V.	Matthiæ	Ludou. XIII
Abdicat.	1615	10	4	6

	Anno Chriſti.	Pontificis.	Imperat. Occident.	Regis Franciæ.
Carolus Miron.				
Præficitur.	1616	Pauli V. 11	Matthiæ. 5	Ludou. XIII. 7
Abdicat circiter.	1620	Pauli V. 15	Ferdinan. II. 2	Ludou. XIII. 11
Ludouicus II. Goufier.				
Præficitur circiter.	1621	Pauli V. 16	Ferdinan. II. 3	Ludou. XIII. 12
Abdicat.	1628	Vrbani VIII. 5	Ferdinan. II. 10	Ludou XIII. 19
Armandus de Richelieu Cardinalis.				
Præficitur.	1629	Vrbani VIII. 6	Ferdinan. II. 11	Ludou. XIII. 20
Abdicat.	1630	Vrbani VIII. 7	Ferdinan. II. 12	Ludou. XIII. 21
Alphonſus du Pleſſis Cardinalis.				
Præficitur.	eodem anno.	Vrbani VIII.	Ferdinan. II.	Ludou. XIII.
Abdicat.	1631	8	13	22
Franciſcus II. de la Rochefoucauld Cardinalis.				
Præficitur.	1632	Vrbani VIII. 9	Ferdinan. II. 14	Ludou. XIII. 23
Ludouicus III. de Rochechouard.				
Adiutor cooptatus.	1635	Vrbani VIII. 12	Ferdinan. II. 17	Ludou. XIII. 26

NOTITIA DIGNITATVM, OFFICIORVM ET ECCLESIARVM MONASTERII S. IOANNIS REOMAENSIS,

vt habebant anno Chriſti cIↃIↃCXXXIV.

Dignitates tres.

PRIMA Abbatis.
Secunda Prioris.
Tertia gerentis vices Prioris.

Sex Officia quorum eſt conſtitutio penes Abbatem ſolum.

Primum Præfecti Infirmorum.
Secundum Præfecti Eleemoſynarum.
Tertium Præfecti rerum ſacrarum, ſeu Sacriſtæ.
Quartum Præfecti Cantorum.
Quintum Præfecti Theſauro.
Sextum Præfecti Refectorio.

PRIORATVS ET CAPELLÆ TREDECIM,

quorum collatio eſt Abbatis pleno iure.

In Diœceſi Lingonenſi.

Cappella de aurora diei in Monaſterio ipſo.
Prioratus Regularis ſancti Martini de Aſiaco.
Prioratus Regularis S. Stephani de Cortenniaco.
Prioratus Regularis de Iuliaco.
Prioratus Regularis S. Aniani de Scolis.

In Diœceſi Eduenſi.

Prioratus Regularis S. Magnantiæ.

Prioratus Regularis de Cadriaco.
Prioratus Regularis B. Mariæ de Villa Ionis.

In Diœceſi Matiſconenſi.

Prioratus Regularis S. Andreæ in Saturniaco.
Capella de Buſſariis cum appendicibus ſuis.

In Diœceſi Niuernenſi.

Monaſterium S. Petri de Glanno.

In Diœceſi Tullenſi.

Prioratus Regularis S. Stephani.

In Diœceſi Veſontionenſi.

Cappella aut Prioratus S. Ioannis de Roſieres in loco Purgereto.

ECCLESIÆ PAROECIALES VIGINTIquinque, & aliæ viginti quæ ſunt in patronatu Abbatis.

In Diœceſi Lingonenſi.

Eccleſia Parœcialis S. Mauritii de corpore ſancto.
Eccleſia Parœcialis S. Matthæi de Barro.
Eccleſia de Torceio ſuccurſus eius.
Eccleſia Parœcialis B. Mariæ de Fanis.
Eccleſia S. Georgij & S. Iuſti ſuccurſus eius.
Eccleſia Parœcialis S. Ioannis Baptiſtæ de Berriaco.
Eccleſia Parœcialis S. Germani de Piſiaco.
Eccleſia de Vaſſeio ſuccurſus eius.
Eccleſia Parœcialis B. Michaëlis de Marmolio.
Eccleſia B. Mariæ de Santiniaco ſuccurſus eius.
Eccleſia Parœcialis B. Mariæ de Corumblis.
Eccleſia Parœcialis B. Chriſtinæ de Viſarneo.
Eccleſia S. Caſſiani de Ateio ſuccurſus eius.
Eccleſia Parœcialis B. Petri de Vineis.
Eccleſia B. Martini de Toltriaco ſuccurſus eius.

Eccleſia Parœcialis B. Fidoli de Eſtiueo.
Eccleſia Parœcialis B. Martini de Aſiaco.
Eccleſia B. Mariæ de Rubeo-monte ſuccurſus eius.
Eccleſia Parœcialis S. Petri de Aſinariis.
Eccleſia de Nuidis ſuccurſus eius.
Eccleſia Parœcialis S. Stephani de Cortenniaco.
Eccleſia de Monte Barro ſuccurſus eius.
Eccleſia Parœcialis S. Bartholomæi de Eſtez pro parte.
Eccleſia Parœcialis B. Mariæ de Balaun.
Eccleſia de Reu les haults ſuccurſus eius.
Eccleſia Paræcialis B. Martini de Calmomonte, aliàs in Boſco.
Eccleſia Parœcialis B. Mariæ de Villa Morina.
Eccleſia de Iuliaco ſuccurſus eius.
Eccleſia Parœcialis S. Petri de Riciaco.
Eccleſiæ ſuccurſuum eius.
Eccleſia Parœcialis B. Mariæ de Oreriis.
Eccleſia S. Aniani de Scolis ſuccurſus eius.

In Diœceſi Eduenſi.

Eccleſia Parœcialis B. Lupi de Ionaio.
Eccleſia Parœcialis B. Ioannis Confeſſoris de Simuriaco.
Eccleſia S. Germani ſuccurſus eius.
Eccleſia Parœcialis S. Deſiderij de Rouuredo.
Eccleſia S. Magnantiæ ſuccurſus eius.
Eccleſia Parœcialis de Cadriaco.
Cappella de Cadriaco.
Eccleſia Parœcialis B. Mariæ de Villa Iouis.

In Diœceſi Matiſconenſi.

Eccleſia S. Andreæ.
Cappella S. Leodegarij.
Eccleſia Parœcialis B. Martini de Cereis.
Cappellæ ad eam pertinentes.

In Diœceſi Tullenſi.

Eccleſia B. Stephani.

ILLV-

ILLVSTRATIONES
HISTORIÆ MONASTERII
S. IOANNIS REOMAENSIS.
IN LIBROS II. IONÆ ABBATIS.

Ad Annotationem de ætate eius.

I. A*NNO tertio Regni Domini Clotarij Regis.*] Clotarium huncBatichildis,& Clodouei ſecundi filium natu maximum ad Regiam perueniſſe dignitatem anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo docet cõputatio annorum, quibus Reges ſinguli à Clodoueo priore ad ipſum, Regno ſunt potiti. Eius autem anno tertio ſuperſtitem fuiſſe Ionam S. Columbani ſectatorem, & ſcribendis ſanctorum illius æui hominum hiſtoriis operam impendiſſe diuturnam; liquidò conficitur ex iis, quæ ipſe ſcribit in vita Euſtachij Luxouienſis. Spondet enim ad initia ſe Valdeberti, qui Euſtachio, ſeu Euſtaſio in Luxouienſi Præfectura ſucceſſit, hiſtoriam ſcripturum, virtutéſque in eo factas enarraturum. Quæ verba innuunt iam tum vita ceſſiſſe Valdebertum, cùm hæc Ionas ſponderet. Virtutes enim in eo factas de miraculis accipiendas ſuadet ſimilis loquutio Scripturæ, Virtutes operantur in eo. Nemo autem viuentis adhuc hominis miracula ſcripto publicè ſe proditurum facilè recipiat, qui humanæ virtutis dum viuitur norit inconſtantiam. Enimuerò Valdebertum Luxouienſem perueniſſe ad tempora huius Clotarij tertij docet hiſtoria S. Batichildis capite quinto, vbi narratur eam fundando Corbeiæ Monaſterio, impertaſſe à Valdeberto Luxouienſi Abbate Theodofredum, quem nono præfecerit cœnobio, regnante tum primum Clotario filio. Itaque vidit, & exceſſit primos huius Clotarij annos Ionas noſter, qui Valdeberto tunc viuenti ſuperſtes fuit, & hiſtoriæ Euſtachij deceſſoris illius ſcribendæ poſteà incubuit. Pag. 1.

Nihilominùs fuiſſe illum ad iſta tempora grandiorem æuo facilè intelligitur ex iis quæ ipſe ſcribit in vita S. Attalæ Abbatis Bobienſis, de ſuſcepto à ſe ſub S. Columbani diſciplina religioſæ vitæ inſtituto. Narrat enim moriente Attala annum ſe decimum iam egiſſe in vita religioſa. Cùm ergo Attala Præfecturam Bobienſem ſuſceperit anno Chriſti ſexcenteſimo decimo-quarto, quo functus eſt fato Columbanus, viderítque initia Arioualdi Regis Longobardorum, vt Ionas in Bertolfo innuit, quæ contigere ad annum ſexcenteſimum viceſimum-ſextum, conficitur Ionam religioſam vitam adiiſſe ſexcenteſimo decimo-ſexto, à quo anno ad tertium Clotarij tertij fluxere anni quadraginta ſeptem, quibus ſi addas tredecim, quos ille veriſimiliter exegerat ante vitam religioſam, dicendum erit hanc S. Ioannis hiſtoriam ab eo iam ſexagenario elaboratam.

Ionas diuerſus ab aliquot aliis einſdem nominis.

Pag. 1. II. *Ionas Abbas diſciplinis ſancti Columbani eruditus.*] Dum Abbatem ſe hoc loco nuncupat Ionas, qui Adnotationem iſtam Hiſtoriæ S. Ioannis præmiſit; ab aliis ſe quibuſdam eiuſdem nominis ſeparat. Vixit enim haud procul ab ætate huius Autoris Ionas alius, qui acta ſancti Vulfrani Senonenſis Epiſcopi memoriæ non ineleganter commiſit. Sed eum ab hoc noſtro S. Columbani ſectatore diuerſum fuiſſe non pauca ſuadent. Inprimis enim Ionas ille, qui Vulfrani res proſequitur, ad extremam hiſtoriam ſuam meminit anni Chriſti ſeptingenteſimi viceſimi-noni, ad quem veriſimile non eſt, aut pertigiſſe Ionam Columbani aſſeclam, aut eo adhuc animi fuiſſe robore, vt ſcribendis id genus libris par eſſe poſſet. Qui enim anno ſexcenteſimo ſexageſimo-ſecundo, quo ſcriptum eſt opus iſtud, ſexagenarius erat, is anno ſeptingenteſimo viceſimo-nono cétenario adieciſſet viceſimum primum annum. Quam ille ætatem aut non attigit, aut ſcribendis hiſce rebus parum idoneam habuit. Adde eo noſtrum Ionam Abbatem fuiſſe, quam ipſi nuncupationem tribuit is, qui vitam S. Valerici ſcripſit haud diu poſt ætatem S. Columbani, & Beda. At ſcriptor hiſtoriæ S. Vulfrani Monachus erat tantùm, cùm illam ſcriberet, vtpote Baïno Abbati Fontanellæ obnoxius, eiúſque mandato id opus, vt profitetur, aggreſſus. Nec minimum diſcriminis huius argumentum duci poteſt ex eo, quòd ſcribendi character in Vulfrano multò ſit quàm in hoc, aliíſque noſtri Ionæ operibus, excultior, atque nitidior. Præter hos duos Ionas tertius fuit ambobus ſuo æuo celebrior, qui Eccleſiæ præfuit Aurelianenſi, nec poteſt ambigi, quin diuerſus ab ipſis fuerit, cùm longo pòſt interuallo, nempe anno octingenteſimo quadrageſimo-primo in ea Eccleſia ſederit. Quartus multò à noſtro remotior præfuit Auguſtodunenſibus anno DCCCLIII. Denique de nullo aliorum dicitur quod de noſtro, eum diſciplinis beati Columbani fuiſſe eruditum. Quæ verba non fauent lapſui Tritemij libro

de Scriptoribus Eccleſiaſticis, aſſerentis Ionam hunc noſtrum Hibernum gente, & Columbani inde ab Hibernia diſcipulum extitiſſe. Hæc enim duo falſitatis coarguit ipſe Ionas. Nam Italum ſe gente fuiſſe, non Hibernum liquidò affirmat in Attala, dum ſcribit ſe flagitantibus parentibus miſſum ab illo in patriam, cuius ſitum ita deſcribit. Ad deſtinatum, inquit, peruenimus locum, à Monaſterio diſtantem centum quadraginta millibus, vbi cùm venimus gratuita pietate à genitrice poſt tantorum interuallum annorum ſuſceptus ſum. Erat id Monaſterium Bobienſe ad fluuium Trebiam haud procul Placentia, à quo ſi metiatis, in quem voles orbis cardinem centum quadraginta millia, non tantùm procul ab Hibernia aberis, ſed etiam in aliquam Italiæ regionem incides. Iam quòd ſcribit Tritemius Ionam inde ab Hibernia diſcipulum fuiſſe Columbani, aduerſatur etiam ipſi Ionæ, qui in Attala aſſerit ſe in Monaſterio Bobienſi nomen dediſſe religioſo cœtui decennio ante mortem Attalæ Monaſterio Præfecti. Quod tempus biennio poſterius eſt morte S. Columbani, vt diximus. Non potuit ergo Columbani inde ab Hibernia diſcipulus eſſe, ſed vt circunſpectè hoc loco dicitur, diſciplinis tantùm eius fuit eruditus, id eſt regula ab eo condita, moribúſque ab eo inuectis imbutus. Itaque prudentiſſimè ſcripſit Author hiſtoriæ S. Valerici. De ſancti, inquit, Columbani virtutibus, & factis admirandis, ſi quis plura noſſe velit, cùm ea narratio à noſtro inſtituto ſit aliena, ad eruditi diſcipulorum eius diſcipuli Ionæ Abbatis præclari ſanè viri opuſculum perlegendum ſe conferat.

Quo loco, & quibus adiutoribus ſcripta ſit hæc hiſtoria.

III. *Monaſterium quod vocatur Reomaus.*] Scriptam S. Ioannis vitam in ipſius Monaſterio, cui nomen eſſet Reomaus, aſſerit hæc Annotatio. Id nomen formam habet eo ac poſteriori æuo non inſolentem, cùm & Stabulaus, & Gemblaus, & eiuſmodi alia tunc, ac poſteà ſint vſurpata. Sed an inde inflectendum ſit Reomenſe, vt Stabulenſe; an Reomaenſe, vt Gemblaenſe; an Reomacenſe, vt aliàs Gemblacenſe, ambiguum fecere libri ſcripti & editi aliud aliàs repræſentantes. Ego vt diſtinguam à Reomenſi in Aruernia, Reomaenſe ferè appellabo. Fuiſſe verò hoc nomen riuulo, qui Monaſterium præterfluit, rati ſunt quidam; ſed multò eſt ſimilius vero locum ipſum & agrum, cui inædificatum eſt Monaſterium hoc olim nomen accepiſſe. Verba præcepti Clodouei Magni hoc potiùs ſuggerunt. Locellum, inquit, ſuum in pago Tornotrinſe ſub Regula beati Macarij, ad habitationem Monachorum conſtructum, qui Reomaus vocatur, &c. noſtræ celſitudini tradidit. Ex quibus verbis illud etiam habetur S. Ioanni proprium fuiſſe eum agrum, in quo Monaſterium excitauit, nec falsò iam olim notatum in Catalogo Epiſcoporum Lingonenſium apud Monaſterium Diuionenſe S. Stephani, Patientio Epiſcopo Hilarium, & Quietam dediſſe locum, qui Pag. 1.

Mmm ij

dicitur Reomaus, ad agendam Abbatiam pro filio ſuo S. Ioanne. Quam notam ſe legiſſe teſtatur vir eruditus Claudius Robertus. Quos verò eorum, quæ ſcripſit monitores, & autores habuerit Ionas apud Reomaum, his ipſe verbis expreſſit. Per diſcipulos, inquit, memorati Confeſſoris Chriſti, vel poſteros eorum veraciter comperta. Enimuerò multos diſcipulos S. Ioannis ſuperſtites fuiſſe, cùm hanc hiſtoriam conſcriberet Ionas, nemo facilè crediderit, cùm anni iam fluxiſſent à morte eius plures quàm centum viginti. Nihilominùs eò videri poteſt dixiſſe per diſcipulos eius comperta fuiſſe, quæ hîc ſcribuntur quod à diſcipulis ad poſteros, atque ab iſtis ad Ionam eorum memoria eſſet deriuata. Itaque verba Prologi extrema, quæ in vno exemplari ſic leguntur. Nullius me inuidia refellente, ſi virum ſingularem multorum, qui illum viderunt viuorum, ac præſentium memoria teſte commendem, emendanda ſunt planè ex alio exemplari, quod ita habet. Qui illum viderunt viuum ac præſentem. Cogi tamen liber II. huius Hiſtoriæ, vt fateamur Lætum Diaconum ea longitudine ætatis fuiſſe, vt S. Ioannem, & Ionam iſta ſcribentem videre potuerit, quod non fuiſſe tunc inſolitum docet ſancti Ioannis ætas, de qua nunc agimus.

In Libri I. Prologum.

De longitudine vitæ ſancti Ioannis.

Pag 3. IV. LONGÆVO *manſit tempore.*] Ortum S. Ioannis operæ pretium fuerit certo ſemel annorum charactere deſignare, vt ea lux, quæ ex temporum nota hiſtoriæ ſolet accedere, ad eius etiam fidem, ac certitudinem affulgeat. Eum porrò characterem non facilè licet aliunde ſumere, quàm ex longitudine vitæ S. Ioannis, & anno obitus eius, de quibus vbi dixero, certam, vt opinor, temporum omnium, ac rerum geſtarum epocham originibus huius Monaſterij appoſuero. Ac de altero quidem breuiter agam hoc loco, de altero poſterius. De illo ſic ſcribit Ionas. Obiit circiter centum viginti annorum v. Kal. Februarij. S. Gregorius Turonenſis præciſiùs loquitur. Vixit, inquit, vir hic iuſtus, & religioſus ſicut Legiſlator Moyſes, centum viginti annos. Epitome huius vitæ apud Surium eodem ſenſu. Obiit, inquit, S. Ioannes Abbas anno centeſimo viceſimo. Poſteriores hi duo autores vocem illam, *circiter*, à Iona adiectam docent, non vt in annorum numerum dubitationis quidpiam inueheretur, ſed vt intelligeretur aliquid de anno extremo defuiſſe. Siue enim is annus à Chriſti Paſſione, ſiue à Natiuitate, aut Kalendis Ianuarij initium duxerit, perſpicuum eſt eum quinto Kalendas Februarij nondum fuiſſe confectum, præbuiſſéque locum Ionæ, vt centum circiter potiùs, quàm centum præciſè diceret: quod tamen aliis viſum eſt negligendum.

De anno obitus, ac proinde ortus S. Ioannis.

V. *Vt à tempore Valentiniani Cæſaris atque Martiani, vſque ad tempora Iuſtiniani Auguſti permaneret.*] Ex his ſolis Imperatorum temporibus nihil ſtati ac fixi haberi poſſe vnde ortus ac obitus S. Ioannis liquidò deſignetur, nulli non conſtat. Itaque accerſendæ mihi huc videntur ſuppetiæ aliorum verborum Ionæ, quibus ad extremum librum ſecundum ita annum obitus eius circunſcripſit, vt non ſolùm temporibus horum Imperatorum congruat, ſed etiam facilem aperiat viam, qua ex anno obitus ad annum ortus recurramus. Fato enim defunctum ac ſepultum S. Ioannem tradit *anno Domini quingenteſimo duodecimo, iuxta quod in ciclo Victorij numeratur.* Quæ verba, vt penitus perſpiciantur, paulò altiùs petenda eſt tractatio. Victorium enim hominem Aquitanum conſtat, agente Hilaro Romanæ Eccleſiæ Archidiacono, ac ſubinde Pontifice, ciclum Paſchalem annorum quingentorum triginta duorum excogitaſſe, & expanſis tabulis euulgaſſe in eum præcipuè vſum, vt principis illius feſtiuitatis certi, ac perpetuò recurrentes limites comperirentur; ſed ea etiam interim commoditate, vt rerum geſtarum tempora per diſpoſitos eo in ciclo annos liceret computare. Itaque non ſolùm Ionas hic noſter, ſed etiam Caſſiodorus ad finem Chronici, Gregorius Turonenſis in Prologo Hiſtoriæ, & Fredegarius in eius Appendice eo Victorij ciclo ad Hiſtoriæ tempora deſignanda vſos ſe eſſe profitentur. Verùm illud in hoc ciclo planè cecidit incommodè, quòd Victorius errore tunc peruulgato eundem fecerit annum Geminorum Conſulum cum anno Paſſionis Chriſti, eúmque ciclo ſuo caput præſtituerit, cùm tamen ſatis conſtet Geminorum Conſulatum triennio à Paſſione diſſitum fuiſſe. Hinc enim factum poſteà, vt nulla eſſet conſtantia autorum in annis huius cicli Victoriani ad annos Natiuitatis Chriſti accommodandis, dum alij ad caput cicli tricenos, alij tricenos ternos, alij quiddam his inferius aut medium adiecerunt. Sanè Caſſiodorus à natali Chriſti ad Geminos Conſules paria Conſulum triginta, ad Paſſionem autem triginta tria computans, totidem ciclo Victorij, quem ſequitur, præmittendos ſignificat. Gregorius verò Turonicus natale Chriſti quadrageſimo-tertio Auguſti, & Paſſionem decimo-ſeptimo anno Tiberij connectens, eidem ciclo, quem ſibi fuiſſe propoſitum ſcribit, annos triginta ſummum innuit præponendos. Sed Fredegarius diuerſus eſt ab vtroque, dum ita ſcribit, A Paſſione Domini vſque in iſtum annum præſentem in ciclo Victorij anni centum ſeptuaginta ſeptem Kalendis Ianuarij, die Dominica anni ſeptingenteſimi triceſimi-quinti. Nam ſi ad periodum Victorij primam DXXXII. annorum, quæ iam fluxerat, adiicias annos repetitæ periodi centum ſeptuaginta ſeptem, fient anni ſeptingenti nouem, qui, vt voluit Fredegarius, congruebant cum ſeptingentis triginta quinque computatis à Natiuitate, ſeu Kalendis Ianuarij.

Ergo Fredegarius annos tantùm ſex & viginti adiiciendos cenſuit ciclo Victorij, vt ad Natiuitatem Chriſti promoueretur. In has diuerſitates cùm incidiſſet Ionas noſter, Caſſiodoro, vtpote antiquiori, adhærere maluit, quàm cæteris. Itaque ciclo Victorij annos triginta tres ſolidos adiiciens, pronunciauit hæc tria. Primum S. Ioannem annos centum & viginti vixiſſe. Secundum fato functum anno quingenteſimo duodecimo cicli Victorij. Tertium cœpiſſe viuere tempore Valentiniani eius, qui imperauit cum Martiano, fuitque Placidiæ filius, & nominis illius tertius. Hæc enim tria, vt ſimul congruant, neceſſe eſt eos quos dixi annos ad ciclum Victorij ab illo additos, vt is ciclus cum annis Chriſti conueniret. Nam Valentinianus tertius non venit ad Imperium ante annum Chriſti quadringenteſimum viceſimum-quintum, vt Proſper, & alij vno conſenſu aſtruunt. Igitur S. Ioannes, qui eo imperante cœpit viuere ante hunc Chriſti annum naſci non potuit. Iam cùm vixerit annos centum viginti, perſpicuum eſt eum fato defungi non potuiſſe ante annum Chriſti quingenteſimum quadrageſimum-quintum. Cùm ergo hic annus non differat à quingenteſimo duodecimo cicli Victorij, niſi annis triginta tribus ſolidis, ſequitur non potuiſſe plures adiici, vt initium vitæ S. Ioannis non præcederet imperium Valentiniani. Verùm non pauciores etiam, quàm tres & triginta addi potuiſſe ad annos cicli, vt conuenirent cum annis Chriſti facili ratiocinatione conficitur. Si enim mortuus eſt S. Ioannes anno cicli Victorij quingenteſimo duodecimo, oportet eum natum eſſe trecenteſimo nonageſimo ſecundo eiuſdem cicli. Ab hoc verò anno ad primum Valentiniani, qui fuit iuxta atam Chriſti, quadringenteſimus viceſimus quintus, vt ſcribunt omnes Chronographi, anni interſunt non pauciores, quàm tres & triginta. Ergo vel S. Ioannes non vixit annos centum viginti, vel non pauciores, quàm tres & triginta adiici potuerunt à Iona ad annos cicli, vt cum annis Valentiniani, & Chriſti componerentur. Quòd ſi ille tres præcisè ac triginta addidit, conſtat annum Victorij, quem dicit IↃXII. eundem eſſe cum Chriſti IↃXLV. Ex hac porrò ratiocinatione conficitur S. Ioanni natalem centum viginti annis priorem, fuiſſe præcisè annum Chriſti CCCCXXV. Valentiniani Placidiæ filij I. Coſſ. Theodoſio XI. & Valentiniano I. cicli Victoriani CCCXCII. Indict. VIII. annum verò extremum, vt Chriſti DXLV. ita Iuſtiniani XIX. poſt Conſulatum Baſilij IV. cicli Victoriani CCCCXII. Indict. VIII.

Quibus Principibus vixerit S. Ioannes.

Pag. 3 VI. *Quo etiam tempore Franci cum Clodoueo Galliam inuaſere.*] Vt penitus perſpiciantur, quos hîc Ionas adiicit characteres ætatis S. Ioannis Reomaenſis ex Principum regnis, iuuat ſingulos accuratiùs expendere. Nam præter annum primum Valentiniani tertij, quo egregiè deſignat natiuitatem S. Ioannis, vt ex dictis conſtat, diſquirendum nobis

offert alium characterem temporis Martiani. A tempore, inquit, Valentiniani Cæſaris atque Martiani Imperatoris. In quo qui exiſtimet Ionam ſignificare initia S. Ioannis incidere in illud tempus, quo Martianus Valentiniano Collega eſt datus, longiſſimè fallatur. Id enim non contigit ante annum ipſius Valentiniani viceſimum-quintum, quo annò ſi natus eſſet S. Ioannes, dici non poſſet obiiſſe quingenteſimo duodecimo cicli Victorij, ſed quinto repetiti cicli. Itaque character Martiani, quem adhibet Ionas, non deſignat annum natiuitatis S. Ioannis; ſed eo tantùm, vt puto, adiicitur, vt Valentinianus à cæteris eiuſdem nominis diſcernatur. Solus enim Valentinianus tertius cum Martiano imperauit. Addit Ionas. Quo etiam tempore Franci cum Clodoueo Rege, poſtpoſitâ Republicâ, militari manu terminos Romanorum irrumpentes, Gallias inuaſere. Quæ verba ad ſancti Ioannis natiuitatem accommodari non poſſe nulli eſt dubium. Vixerat enim S. Ioannes annos iam ſex & ſeptuaginta, cùm Regnum auſpicaretur Clodoueus. Sunt igitur referenda ad tempus, quo permanſit in vita, de quo ibidem dixerat eum ad tempora Iuſtiniani permanſiſſe. Nam ab anno CCCCXXV. quo natus eſt S. Ioannes tentata eſt à Francis Gallia, atque ex parte occupata Regibus Clodione, Meroueo, & Chilperico; ſed decedente poſteà Clodoueo ad annum DXI. & multò potiùs filiis eius regnantibus ad annum DXLV. qui fuit vltimus S. Ioanni, tota in Francorum peruenerat ditionem, præter ſecundam Narbonenſem, quæ tribus pòſt annis ad eos conceſſit tota. Denique ſubdit Ionas. Sicque vſque in tempora Theodorici Regis, qui filius extitit præfati Clodouei, & filij eius Theodeberti perdurauit. Tempus ſanè Theodorici, quod annorum fuit XXIII. vt ſcribit Turonenſis libro tertio, præteriit totum ſuperſtes S. Ioannes. Ex annis verò XIV. Theodeberti, vndecim cum illo tranſegit. Itaque ſi quis ætatem ſancti Ioannis Regum Francorum temporibus velit deſignare, is dicat oportet natum Pharamundi anno V. qui, vt ſcribit Proſper Tiro, regnare cœpit CCCCXX. obiiſſe Theodeberti XI.

In Caput I.

De Nobilitate eius.

VII. GENEROSISSIMIS *parentibus eſt procreatus.*] Vigebant adhuc in Gallia per hæc ſancti Ioannis initia Romani mores, quibus nobilitas ſanguinis ſtirpe Senatoria cenſebatur. Eucherius enim ad iſta ferè tempora Clementis Romani nobilitatem ſic deſcribit libro de contemptu mundi. Clemens vetuſta proſapia Senatorum. Nec diu poſteà Theodoricus Rex Gottorum apud Caſſiodorum Variarum lib. I. 2. commendans eum, quem in Senatum aſciſcebat, quod Conſtantinopolitanis & Romanis Senatoribus ortus eſſet. Quò enim, in- Pag. 4.

quit, ſe aliqua vis nobilitatis vltrà diſtendat, quàm hæc, quæ in vtroque orbe clara eſſe promeruit. Athalaricus verò, qui illum in regno Italico excepit lib. 8.19. Senatum ſic alloquitur. Antiquitas vos fecit nobiles haberi, nos Senatum volumus etiam de numeroſitate prædicari. Denique perſeuerauit eadem perſuaſio ad ætatem Gregorij Turonici, qui lib. 2. Hiſtoriæ cap. 2. ſic ſcribit. Puella religioſa, prædiues opibus, ac ſecundùm ſæculi dignitatem nobilitate Senatoria florens. Hanc tamen de nobilitate ſententiam Romanorum fuiſſe, non Francorum, innuit idem Gregorius lib. de Gloria Confeſſorum cap. 5. Senatores, inquit, vrbis Aruernæ, qui tunc in loco illo nobilitatis Romanæ ſtemmate refulgebant. Romanæ dixit, non Francicæ, vt intelligeremus iam ab eo tempore nobilitatis decus apud Francos in eis maximè reſediſſe, qui armorum gloria à Maioribus clari eſſent. Generoſitatem S. Ioannis Romana hac nobilitate ſtetiſſe nunc eſt docendum.

Quis pater ſancti Ioannis.

Pag. 4. VIII. *Pater eius Hilarius nomine.*] Illuſtrem fuiſſe Hilarium ſancti Ioannis patrem, non tantùm ſæculi, ſed etiam, vt loquitur citatus Eucherius, ſæculorum nobilitate, quæ æternitate cenſetur, fidem facit vetus Chronicum S. Benigni, vbi legitur S. Hilarium Senatorem, & Sanctam Quietam eius vxorem iuxta Euſtadium primum cœnobij Benigniani Abbatem fuiſſe ſepultos. Quæ verba de hoc Hilario S. Ioannis patre enunciata eſſe multa perſuadent. Inprimis ratio temporis, nam Eccleſiam S. Benigni rexit Euſtadius viuente S. Gregorio Lingonenſi eius Eccleſiæ fundatore, qui S. Ioanni coæuus fuit. Deinde nomen coniugis Quietæ. Quis enim facilè crediderit eodem tempore, eodem loco aliud coniugum tam illuſtrium par eiuſdem planè nominis, nulláque vulgò diſcriminis nota ab hoc ſeiunctum, vixiſſe. Fuit igitur Hilarius humano cenſu Senator, diuino Sanctus. Quibus verò moribus ſanctitatis ille ſibi nomen quæſierit, præclarè enarrauit Gregorius Turonenſis libro de Gloria Confeſſorum cap. XLII. Omnem, inquit, domum ſuam ita in caſtitate, atque omni puritate, tam animi, quàm corporis excolebat, vt nullus ibi adulterium exercere præſumeret, eſſetque impletum in hac domo quod dudum Sancto repletus Spiritu Apoſtolus prædicauit. Honorabile connubium, & thorus immaculatus. Hæc itaque tam inter dominos, quàm inter famulos caſtitate pollente, obiit vir ille, qui qualis quantúſque fuerit iuxta ſæculi dignitatem, ſepulcrum eius hodie patefacit, quod marmore Pario ſculptum retinet.

Quæ mater ſancti Ioannis.

Pag. 4. IX. *Mater Quieta eſt vocitata.*] Præclara ſunt quæ de illa mox adiicit Gregorius. Quo, inquit, defuncto, & iuxta humanam conſuetudinem ſepulturæ mancipato mulier deducto anni circulo ægrotauit, obiit-

obiítque atque abluta eſt; & quoniam ſepulcrum illud tam immenſum erat, vt ipſam iuxta imperium viri ſuſciperet, amoto opertorio dum locaretur in tumulo, ſubitò eleuata vir dextra, coniugis ceruicem amplectitur. Quod admirans populus depoſito ceſſit opertorio, cognouítque quæ eis caſtitas, qui timor in Deum, quæ etiam inter ipſos dilectio fuiſſet in ſæculo, qui ſe ita amplexi ſunt in ſepulcro. Laudat hoc loco Gregorius Quietæ timorem in Deum, quem Ionas in hac Hiſtoria conſtantiſſimum fuiſſe obſeruauit lib. 1. cap. 7. Cùm enim illa materno affectu filij ſui iam Monachi conſpectum ambiret. Ne fidem, inquit, matris, quam in Chriſti amore, & timore fixam nouerat, contemnendo perturbaret, tranſiens ante eam parumper obtutibus eius apparuit. Quòd verò poſt Dei timorem idem Gregorius mutuam Hilarij & Quietæ dilectionem cenſuerit prædicandam, illud ſanè exiſtimarim quod ſubinde Ionas commendat. Quorum, inquit, animos cultu religionis catenatos, atque ſub omni deuotione Chriſtianus timor innexos tenebat. Hæc Hiſtoriarum Gregorij & Ionæ παραλληλία mihi videtur eſſe eiuſmodi, vt quamuis alia deeſſent argumenta, quæ Hilarium & Quietam apud vtrumque autorem eoſdem fuiſſe docerent, tamen hæc vna morum, & religionis paritas diuerſos non fuiſſe abundè ſuaderet.

Patria S. Ioannis Diuio.

X. *Cùm adhuc in domo parentum indole ætatis frueretur.*] Vnde domo fuerit S. Ioannes parùm diſertè videtur ſignificaſſe Ionas, dum dixit ortum illum eſſe ſub territorio Lingonicæ vrbis, eadémque humo genitum, quà ſepultum. Videri enim poſſet inſinuaſſe in agro Tornodorenſi genitum, cùm illic ſepultum eſſe nemo dubitet. Sed ille parùm definitè loquutus videtur. Apertius verò quiddam ac magis definitum habent verba S. Gregorii Turonici libro de Gloria Confeſſorum cap. 42. Apud Caſtrum, inquit, Diuionenſe Hilarius quidam ex Senatoribus habitauit, habens coniugem, ex qua filios dicitur ſuſcepiſſe. Eſt hic Hilarius S. Ioannis parens, de quo diximus, qui ſi Diuionenſis caſtri fuit incola, dum coniugem haberet, & filios ſuſciperet, atque ibidem vnà cum coniuge poſteà ſepultus fuit. Nulla ſanè cauſa eſt ſuſpicandi S. Ioannem alibi, quàm in paterna Diuionenſis caſtri domo lucem aſpexiſſe. Nec Ionas quidquam ſcripſit aduersùm, cùm eàdem humo ſepultum tradidit, qua genitum. Nam Lingonicum territorium totum pro eadem humo habet, in qua genitum ſimul, ac ſepultum S. Ioannem verum eſt, etiamſi Diuione genitus, in agro poſteà Tornodorenſi ſit ſepultus. Pag. 4?

In Caput II.

De prima ſeceſſione ſancti Ioannis in Eremum.

Pag. 5. XI. CVm *eſſet annorum circiter viginti*, & infrà. *In remoto villa proprijs manibus ſibi cellam ſummo labore ædificauit.*] Vertebatur ergo annus Chriſti circiter quadringenteſimus quadrageſimus quintus, Valentiniani tertii viceſimus, Theodoſii minoris triceſimus ſeptimus, cùm S. Ioannes hac Anachoreſi præludere inſtituit vitæ cœnobiticæ, quam poſteà duxit. Ac ſolitarios quidem ex Cœnobitis fieri Monaſticæ ferè militiæ lex fuit. Sic enim S. Hieronymus ad Ruſticum. De ludo Monaſteriorum eiuſmodi volumus egredi milites, quos Eremi dura rudimenta non terreant. Et Caſſianus Collatione XIX cap X. negat illos ritè ſolitudinem appetere; qui non anteà in Cœnobiis inſtituti, nec excoctis prioribus vitiis, ad ſolitariam ſe vitam immaturo deſiderio transferunt. Verùm quos Deus ad magna deſtinat, eos ferè communi cæterorum hominum lege non coercet. Cœnobitas enim ex ſolitariis contrario more exiſtere plerunque voluit, quos religioſæ vitæ columina, atque autores eſſe toto terrarum orbe cupiebat. Ita Antonium ex Nilotica, Pachomium ex Thebana, Baſilium ex Pontica, Hilarionem ex Palæſtina, Macarium ex Scetica, alios alia ex Eremo, ad inſtituendas in Oriente Cœnobitarum acies euocauit. Ita Martinum Turonica, Honoratum Lerinenſis, Romanum Iurenſis, Benedictum Sublacenſis, Columbanum Luxouienſis, aliôſque non paucos aliæ ſolitudines Cœnobiorum Patres Occidenti dedere. Ad quorum exemplum noſter etiam Ioannes duplicis ſe ſolitudinis inhabitatione ad religioſæ vitæ magiſterium informauit. Quæ tamen fuerit hæc Villa, cuius in remoto primam ſibi Cellam & Oratorium extruxit, nondum eſt mihi compertum. Sed quòd propriis ea manibus ædificarit, id antiqui fuit Anachoretorum exempli, & Monaſtici ἐργοχείρου egregium tyrocinium.

De Ioanne Conſule Galliarum tunc Rectore.

Pag. 5. XII. *Sub eodem namque tempore Gallias ſub Imperij iure Ioannes Conſul regebat.*] Rectorem omnium Galliarum per hæc tempora fuiſſe, vel Præfectum Prætorio Galliarum, qui ſimul Hiſpaniæ & Britanniæ præerat, vel Vicarium peculiariter Galliarum, res eſt notiſſima, tum ex Codicis Theodoſiani reſcriptis lib. 7. tit. 13. Viuentio Præfecto Prætorio Galliarum, & tit. 18 Vincentio alibique paſſim, tum ex notitia imperii Occidentis. Quid ergo ſibi vult hoc loco Ionas, dum Galliarum Rectorem tunc facit Ioannem Conſulem? Ego nihil aliud coniicere poſſum, niſi loquutum eſſe illum de ſola Prouincia Lugdunenſi prima,

quæ Lingonenſem tractum, vbi S. Ioannes vixit, complectebatur. Nam cùm illam olim rexiſſent Præſides, vt intelligitur ex reſcripto Conſtantini ad Antonium Marcellinum Præſidem Prouinciæ primæ Lugdunenſis Codicis Theod. lib. xi. tit. 3. tamen facta eſt ſubinde conſularis, vt exprimit Notitia Imperij Occidentalis circa tempora Theodoſij, & Valentiniani tertij. Enimuerò cùm Prouincias Conſulares regerent, vel ij qui Conſulatum Romæ geſſerant, vel qui ornamentis Conſularibus donati erant, Ioannem hunc fuiſſe Romæ Conſulem ad hæc tempora, quibus S. Ioannes primò ſeceſſit in Eremum, nemo ſibi facilè perſuaſerit. Nam hæc ſeceſſio contigit, vt dixi anno Chriſti quadringenteſimo quadrageſimo quinto. Fuit autem breuiſſimi temporis, quia & Ionas ſcribit finiſſe illam tranſacto aliquo temporis ſpatio, & vetus liber Computi Reomaenſis Monaſterij ſecundam S. Ioannis ſeceſſionem in locum Reomaum, quæ initium dedit Monaſterio, collocat ad annum cicli Victorij quadringenteſimũ decimum quintum, qui eſt Chriſti CCCCXLVIII. iuxta computationem Ionæ. Atqui nullus ab vrbe condita ad hunc Chriſti annum occurrit Ioannes Romæ Conſul, nec ordinarius, nec ſuffectus. Igitur is, qui hoc loco rexiſſe Gallias Conſul ſcribitur, nomen id Conſulis gerebat, eo tantùm quòd ornamentis Conſularibus honeſtatus eſſet. Moris enim fuit, vt ij quoque, qui ſola obtinuiſſent ornamenta, Conſulum nomine donarentur. Zeno Imperator lib. 12. Cod. tit. 3. l. 3. dignitatem Conſularem, quæ per ornamenta tribuebatur appellat Conſulatum honorarium, & l. 4. virum hoc modo Conſularem nominat Conſulem. Cæterùm Ioannis iſtius Conſulis neſcio an alibi vlla ſit mentio. Primus tamen qui hoc nomine Conſulatum geſſit ordinarium, incidit in annum Chriſti CCCCLVI, qui hac prima ſeceſſione ſancti Ioannis in Eremum vndecim annis poſterior fuit. Nec longè poſteà eandem dignitatem nactus eſt alter Ioannes Anthemio imperante anno Chriſti CCCCLXVII. fieri autem poteſt, vt ante Conſulatum ordinarium alter iſtorum Prouinciam illam Lugdunenſem cum dignitate Conſularis gubernarit. Sed nihil mihi hac de re liquet aliunde.

De ſecunda ſeceſſione S. Ioannis in Eremum.

XIII. *In deſerto quod axe Lingonico iacet, & à Caſtro cui Tornodoro nomen eſt, triginta ferè M.M. diſtat, nouus ſe condidit hoſpes.*] Secunda hæc fuit S. Ioannis Anachoreſis non prioris faſtidio, ſed loci ſecretioris atque aſperioris ſtudio ſuſcepta. Nam ſicut in magna domo, vt ſcribit ad Hilarium Eucherius, pretioſa quæque clauſtris obſignata in remotis habentur. Ita magnificentia Sanctorum abditorum Eremo, quam difficultatibus ſuis natura obſerauit, deponitur intra quoddam conclaue deſerti, ne conuerſationis humanæ vſu obſoleſcat. Erat tunc iugum Reomaenſe manu incultum, ſiluis aſperum, ab hominum fre- Pag. 5.

quentia ſemotum, & feruentibus illis S. Ioannis ſtudiis planè accommodatum. Id Ionas Tornodorenſis Caſtri vicinia deſignandum cenſuit, non alia, vt opinor, ex cauſa, niſi quòd iura inde Eccleſiaſtica, ac fortè etiam ciuilia à Reomaenſibus peterentur. Eſt enim eo in caſtro hodiéque ſedes vnius è Lingonenſibus Archidiaconis, & Clodoueus in præcepto ſancto Ioanni conceſſo Reomaum in pago Tornotrinſe collocat. Pagus autem tum regio erat, in quam ab vno loco iuriſdictio, vel Eccleſiaſtica, vel ſecularis deriuabatur. Hic verò pagus ab vrbe præcipua nunc Tornotrinſis, vt à Clodoueo, nunc Tornodriſus, vt à Carolo Caluo, nunc Ternodorenſis, nunc Trenodorenſis, frequentiùs tamen Tornodorenſis eſt vocatus.

In Caput III.

Cœnobiticam vitam iniit anno ætatis XXIII.

Pag. 5. XIV. DVx *ipſe cœleſtis militiæ collocatur.* Et infrà, *Monaſterio fidei firmitate conſtructo.*] Ea ferè fuit antiquiſſima Monaſteriorum origo, vt vnius cuiuſdam religioſo vitæ exemplo pellecti alij ſocietatem coirent, ac de Epiſcopi ferè conſenſu eum cuius ſequuti erant exempla, vitæ ſibi Magiſtrum deligerent. Hilarius Arelatenſis de origine Cœnobij Lerinenſis ſic ſcribit. Vacantem itaque inſulam ob nimietatem ſqualoris, & inacceſſam venenatorum animalium metu, Alpino haud longè iugo ſubditam petit, præter ſecreti opportunitatem ſancti ac beatiſſimi in Chriſto viri Leontij Epiſcopi oblectatus vicinia, & charitate conſtrictus. Et infrà. Certatim ſe iam illuc omnis regio quærens Deum dirigebat. Honoratum expetiit quiſquis Chriſtum deſiderauit, & planè Chriſtum quiſquis Honoratum expetiit, inuenit. Ab hoc principio vitæ, ac Præfecturæ cœnobiticæ S. Ioannis, vſque ad eius obitum annos centum computat is, qui Catalogum Abbatum Reomaenſium, quem infrà dabimus, conciunauit. Sed vel ratio illi non conſtat, vel initium Præfecturæ à primo eius ſeceſſu in ſolitudinem repetit, cùm ille duos tantùm pueros ſibi obſequentes haberet. Nam à tempore, quo poſt ſecundam ſeceſſionem in Eremum Reomaenſem Conuenæ Monachi eum ſibi in Abbatem præfecere, vſque ad obitum anni fluxere ſeptem tantùm & nonaginta. Conditum quippe eſt tum primùm Monaſterium, cùm variis è locis Monachi ad S. Ioannem conuenerunt. Atqui Monaſterij conditus incidit in annum cicli Victoriani quadringenteſimum decimum-quintum, vt liber citatus Computi teſtatus eſt, qui annus eſt Chriſti CCCCXLVIII. & ab anno S. Ioannis extremo, qui fuit quingenteſimus quadrageſimus quintus Chriſti, non plus diſtat quàm annis ſeptem & nonaginta. Itaque Præfectura S. Ioannis hoc annorum numero finita eſt, cùm anno ætatis eius viceſimo tertio initium habuiſſet.

Diſciplinam religioſam ab antiquioribus Galliæ Cœnobiis petit.

XV. *Monaſteriis Galliæ viſitatis.*] Rara fuere tunc in Gallia Monaſteria, eáque omnia ad Orientalium Monachorum leges informata, cùm aliunde vitæ exempla ducere nondum vlli in mentem veniſſet, ratis omnibus non poſſe aquas alibi, quàm in fonte hauriri puriores. Treuerenſe quoddam Monaſterium S. Maximino hodie ſacrum, inde à Conſtantini temporibus extitiſſe in Gallia quidam ſcribunt, ſed ambigo an id autoribus ſat certis probent. Anachoretas enim quoſdam vixiſſe in Treuerenſibus ſuburbiis ad tempora Valentiniani ſenioris meminit ſanctus Auguſtinus in Confeſſionibus, ſed de Cœnobiis ſilet. Itaque antiquiſſima, vt opinor, eorum, de quibus certa eſt authorum fides, cenſeri debent, quæ ab Hilario & Martino Pictauis cœpta, ac ſubinde à Martino apud Turonos fuere aucta ac propagata. Sed palmam religioſæ exercitationis tulit Lerinenſe cœnobium S. Honorato magiſtro haud diu poſteà inſtitutum. Nec multùm abſuere ab eo Inſularum Stœchadnm Monaſteria à Mineruio, Iouiniano, Leontio, & Theodoro inſtituta, vt ſcribit Caſſianus in Præfatione Collationis 18. His verò ſupparia fuere ætate quæ ipſe Caſſianus apud Maſſilienſes, & Aptenſes ſuis inſtitutionibus excoluit. Eodémque ferè æuo prodiere apud Viennam Grimanenſium, ſeu Grimniacenſium Cœnobia, ab Epiſcopis vrbis illius inſtituta. Suum quoque habuit Autiſiodori Cœnobium S. Germanus vicenis circiter annis ante Reomaenſe excitatum. Senonenſes etiam Epiſcopos quædam per hæc tempora apud ſe habuiſſe Cœnobia nonnulli tradidere. An alia tunc fuerint in Galliis, quorum celebre nomen, laudatáque eſſent inſtituta, non ſatis eſt compertum. Vt facile ſit intelligere quibus è locis S. Ioannes diſciplinam cœnobiticam ad ſuos reportarit. Pag. 6.

In Caput IV.

Lerinum clam ſuis petit.

XVI. IN *Inſulam marinam, quæ Lerinus nuncupatur, Monaſterium petiit.*] Retinet huius ſeceſſus S. Ioannis memoriam Hymnus Lerinenſis. Pag. 6.

Ioannes mente pura
Derelictâ Prælaturâ
Hæſit Lerinenſibus.

Non eſt autem dubium, quin anno vno & ſex menſibus Reomao abfuerit, cùm id Ionas hoc loco aſſeueret. Sed quo Chriſti anno abſceſſerit id verò eſt obſcuriſſimum, nec intelligi ſatis poteſt ex huius Hiſtoriæ ductu, quæ ita hoc loco connectit hanc ſeceſſionem Lerinenſem cum

inſtitutione Monaſterij Reomaenſis, vt non magnum videatur inter vtramque interponere interuallum. Verùm ex ætate S. Gregorij Lingonenſis Epiſcopi, qui ſanctum Ioannem ab illo exilio voluntario reduxit ad ſuos, intelligi poteſt non paucis à condito Monaſterio annis, eam ſeceſſionem contigiſſe. Etenim cùm Venantius Fortunatus de Gregorij Sede ſic tradiderit in eius Epitaphio,

Triginta & geminos direxit ouile per annos.

Extremáque illius mentio habeatur in ſubſcriptionibus Concilij Aurelianenſis tertii, ad annum Chriſti quingenteſimum triceſimum octauum, perſpicuè conficitur non potuiſſe ſanctum Gregorium pro munere Pontificio S. Ioannem à Lerinenſibus repetere ante annum Chriſti quingenteſimum ſextum, & S. Ioannem Reomao non exceſſiſſe ante quingenteſimum quartum; itaque ſexagenis plus minùs annis præeſſe potuit Monaſterio ante illam ſeceſſionem. Porrò ea, quæ poſt Lerinenſem reditum geſſit S. Ioannes tam multa referuntur à Iona, vt non ſinant nos admittere longè poſt initia Pontificatus S. Gregorii eũ ad ſuos reuertiſſe.

A quo Abbate Lerinenſi repetitus ſit S. Ioannes.

Pag. 6. XVII. *Vnam ad Patrem eiuſdem Monaſterij.*] Quædam exemplaria adiiciunt hoc loco, nomine Honoratum, quædam tamen his verbis carent. Epitome huius Hiſtoriæ apud Surium, & Bibliothecam Lerinenſem Abbatis nomen reticent. Sanè ſi de Honorato Lerinenſis cœnobii primo patente egit is, qui hæc verba adiecit, toto cœlo aberrauit. Nam tempora S. Gregorii Lingonenſis, qui ad hunc Monaſterii Lerinenſis Patrem litteras dicitur hoc loco dediſſe, multùm abfuere à primi illius Honorati Præfectura. Deſierat enim Honoratus eſſe nõ tantùm Abbas, ſed etiam Epiſcopus Arelatenſis, ante annum quadringenteſimum triceſimum nonum, quo Hilarius eius ſucceſſor præfuit Concilio Regenſi. Gregorius autem Lingonenſis ante annum quingenteſimum quartum, vt dixi, Epiſcopus non fuit. Ergo anteuertit Honorati Præfectura apud Lerinum annis pluſquam ſex & ſeptuaginta Epiſcopatum Gregorii. Suſpicati ſunt aliqui Honoratum, quem aliqua, vt dixi, exemplaria hîc habent, non fuiſſe primum illum Monaſterij Parentem, ſed alterum, qui poſteà fuit Maſſilienſis Epiſcopus, vt eſt apud Gennadium, libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis capite vltimo. Diſplicet hæc ſuſpicio, tum quia nemo ſcripſit hunc poſteriorem Honoratum fuiſſe Abbatem Lerinenſem, tum quia Epiſcopus fuit Maſſilienſis, antequam Gregorius eſſet Lingonenſis. Eius enim iam Epiſcopi fidem probauit Gelaſius Pontifex, vt habet ibi Gennadius, cùm tamen ille deſierit eſſe Pontifex ante annum Chriſti quingenteſimum. Quis ergo, inquies, fuit ille Pater Monaſterii Lerinenſis, à quo S. Ioannem Gregorius vendicauit? Dabo hîc nomina & tempora Abbatum Lerinenſium, qui circa S. Ioannis

tempora præfuerunt, vt ex iis coniici poſſit, ad quem ſcriptæ fuerint Gregorij litteræ. Honoratus cœnobij fundator regere illud deſiit aſcitus in Epiſcopum Arelatenſem anno Chriſti ccccxxvi. quo periit Patroclus prædeceſſor Epiſcopus, & Theodoſ. 12. Valentinianus 2. Conſul fuit, vt notauit Proſper in Chronico. Succeſſit Maximus, geſsitque Præfecturam ſolido ſeptennio, vt tradit Fauſtus in Homilia de ipſo. Deſiit proinde præeſſe Monaſterio factus Epiſcopus Regenſis anno Chriſti ccccxxxiii. Hunc excepit Fauſtus, geſsitque Præfecturam ad annum circiter ccccLxi. Nam quadringenteſimo ſexageſimo-tertio primùm inter Epiſcopos Galliæ reperitur nominatus. Fauſto ſuffectus eſt Porcharius, non is quem Satraceni ſuſtulere, ſed alius antiquior, qui authore Cypriano S. Cæſarium admiſit in diſciplinam Lerinenſem anno ætatis ſuæ viceſimo, qui fuit Chriſti ccccxci. & conſenſit conſecrationi eius, tum in Presbyterum anno DI. tum in Epiſcopum anno DIV. ætatis ipſius triceſimo-tertio. Marinus Porchario proximus fuit. De illo enim agit author vitæ S. Eugendi narrans ſe inſtituta Agaunenſia eius hortatu collegiſſe. Quò fit, vt fatendum ſit eum præfuiſſe, poſt Monaſterii Agaunenſis vel inſtitutionem, vel reſtitutionem à Sigiſmundo Rege Burgundionum. Cùm igitur id contigerit ante Concilium Epaunenſe, vt Chronicum S. Benigni tradit, videri poteſt Marinum præfuiſſe ante annum Chriſti DXVII. quo id Concilium eſt coactum. Vt meritò exiſtimare liceat, aut Porcharium, aut Marinum fuiſſe, ad quem Gregorius Lingonicus repetendi S. Ioannis cauſa litteras dedit. Illæ ergo voces nomine Honoratum in quædam exemplaria videntur irrepſiſſe ex gloſſemate margini aſcripto ab homine imperito, quod frequenter factum notabis tum alibi, tum in hiſtoria Aimonij.

In Caput V.

Subeſſe mauult S. Ioannes, quàm præeſſe.

XVIII. FLENTEM *quòd non meruerit vitam ſuam in illa quam arripuerat ſubiectione finire.*] Dignitatem, ac Præfecturam defugere laudi fuit iam olim viris ſanctis. Inprimis cùm oblatum recuſarent, non alienæ vtilitatis neglectu, aut oneris metu, ſed obediendi, ſuíque deiiciendi ſtudio. Presbyteri Ticinenſes apud Ennodium, cùm audiſſent S. Epiphanium iſta de ſe enunciantem. Licèt parendi vobis magis quàm iubendi habuerim voluntatem, mutaui tamen per officium perſonam, ſeruiendi animum non amiſi. Exclamarunt omnes. Probatiſſima, atque optima eloquia! Et S. Paulinus natali quinto, vbi deſcripſit S. Felicem Epiſcopatum Nolanum recuſantem, ſic ait, Pag. 7.

——meritum ſublime quieto
Corde premens, velut indignus, non audet honore
Creſcere.

Et mox. *.... creuit meritis qui creſcere ſede*
Noluit.

Sidonius cùm S. Simplicium Bituricenſem renunciaret Epiſcopum lib. 7. epiſt. 9. Maximè, inquit, ambiendus, quia minimè ambitioſus, non ſtudet ſuſcipere Sacerdotium, ſed mereri. Deinde qui ſuſceptam eodem obedientiæ & demiſſionis ſtudio deſeruerunt Præfecturam, altero à prioribus gradu laudis non dicam, an ſublimiore, an æquali, an humiliore ſunt ſemper collocati. Pinufio egregium hoc loco Encomium eam ob cauſam ex Caſſiano concinnauit Ionas. Nec diſſimilia ſunt quæ de Macario Alexandrino deſertâ Scitenſi Præfecturâ ad Pachomij Thebenneſiotæ diſciplinam confugiente ſcripſit Palladius. Sanctum quoque Fulgentium diu peregrinatum prædicat Edinerus, vt ad Orientales Monachos perueniret, atque apud eos, depoſito Abbatis nomine, Regulæ ſubderetur.

In Caput VI.

De Baſiliſco à ſancto Ioanne enecato.

Pag. 7. XIX. VBI *etiam peſſimus ſerpens Baſiliſcus habitabat.*] Gregorius Turonenſis, & duplex huius vitæ epitome, Baſiliſcum etiam vocant ſerpentem à S. Ioanne peremptum. Quod mirum ſanè videbitur iis qui ſcierint Baſiliſcum animal eſſe regionum tantùm æſtuantium, vt Africæ, & Ægypti; nec locis humidis, ac ſubterraneis, ſed arenoſis & apertis prouenire. Lucanus deſcribens Libyam libro nono:

In vacua regnat Baſiliſcus arena.

Et Plinius libro octauo, capite viceſimo primo. Eadem, inquit, & Baſiliſci ſerpentis vis eſt, Cyrenaica hunc generat Prouincia. Ælianus item libro quinto de animalibus capite triceſimo-primo, de Baſiliſcis ait, *Λιβύην ὁδοιπορεῶντες τὴν τῶν τοιούτων τροφόν.* Denique Ammianus libro viceſimo-ſecundo. Serpentes, inquit, alit Ægyptus innumeros, vltra omnem perniciem ſæuientes Baſiliſcos, Amphisbænas, Scytalas. Hæc cùm ita ſe habeant, mirum ſit vnde in puteo agri Lingonici extiterit Baſiliſcus. Sed illis tantùm hoc ſit mirum, qui non aduerterint nomen Baſiliſci priſcis quidem illis ſæculis ſerpenti Africano, qui halitu, viſu, tactu, atque, vt aiunt aliqui, auditu pernicioſus eſſet, fuiſſe attributum. Sed vocis quadam catachreſi ſubinde traductum ad alia ſerpentium genera, quæ illi eſſent aliquo perniciei genere conſimilia, quamuis nec ortu, nec aliis rebus paria. Sanè ſerpentes viſu, aut halitu peſtiferos ab aliis viris ſanctis enecatos hiſtoriæ plures commemorant. Nam Sozomenus libro quarto capite decimo quinto ſanctum Anachoretam Arſacium ſerpentem Nicomediæ extruxiſſe ſolâ ſuâ præſentiâ tradit, cuius hæc eſſet natura, *δράκων ἦν ἢ ἕτερον ἑρπετοῦ γένος, ὁ πρὸ τῆς ὄψεως τοὺς παρόντας τῷ φυσήματι ἀπόλλυε.* Draco erat, vel aliud ſerpentis genus, quod

ante-

antequam cõſpiceretur prætereuntes ſolo halitu necabat. Atq; hoc fortè eſt, quod in vita S. Vigoris primo Nouembris necatus ſcribitur ſerpens, qui flatu ſuo homines, & pecora ita adureret, vt locum vbi illi cubile erat nemo accedere auderet. Porrò genus id omne ſerpentum Baſiliſci nomine donatum intelliges ex Luitprando in Leone quarto Pontifice & ante illum ex Anaſtaſio Bibliothecario. Iuxta Baſilicam, inquit, B. Luciæ Martyris, quæ in Orphea ſita eſt, in quibuſdam terris, abditiſque cauernis diri generis ſerpens, qui Baſiliſcus Græcè, Latinè Regulus dicitur, ortus eſt, qui flatu ſuo ac viſione omnes, qui ad eaſdem properabant cauernas, celeriter necabat, mortiſve tradebat periculo. Addit eum S. Leonis cauernæ faucibus inſiſtentis precatione effugatum. Non diſputabo hoc loco an hæ ſerpentum vires naturæ, an Dæmonis artibus aſcribendæ, maximè in regionibus algidioribus. Vt enim multiplex eſt Dæmonis vbique nequitia, ſic & naturæ magna diuerſitas. Cæterùm non ſolùm ob perniciei ſimilitudinem, ſed etiam ob nonnullam coronati capitis analogiam Baſiliſci appellatio ad alia genera traducta fuit. Aiunt enim authores Baſiliſco illi Libyco nomen datum, vel quòd diadematis in modum caput maculis candentibus quaſi præcinctum habeat, vt Plinius, vel quòd acuminato quaſi in rectæ tiaræ formam capite aſſurgat, vt Nicander in Theriacis vocat, τὸ μὲν δέμας ὀξυκάρηνον, corpus habens acuti verticis. Atque ad hoc exemplum Oppianus libro ἁλιευτικῶν Baſiliſcum piſcem, alij verò Baſiliſcum auem nominarunt. Quare Chriſtophorus Encelius libro tertio de re metallica cap. LIV. viſum à ſe ſcripſit ſerpentem capitis acuminati in Germania, & Italia, qui vulgò Baſiliſcus diceretur, & tamen ſine pernicie conſpiceretur viuus, atque à paſtoribus necaretur. Vt hinc appareat multiplicem eſſe, ac ſemper fuiſſe nominis Baſiliſci abuſum. Omnem tamen abuſum ſuperaſſe videtur, vel pictorum audacia, qui Baſiliſcum ſerpentem alatum, bipedem, & Galli in modum criſtatum effinxere, vel quorundam Hiſtoricorum credulitas, qui eum ex vetuſti Gallinacei, aut Ibidis ouo progeneratum tradidere.

In Caput VII.

Regula S. Macarij à ſancto Ioanne ſuis tradita.

XX. SVB *Regulari tenore quem beatus Macarius Ægyptiorum indidit Monachis.*] Teſtatus eſt hoc ipſum Rex Clodoueus in Præcepto S. Ioanni conceſſo, narrans Reomaenſe Monaſterium, ſub Regula beati Macarij ad habitationem Monachorum conſtructum. Nimirùm, vt ſuprà dixi, reuocabatur per hæc tempora omnis inſtitutio Monaſtica ad fontes è quibus emanarat, nec vllus quidquam ſibi audebat vendicare perfectionis quod non eſſet ad Orientalium Patrum normam exactum. Sanè ſapientiſſimè, ſi ea quæ animum religioſis virtuti- Pag. 9.

bus informant, attendantur; ſed corporeas externáſque inſtitutiones, quibus iuuantur internæ regionum ac corporum diuerſitati, proximorúmque ſaluti accommodandas poſteriores cenſuere; atque inde ſuborta poſteà Inſtitutionum in Occidente potiſſimùm multa diuerſitas. Per hæc tamen initia Paulum, Antonium, Pachomium, Macarios, Paphnutium, omnes reſpiciebant. Ac licèt illi aut pauca, aut fortè nulla vitæ Monaſticæ inſtituta ſcriptis mandaſſet; tamen ex iis quæ ab eorum ore, vel more in Monaſteria inuecto excepta erant, perſcriptæ ſunt ab iis, qui viderant, vel compererant Regulæ, quas Occidentis Monaſteria auidiſſimè ſunt complexa. Huius generis extitiſſe arbitror Regulam ſancti Macarij, quam S. Ioannes Monaſterio Reomaenſi, & ab initio præſcripſit, & deinde ſublapſam reſtituit. Ego illam ad hanc diem conſeruatam à calumniis vendicabo, & pluribus infrà illuſtrabo.

S. Ioannes renuit ſe matri in conſpectum diu dare.

Pag. 10. XXI. *Tranſiens ante eam parumper obtutibus eius apparuit.*] Parentum, & cognatorum non tantùm colloquia, ſed etiam conſpectus penitùs defugere Anachoretici olim fuit rigoris; mitior erat lex cœnobitica, quæ ſalubria colloquia, non conuictum, & familiaritatem nimiam indulſit. Mixtum quiddam inter Anachoreſim & cœnobiticam vitam ſectabatur initio S. Ioannes. Idcircò rigidius quidpiam ſibi hoc loco ſequendum duxit, quàm ſoleret in Cœnobiis, & mollius quàm in Anachoreſi. Etenim iuxta Macarij normam apud Scetin, & Nitriam S. Ioannes ita diſtinctas in Cellas Monachos tribuit, vt vnum tamen in Oratorium pſallendi cauſa conuenirent. Clodoueus in ſuo Præcepto. Monachis, inquit, ibidem per diuerſas Cellulas manentibus, ſeu manſuris, omnia neceſſaria, &c. præbeantur. Et libro primo capite 2. S. Ioannes apud Reomaum in paruo quodam tugurio cœpit habitare, cæteris, vt opinor, non aliter habitantibus, vt ſeruaretur Regula Macarij XIII. quæ ſic loquitur de Fratrum domiciliis. De Fratribus, inquit, vel qui in Oratorio ſunt, vel qui per Cellulas conſiſtunt. Ergo ex hoc quaſi mixto viuendi Inſtituto videndum quidem ſe matri, ſed in tranſcurſu tantùm conceſſit S. Ioannes. Quanquam illud quoque ſanctis viris, qui aliis præeſſent, familiare fuit, vt minùs ſibi ſemper, quàm aliis indulgerent, ne eorum, quos formam gregis fieri oportebat facto quopiam, aut dicto vigor religionis, vt Ionas hîc loquitur, emolliretur. Omninò voluit docere ſanctus Ioannes altè ſibi in animum deſcendiſſe Regulam Macarij ſextam, Cellam vt Paradiſum habeas, fratres tuos vt æternos parentes.

In Caput VIII.

Caſtitatem ſuorum tutatur multiplici operatione.

XXII. SANCIVNT *Monachum iugi manuum operatione exerceri.*] Pag. 10.
Cauſam huius ſanctionis fuiſſe aſſerit hîc Ionas caſtimoniæ puritatem Nempe hoc hauſerat S. Ioannes ex Lerinenſi Magiſterio, ex quo & Hilarius Arelatenſis, in ſeipſo, vt ſcribit Honoratus Maſſilienſis, primùm monſtrauit quemadmodum congregatio mundum contemneret, corpus deſpiceret, & vitia ſuperaret, fatigaretur laboribus, manuum quoque operibus continuis vexaretur, ſanctis paginis inhæreret, ieiuniis & vigiliis ſtudium commodaret, vnius tegmine tunicæ æſtatis ardorem, & hyemis rigorem contenta toleraret, iter pedibus conficeret, talia ſibi ſuiſque ingerens documenta. Manducandi neceſſitas incumbit, ſemina iaciamus; vini perceptio præſumenda eſt, vineas excolamus. Vides quàm multa ſuperandis vitiis, tutandæque caſtimoniæ ſuggerere ſolerent Lerinenſes adiumenta. Non enim ſola operatione manuum, quamuis illam eò accerſerent, ſed pluribus aliis nitebantur. Quamobrem Ionas quoque hoc loco ſcribit, ex ſanctione veterum Patrum, Monachum iugi manuum operatione, & contritione, non modò corporis, ſed etiam cordis adhibitâ perfectæ caſtimoniæ puritate exerceri. Vt facilè hinc pateat religioſis illis veterum laboribus non vitæ, ſed animæ commoda quæſita fuiſſe. Quod eleganter expreſſit Macarius Regula quinta, & octaua. Nam cùm in illa dixiſſet. Non te extollas, aut magnifices vtilem aliquam operam feciſſe, non in acquirendo aliquid lucri congaudeas, aut in damno contriſteris. Addit in altera vnde intelligatur quid proſit operam feciſſe. Non oderis laborioſa opera, otium quoque ne ſecteris. In vigiliis confectus, in opere iuſto affectus ambulans, quaſi dormitans, laſſus ad ſtratum venias, & cum Chriſto requieſcere te credas. Quid enim eſt cum Chriſto quieſcere, niſi edomita laboribus corporis pugna, victorem mente Chriſtum fouere.

Quo ſenſu dederit Eulogias cum benedictione.

XXIII. *Eulogias cum benedictione largitus eſt.*] Eulogiæ Eccleſiaſtico, ac Monaſtico vſu, etſi munuſcula ſunt, non tamen omnis generis munuſcula eſſe docet Regula S. Benedicti quinquageſima quarta. Litteras, inquit, aut Eulogias, vel quælibet munuſcula accipere, aut dare. Differunt verò ab aliis munuſculis, quòd Eulogiæ in cibo ſolo ſint. Libro primo Vitarum Patrum in Frontonio omnia bona quibus ſerui Dei veſci poſſunt, Eulogiæ nominantur. Et libro ſecundo Hiſtoriæ huiuſce Reomaenſis capite tertio. Eulogiarum, inquit, munus acceptum ſanè Pag. 11.

lautiſſimum vnum paximatium, & quinque pomula. Ac ne in ſolidis tantùm cibis Eulogias putes poſitas, vide etiam vinum Benedictionem dictum in eleganti S. Carilephi Hiſtoria. Modicus, inquit, vini liquor expreſſus in paruulo vaſe habetur, petimus vt pro Benedictione cum iis omnibus, qui tecum ſunt inde ſumas. Sed hic vſus nominis non adeò eſt vulgatus. Nam qui omnium eſt frequentiſſimus, is ad panem propriè Eulogiarum nomen reſtringit. Qui vſus iampridem eſt notatus apud S. Paulinum epiſtola prima, & triceſima-prima, & apud ſanctum Auguſtinum epiſtola triceſima quarta, alióſque plures. Quare panis in Eccleſia benedictus Eulogiæ nomen excellenter obtinuit in Concilio Laodiceno Canone decimo quarto, & triceſimo ſecundo. Neſcio an vocis corruptione, an nominis mutatione factum ſit, vt idem panis etiam Oblagiæ nomen obtineret. Sed ita nihilominùs vocatur in Regula antiquiſſima Magiſtri capite ſeptuageſimo-ſexto. Cùm Oblagiæ, inquit, à Pontifice ſummo, vel à Sacerdotibus ſequentibus Monaſterio aduenerint, mox Abbas oſculans tranſmiſſum Oblagiæ munus, & leuans ſecum, omnibus qui ibi aſtant orantibus dicat hunc verſum: *Suſcepimus Deus miſericordias tuas in medio Templi tui.* Et complens ſedeat. Hæc planè referunt morem antiquum Eccleſiarum, quo inter ſe communicabant per Eulogias. Sed cur Eulogiæ apud hunc authorem tranſierint in Oblagias, non eſt facile dicere, niſi quòd licet coniicere ex Eulogiis primò factas Eblogias, ac deinde Oblagias, vnde hodiéque Galli panem tenuiſſimum vocant *Oblies.* Quod verò Ionas hoc loco ſcribit dediſſe S. Ioannem Eulogias cum Benedictione, id vel ſignificat non tantùm pane benedicto donatum hominem, ſed ipſum etiam ſeorſim benedictione conſignatum, vel Eulogiæ nomen ſumitur vniuerſè pro munere, cui ſubinde tributa ſit benedictio.

In Caput X.

Cur Agreſtium excluſerit S. Ioannes ſynaxi precum & Sacramenti.

Pag. 12. XXIV. EGREDERE, inquit Ioannes, *Agreſti foras.*] Venerat hic Agreſtius in Monaſterium, ambiens, vt Ionas loquitur, ab ore Ioannis conſecratum Chriſti corpus accipere, ſed repulſam duplicem tulit. Alteram à ſynaxi precum, alteram à ſynaxi Sacramenti. Non enim tantùm corpore illum Chriſti participare renuit, ſed ab ipſa etiam myſteriorum celebratione excludit. Et cauſam adiicit duplicem: Quo ſecretiùs, inquit, vt Monaſterij vtilitas poſcit, ſacra myſteria peragamus, & ne videamur Sanctorum Patrum irrita præcepta facere. Sanè illud Orientalibus Monachis non ſolùm Anachoreticam, ſed etiam Cœnobiticam profeſſis vitam in more fuit, vt ad precum ſynaxim ſæcu-

lares viros non admitterent. Nam Pachomius Præcepto 28. de Clericis, & Monachis peregrinis ſic habet. Si voluerint orationis tempore, atque Collectæ venire ad Conuentum Fratrum, ſi eiuſdem fidei fuerint, Miniſter Xenodochij nunciabit Monaſterij Patri, & ſic deducentur ad adorandum. Ar econtrà de ſæcularibus cap. 29. Si ſæculares homines, aut debiles, aut vaſa infirmiora, id eſt mulierculæ, ad oſtium venerint, ſuſcipient ſingulos in diuerſis locis. Cauſam mox addit. Vt grex Fratrum liberè ſuo officio ſeruiat. In Occidēte S. Columbanus, vt narrat Ionas capite 20. adductus eſt in inuidiam apud Theodoricum Regem, quòd ſæculares intra ſecreteriora ſepta non admitteret, atque ille ſe regularis Inſtituti, & religioſæ quietis eſt exceptione tutatus. Hæc de precum ſynaxi. Sed de ſynaxi Sacramenti ſancitum quoque olim videtur, non tantùm ne ſæculares apud Monachos communicarent, ſed etiam è diuerſo, ne Monachi apud ſæculares Presbyteros. Nam inprimis ſæculares à Monachis communionem capere vetabat Carthaginenſis primi Concilij Canon ſeptimus, his verbis. Clericus vel Laïcus ne communicet in aliena plebe. Non enim plebs Clericorum, aut Laïcorum erant Monachi. Et in Concilio Calcedonenſi capite quarto hoc videbatur ſignificari, cùm interdiceretur Monachis *μήτε ἐκκλησιαστικοῖς πράγμασιν ἐπικοινωνεῖν*, ne rebus Eccleſiaſticis communicarent. Ac neſcio an eodem pertineat Canon vndecimus Tarraconenſis Concilij per hæc S. Ioannis tempora editus. Monachi à Monaſterio foras egredientes, ne aliquod miniſterium Eccleſiaſticum præſumant agere. Cùm enim illis id liceret apud Monachos intra Monaſterium, declaratum eſt non licere extra apud ſæculares. Iam è contrario vetitum etiam fuiſſe ne Monachi ad ſæculares Presbyteros communicaturi accederent, docet antiqua Epitome *μοναστικῶν ἐπιτιμίων* S. Baſilij, quæ ſcripta manu extat in Collegio noſtro Pariſienſi, vbi ſic legitur, *μήτε μεταλαμβάνειν τῶν θείων καὶ ἀχράντων μυστηρίων ὑπὸ κοσμικοῦ ἱερέως, ἀλλ' ὑπὸ μοναχοῦ ἢ ἐπισκόπου*, neque participari diuinis & immaculatis myſteriis à ſæculari Sacerdote, ſed à Monacho, vel ab Epiſcopo.

In Caput XI.

Seruum ad Eccleſiam confugientem lege & miraculo tutatur.

XXV. CLARI *cuiuſdam ſeruus ad Monaſterium S. Ioannis culpa compellente confugit.*] Seruis ad Eccleſiam confugientibus, propter loci honorem impunitatem indulſere ad S. Ioannis tempora Imperatores Theodoſius, & Valentinianus lege latâ Aëtio & Valerio Conſulibus anno Chriſti cccxxxii. quæ eſt in Codice Theodoſiano lib. 9. l. 5. Hanc Imperatorum pietatem, atque humanitatem amplexa Eccleſia Galliæ primo Concilio Arauſicano Can. v. ſanxit eos, qui ad Eccleſiam confugerent tradi non oportere, ſed reuerentia loci, & interceſſione defendi. Quòd ſi quis ſeruos Clericorum pro ſuis ad Eccle- Pag. 15.

ſiam confugientibus, occupare auderet, ſanxit Canon VI. diſtrictiſſimâ damnatione feriendum. Cæterùm, ne fortè minùs, quàm par erat, vel benignitati, honorique Eccleſiæ, vel Dominorum damnis cautum eſſet, multa deinceps eas ad res fuere prouiſa. Nam pro Eccleſiæ honore ſancitum inprimis, vt à Dominis exigeretur iuramentum de eius culpæ, ob quam confugerant, impunitate. Ita conceſſum ab Imperatoribus in Baſilicis lib. 5. tit. 1. καὶ τῇ τοῦ ὅρκου βοηθείᾳ ἀμεριμνήσαντες, iuramenti ope liberantes ſolicitudine ſeruum confugam. Idque eſt ab Eccleſia approbatum in Gallia Concilij Aurelianenſis primi Can. III. Sed maioris cautionis ergo adiectum eſt deinde in eodem Concilio ad hunc modum. Poſteaquam, inquit, datis à Domino Sacramentis fuerit conſignatus, ſi aliquid pœnæ pro eadem culpa, quæ excuſatur, probatus fuerit pertuliſſe pro contemptu Eccleſiæ, & præuaricatione fidei à communione & conuiuio Catholicorum, ſicut ſuperiùs comprehenſum eſt, extraneus habeatur. Hactenùs cautio pro Eccleſiæ honore. Iam ne iniuriæ, vel damno eſſet Dominis, Eccleſiæ honor, alia eorum gratia cauta fuere. Inprimis vt ſerui confugium primo quoque tempore nunciaretur Domino. In Baſilicis iam citatis indefinitè præſcribitur huic renunciationi breuiſſimum tempus, κατὰ τὴν ἐκκλησιαστικὴν παιδείαν αὐθέντῃ, iuxta Eccleſiæ inſtitutionem citiſſimè, ſed lex Theodoſiana iam citata ſic definit. Non plus vno die ibidem dimittatur, quin Domino eius, vel cuius metu pœnam imminentem viſus eſt declinaſſe à Clericis, quorum intereſt nuncietur. Deinde vt moderata defenſione, aut interceſſione Dominus conueniretur. Sic in Baſilicis, ἢ ἐνδεία ἁρμοδίᾳ ἢ μεσιτείᾳ φιλανθρωποτάτῃ προσελθόντα τῇ τῆς συγχωρήσεως συγγνώμῃ, vel congrua defenſione, vel interceſſione humaniſſimâ veniam obtinentes. Denique eò quoque deſcendit Eccleſia, vt nollet deprecari ſeruis ea, quæ interdum non habebantur pro pœna, ſed extra culpam quoque irrogabantur, vt erat opus ruſticum, & capitis deraſio. Itaque in Epaunenſi Concilio Can. XXXIX. placuit, vt à corporalibus tantùm ſuppliciis excuſarentur, de capillis verò, vel quocunque opere à Dominis iuramenta non exigi. Fecit acerbitas huius Clari, vt cautiones iſtæ omnes ſuo non poſſent ordine procedere. Inſtituerat S. Ioannes renunciationem ſuam, atque interceſſionem per litteras. Paucis, inquit Ionas, diebus deliteſcens deprecatur, vt ad Clarum S. Ioannes epiſtolam tranſmitteret rogatoriam, quatenùs culpa donata ad Domini ſeruitium reuerteretur ſeruus excuſatus. Hic Clarus cùm debuiſſet, ſicut loquuntur Imperatores loco citato impertita indulgentia peccatorum, & nullis reſidentibus iracundiæ menti reliquiis in honorem loci; & eius reſpectu, ad cuius auxilium conuolarat, ſeruum abducere, maluit in epiſtolam S. Ioannis iram vertere, inſtúmque eius patrocinium deſpuere. Verùm pro excommunicatione, quam ex lege, vt diximus, Eccleſiaſtica merebatur, Deum ſenſit iniuriæ ſeruo ſuo illatæ vltorem, diuturnas de profano atque impuro ore pœnas exigentem.

De Nicaſio Auallonenſi Comite.

XXVI. *Erat Nicaſius vir ferocis ingenij.*] Deſcribit huius Nicaſij ingenium Venantius Fortunatus in Vita S. Germani Pariſienſis, vbi Comitem nominat, quem Ionas hoc loco regendæ Reipublicæ Auallenſis curam habuiſſe dixit. Cùm regrederetur, inquit Fortunatus, aliquando de ſancto Symphoriano Caſtello Auallone iter agens, egreditur, vbi reorum multitudo tenebatur in ergaſtulo. Hinc humiliter à Nicaſio eiuſdem loci Comite inuitatus ad prandium, ſtatim vir Dei cœpit cum eo de miſericordia habere colloquium, vt videlicet datis fideiuſſoribus, qui tenebantur, laxarentur de vinculo, atque partem culpæ cederet pietatis intuitu. Quod ille facere diſtulit obſtinato admodum ſpiritu. Duo hîc argumenta vides ferocis ingenij, & quòd carceres multitudine reorum haberet confertos, & quòd obſtinatè animum pœna eorum paſceret. Sed Deum faciliùs mouit S. Germanus, quàm hominem, interpoſitâ enim precatione feruentiſſimâ ad Deum, mox, inquit, Catenarum baccæ franguntur, vinctis ianuæ reſerantur, dies obſcurum in carcerem reducitur, damnati è tenebris in lucem procedunt, nec diutiùs pœna tenuit quos torqueret. Sic erepti Pariſiis ſancto occurrerunt Pontifici, qui nuper Aualone Caſtro tenebantur incluſi. Ferocem animum non compreſſit, ſed irritauit miraculum. Venit ad S. Germanum, vt de reis liberatis conquereretur; ſed præſentatus, vt ait Fortunatus, grauiſſimo ſubito caſu in terram proſtratus corruit, omnibus penè ſalutis deſtitutus ſolatiis. Sed ipſo Sancto intercedente, homini proſtrato mox virtus, & ſenſus regreditur. Et infrà. Qui verè didicit caſu proprio ærumnis ſuccurrere alienis. Ita Nicaſius in ſeipſo eſt eruditus à ſancto Germano. Sed non minùs luculenter eum ſubinde in ſeruo S. Ioannes erudiit, vt pergit narrare Ionas. Pag. 13.

In Caput XII.

Quomodo dæmoni in energumeno flammas exaggerarit ſanctus Ioannes.

XXVII. FLAMMARVM *quoque inuiſibilium vndique incumbentibus globis exuritur.*] Non ſanè energumenus, ſed dæmon in eo latens. Hi enim ex S. Paulino natali 3. S. Felicis audiuntur. Pag. 14.

Clamantes proprios aliena per ora dolores.

Nam etſi inextinctæ eos flammæ ſemper ambiant, tamen certior ſententia eſt, toties vera exaggerari circa illos incendia, quoties nouis ſe criminibus aduerſùs Deum aut homines implicant. Meruit enim dæmon illis ſceleribus, ob quæ primum eſt eſſentiali, vt aiunt Theologi, damnatio-

ne perculſas, vt nouis ſceleribus, quaſi quibuſdam primorum effectis, noua debeatur ſecundariæ, atque accidentalis pœnæ acceſſio. Hæc fuit iam olim mens Sanctorum. Nam S. Cyprianus epiſtola ſecunda aſſerit, Chriſtianis datam poteſtatem erraticos ſpiritus, qui ſe expugnandis hominibus immerſerint, incremento pœnæ propagantis extendere, flagris cædere, igne torrere. Ac ne in his verbis eſſe ſuſpicemur, ſolam apprehenſionem ſubdit. Res illic geritur, nec videtur, occulta plaga, & pœna manifeſta. Et S. Paulinus eodem natali,

O quantum veniam latet vltor, pœna videtur.

Multò verò apertiùs excludit S. Cyprianus genus omne apprehenſionis, libro de vanitate Idolorum. Videas illos noſtra voce & operatione Maieſtatis flagris cædi, igne torreri, incremento pœnæ propagantis extendi, & epiſtola 76. Hodie, inquit, etiam geritur, vt per Exorciſtas voce humana, & poteſtate diuina flagelletur, vratur, torqueatur diabolus. Non enim opus eſſet poteſtate, & operatione Maieſtatis diuinæ ad nudam apprehenſionem. Quòd verò flagris cædi, igne torreri, & torqueri dæmones aſſeuerat, id, vt opinor, nihil eſt aliud, quàm eadem ignis actio multis modis exaggerata, atque intentata. Porrò accedere illis hæc incrementa pœnarum ob ſcelera, quæ admittunt quotidie in homines, & in Deum cenſuit S. Auguſtinus libro 20. de Ciuitate cap 1. vbi præter iudicium, quo primùm addicti ſunt æterno igni, & illud extremum, quo perpetuis inferni carceribus concludentur nunquam exituri, medium quoddam iudicium memorat de ſingulorum ſceleribus. Iudicat, inquit, Deus non ſolùm vniuerſaliter de genere dæmonum, atque hominum, vt miſeri ſint propter primorum meritum peccatorum, ſed etiam de ſingulorum operibus propriis, quæ gerunt arbitrio voluntatis. Nam & dæmones ne torqueantur precantur, nec vtique iniuſtè, vel parcitur eis, vel pro ſua quique improbitate torquentur. Iam id tormentum quandoque eis infertur per orationem, dum, vt ſcripſit, Minutius Felix orationum incendiis de corporibus exiguntur, quandoque ſolâ rerum, aut hominum præſentiâ: quo ſenſu dixit ſanctus Athanaſius ad Marcellinum. Vrebantur dæmones, vel præſentem tantùm Dominum contuentes. Atque hoc non infimi ordinis priuilegium Sancti etiam Ioannis præſentiæ videmus hoc loco tributum.

In

In libri II. vitæ ſancti Ioannis Prologum.

De charactere Dialogiſtico huius libri.

XXVIII. SVPERVENIT *chariſſimus noſter Lætus Diaconus.*] Quod Seuerus Sulpitius aut primus, aut inter primos piorum hominum, qui in Latina Eccleſia vitam abſque ſanguine finiiſſent, res geſtas litteris tradidiſſet, eo factum, vt Hiſtoriam eius de S. Martino aliqui poſteà Scriptorum eiuſdem modi ſibi in exemplum propoſitam eſſe voluerint. Itaque cùm multa alia, mutuatis ex Sulpitio verbis, & ſententiis exprimunt, tum miracula plura, ac mortem ſanctorum hominum Dialogiſtico charactere eum imitati deſcribunt. Quamobrem Cyprianus, qui ſancti Cæſarij Arelatenſis vitam elaborauit, ſecundum operis ſui librum Meſſiani Presbyteri, & Stephani Diaconi interloquutione pertexit, eâ ferè ratione, quâ Sulpitius Gallo & Poſtumiano partes concludendæ S. Martini Hiſtoriæ attribuit. Delectatus eſt hoc exemplo Ionas hic noſter, Lætum Diaconum, vt mortem, & miracula plura S. Ioannis enarraret, inducens. Pag. 15.

In Caput I.

De Patricio Secundino.

XXIX. QVAM *Epiſtolam Secundinus Patricius manibus comprehenſam vt cognouit*, &c. *ſcabellum pede ferire.*] Pag. 16. Mons fuit per hæc tempora Regibus primùm Gottis, tum Burgundis, ac denique Francis, vt exercituum interdum ac Prouinciarum Præfectos Patriciatus dignitate ornarent. Quam dignitatem ex Imperatorum Romanorum moribus ductam nonnullis priuilegiis fecerant auctiorem. Nam inprimis non erat perpetua Zenone rerum potiente, vt conſtat ex l. 3. tit. 24. lib. 3. Cod. vbi nominatur vir Patricius & Expatricius, qui ſcilicet Patriciatu ceſſiſſet. Sed Gotti eam voluerunt eſſe perpetuam. Caſſiodorus enim de eo honore ſic loquitur lib. 1. Variar. 2. Felicitas perpetua naſcitur, dum ſucceſſoris ambitio non timetur. Nam mox vt datus fuerit in vitæ tempus reliquum homini fit coæuus. Deinde Patriciatus apud Romanos non tantùm Conſulatui, ſed etiam Magiſterio militiæ cedebat lib. 6. Codicis Theodoſiani tit. 6. l. vnica, Conſulatus & Præfectura, ſeu culmen militare anteponuntur Patriciatui; & in veteri inſcriptione Treuerenſi ſic ordinatur. Ælius Conſtantius vir Conſularis, Comes & Magiſter vtriuſque militiæ, atque Patricius. At Gotti ſoli Conſulatui Patriciatum poſtpoſuere. Caſſiodorus ibidem. Vni, inquit, tantùm cedens fulgori, quem à nobis interdum conſtat aſſumi. Huius

dignitatis magnitudine, aut morum impotentia tumidus Secundinus contra S. Ioannis Epiſtolam inſaniit, mihíque his moribus perſuaſit, non fuiſſe diuerſum ab ipſo eum, quem Gregorius Turonicus lib. 3. Hiſtoriæ cap. 33. deſcribit his verbis. Aſteriolus & Secundinus magni cum Rege habebantur. Erat autem vterque ſapiens, & Rhetoricis imbutus litteris. Sed Secundinus plerunque legationem Imperatori à Rege miſſus intulit, & ob hoc iactantiam ſumpſerat, ac nonnulla contra rationem exercebat. Meritò verò habet pro miraculo Lætus, quòd Secundinus in tremorem ac pallorem repentè ſit coniectus, poſtquam intercesſionem Epiſtolæ ſancti Ioannis pro viro paupere deſpexerat, ſcabellum pede feriens, & palma femur collidens. Erant enim hæc impotentis ac ſuperbi animi indicia. Miles glorioſus apud Plautum,

Dextera digitis rationem computat feriens femur
Dexterum.

Et apud Ezechielem cap. 25. verſ. 6. ad gentem Ammonitarum inſoleſcentem contra Iſraelitas, ait Deus. Pro eo quòd plauſiſti manu, & percuſſiſti pede, &c. Ecce ego extendam manum meam ſuper te. Hos audaciæ ac ſuperbiæ motus repentè in tremorem & deiectionem animi conuerti, res ſanè fuit digna miraculo.

In Caput II.

Quo tempore S. Ioannes Lætum à peſte exemerit.

Pag. 17. XXX. LVE *illâ, quam vtinam neſciretis! noſtros irato Deo populos, patriámque vaſtante.*] Geminam peſtilentis morbi luem commemorat circa hæc tempora Gregorius Turonicus alteram lib. 4. Hiſtoriæ cap. 5. ad tempora S. Galli Aruernorum Epiſcopi, qui precibus obtinuit, ne Aruerni eius contagione læderentur. Alterum eiuſdem libri cap. 31. ad initia Regni Guntramni. Vtraque agrum Lingonicum peruaſit, quia & priorem tota latè Gallia, exceptis Aruernis, peruagatam, & poſteriorem Lugduno, Cauilloni, Diuioni exitialem fuiſſe Gregorius ſcribit. Vtramque videre Lætus potuit, ideóque ambiguum eſſe alicui poteſt vtram hîc deſignet. Sed narrationis eius conſequentia poſtulat, vt de priore tantùm intelligatur. Nam ſatis apertè indicat Lætus S. Ioannem adhuc ſuperſtitem fuiſſe, cùm ipſe hac lue eſt afflatus, & epota putei Reomaenſis aqua perſanatus. Aquam enim illam S. Ioannis benedictione conditam fuiſſe dicit. Et capite proximo apertè affirmat ſe in fratris morbo confugiſſe ad notum iam præſidium, & paximatia à S. Ioanne expetiiſſe benedictione item ipſius conſecrata. At S. Ioannes ad Regis Guntramni tempora non peruenit. Ergo de priore tantùm peſtilentia ſermo eſt Læto. Cæterùm illam priorem octauo ante S. Galli mortem anno attribuit Gregorius Turonenſis, eius autem

mortem initio Regni Theodebaldi adhuc pueruli, ex quo ſit, vt intelligenda ſit contigiſſe ad annum ſeptimum, vel octauum Theodoberti, qui fuit Chriſti quingenteſimus quadrageſimus-primus, aut ſecundus, quo S. Ioannes annis adhuc quatuor aut quinque aberat à morte.

In Caput III.

De morbo Fidamioli in expeditione Italica contracto, & à S. Ioanne ſanato.

XXXI. THEODOBERTVS *Italiæ Clauſtris diſruptis, bellum Auſoniis intulit.*] Meminerunt belli huius Italici Scriptores plurimi, & initium eius Theodoberti ipſius ductu factum conſentiunt. Sic Procopius libro 2. Gotticorum, Turonenſis Gregorius libro 3. Hiſtoriæ cap. 32. Iornandes & alij. Sed Theodeberto Gallias mox repetente, auſpiciis eius bellum cõtinuarunt Buccelenus & Leutaris fratres, vt Agathias ſcripſit, Alemanni, quibus Aimoinus adiicit Amingum lib. 2. cap. 14. Eos è Gallia poſt Theodoberti reditum miſſos in Italiam, ait Gregorius Turonenſis; ſed Lætus hic noſter atque Aimoinus relictos ad bellum in Italia conficiendum aſſeruere. Solus quòd ſciam Lætus ſupplementa militum eis è Burgundia miſſa Mummoleno duce ſcribit hoc loco. Quis autem fuerit hic Mummolenus non ſatis liquet. Gregorius quidem Turonenſis Mummoleni meminit libro ſexto, quem patrem vocat Bobonis Ducis viri magnifici. Venantius item Fortunatus Mummolenum in aula potentem, & Regiis conſiliis clarum frequenter celebrat, ſed hic viuebat cum Fortunato, nec videtur poſſe congruere cum Mummoleno Læti. Prioris tempus non repugnat. Sed mirum eſſe poſſit, quemadmodum Fidamiolum fratrem ſuum, Burgundum patria dicat Lætus ab Italica expeditione Theodoberti morbum hauſiſſe, addàtque totam eam patriam depopulatum cùm Theodobertus Auſtraſiis præeſſet, non Burgundis. Verùm id rectè conuenit cùm Procopio libro 2. Gotticorum aſſerente Theodobertum ſolitum habere delectum militum in Burgundia, Alemanniia, & aliis Gentibus, quæ Francis parebant, *τῷ μὴ δοκεῖν ἀδικεῖν τὰ βασιλέως πράγματα*, ne videretur iniuriam facere Imperatoris negotiis. Quippe narrauerat antè libro primo Iuſtiniano Imperatori iurata fœdera interceſſiſſe cum Francis, ne ſe bello Gottico immiſcerent. Quæ fœdera ſic eluſa ſcribit, vt non Francos, ſed gentes Francis ſubditas commouerent in bellum. Sed quantum Græcæ fidei ſit tribuendum ſatis eſt notum. Porrò morbum in Burgundiam ab ea expeditione deriuatum Procopius dyſenteriam vocat, ſed Turonenſis varias febres, in quo rectè illi conuenit cum Læto noſtro dicente hoc loco Fidamiolum fratrem ſuum quartanam inde contraxiſſe, & à Ioanne ſanatum. Pag. 18.

In Caput IV. & V.

Egeſtatem ſubleuat duplici miraculo ſanctus Ioannes.

Pag. 19. XXXII. VT *nequaquam deinceps, quæ ei neceſſaria erant deeſſent.*] Duplici prouiſione homines egeſtate ſubleuauit ſanctus Ioannes hoc & ſequenti capite, altera augendo laborandi animum, altera augendo cibum. Prior tantò maioris eſt miraculi, quantò difficiliùs humana libertas Deo ſeſe accommodat, quàm rerum natura. Sed quod impreſſo ad pectus ſigno crucis hominem ex deſidioſo ac puſillanimi in ſtrenuum, ac magnanimum commutauit, eius rei cauſam ſic explicat S. Audoenus in Eligio libro 2. Vbi ſignum, inquit, crucis cum fide & timore Dei præceſſerit, nihil ibi inimicus nocere poterit. Tepidis verò & negligentibus ideò nocere poteſt, quòd relinquentes Dei præcepta per vitæ ſuæ negligentiam praua exercendo opera ipſi ſe Dæmonum poteſtati ſponte tradunt, qui ſi in Chriſti ſeruitio perſeuerarent, & eius niterentur auxilio nihil prorsùs mali paterentur. Iam frumenti in vſus pauperum ſepoſiti multiplicatio tam crebri ſemper fuit apud ſanctos viros exempli, vt ſuperfluum ſit commemorare. Non modio admetitur Deus frumenta, ſed charitate, nec patitur ſentire diſpendium, quod in pauperum eſt deſtinatum compendia.

In Caput VI.

De ſancti Sequani inſtitutione.

Pag 10. XXXIII. VIR *quidam nobili intentione preuentus Sequanus nomine.*] Quæ res impulerit S. Sequanum, vt ad ſanctum Ioannem hoc tempore adiret Lætus non explicat. Sed is, qui res eius geſtas poſteris tradidit, ſic illam expoſuit. Per dies, inquit, ſingulos ſagaci indagatione Archimandritam quærebat, qui eum Monaſticam vitam doceret, ac ſanctiſſimorum Patrum collationibus, atque inſtitutionibus magis ac magis erudiret. Erat autem in diebus illis in Tornodorenſi Monaſterio cognominato Reomaus Abbas Ioannes vocabulo, cuius ſingularis ſanctitas vniuerſas prouincias peragrarat. Ad eum illius opinionis comperta fama Sequanus ſanctiſſimus declinat. Sed quamobrem profundas noctis tenebras captarit adueniens coniecturæ noſtræ inueſtigandum permiſit Lætus. An ergo id factum ſancto quodam explorationis genere, vt videret non viſus, quanta eſſet in Monaſterio illo, vnde ſibi leges quærebat, accuratio diuini cultus? An longitudine itineris? an potiùs diuino permiſſu, vt inde à primo aditu Ioannis intelligeret rem ſibi eſſe cum homine, qui ea quæ in tenebris fierent diuinitùs præſentiret.

In Caput VII.

De officij curſu in Monaſterio Reomaenſi.

XXXIV. NEGLECTÓQVE *orationis vſu in aurora aduentum conſuetum officij curſum differrent.* Ex Regula Macarij nona fluxit, vt opinor, quòd publicas, ac ſolitas preces curſum appellarit Lætus. Sic enim illa habet. Curſum Monaſterij ſuper omnia diligas, qui verò ſæpiùs orare voluerit, vberiorem inueniet miſericordiam Chriſti. Is curſus ferè peragebatur in Reomaenſi Monaſterio ad hoc tempus nocturnis horis, vt intelligitur ex Regula decima. Matutino, inquit, dicto ita meditationem habeant fratres vſque ad horam ſecundam. Et ex vndecima vbi dicitur. Poſt horam ſecundam vnuſquiſque ad opus ſuum paratus ſit vſque ad horam nonam. Nullæ enim precationes publicæ hîc attribuuntur Primæ, Tertiæ, Sextæ, & Nonæ, quia more Ægyptiaco, vt obſeruauit Caſſianus lib. 3. Inſtitutionum cap. 2. exceptis Veſpertinis, ac Nocturnis congregationibus nulla per diem publica ſolemnitas, abſque die Sabbati & Dominica celebratur. Quam verò ob cauſam aliis horis abſtinerent ſynaxi mox exprimit, Ita, inquit, ab eis inceſſanter operatio manuum priuatim exercetur, vt Pſalmorum quoque, vel cæterarum Scripturarum meditatio nunquam penitùs omittatur, cui preces & orationes per ſingula momenta miſcentes in iis officiis, quæ nos ſtatuto tempore celebramus, totum diei tempus abſumant. Aliud placuit Palæſtinis, & Meſopotamenis, ac poſteà in Occidente Caſſiano, ſancto Benedicto & aliis, qui diurnas ſynaxes per horam Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, atque interdum plures operi manuum interponi voluerunt. Quare ad poſtrema huius Monaſterij tempora pertinent verſus illi, quos in publicis ſupplicatiouibus olim ſancto Ioanni decantatos libri ſcripti manu teſtantur. Pag 21.

Hic tibi perpetuò reſonant concentibus Odas,
Officiis & ſacris ſemper habetur honor.
Conie cti famuli, celebrant laudes, Benedicti
Inſtantes modulis nocte diéque tuis.

In Caput VIII.

Quis fuerit Iſaac Scitæ Abbas.

XXXV. INTER *multas Collationes præcipuè S. Iſaac Scitæ doctrinam meditans.*] Scripſit Caſſianus Collationes duas de continuitate orationis ex nomine Abbatis Iſaac, S. Ioanne Reomaenſi nondum nato. Dedicatæ ſunt Leontio Epiſcopo Foroiulienſi, & Elladio, Pag. 23.

non Epiſcopo, vt dixerunt aliqui, ſed adhuc Anachoretæ, vt ipſe Caſſianus liquidò aſſeuerat in præfatione decem priorum Collationum. At iſta dedicatio præceſſit eam, qua ſeptem aliæ Collationes Thebaicæ S. Honorato nondum Epiſcopo Arelatenſi ſunt inſcriptæ. Cùm ergo ille Epiſcopus fuerit anno tantùm poſt natum ſanctum Ioannem, conficitur Collationes Abbatis Iſaac eo nondum, aut vix dum nato conſcriptas. Potuit igitur eas legere inde à prima adoleſcentia, aut ſaltem ab initio Monachiſmo, vt mirum ſit ſeni adeò placuiſſe, quæ iuueni poterant eſſe nota. Sed hi ſunt Sanctorum mores nullo rerum bonarum faſtidio tangi. Ieiunia, inquit hoc loco Lætus, & orationes æquè vt iuuenili ætate tulerat, eo modo & ſenili portabat. Cæterùm qui in iſtis Collationibus loquitur Iſaac Abbas Scitæ, ſiue vt alij ſcribunt Scythæ, exiſtimatus eſt ab aliquibus è Scytharum gente, perinde ac Caſſianus originem, ac nomen duxiſſe. Quòd S. Chryſoſtomus multos, vt aiunt, ex ea gente euocaſſet Ordinibus ſacris admouendos, atque ad gentis ſuæ conuerſionem remittendos. Mihi vehemens ſuſpicio eſt non à Scythia, ſed à regione Ægypti, cui Græci *Σκῆτιν*, vel *Σκῆθιν*, vel *Σκιτιν* nomen fecere, tam Abbatem Iſaac, quàm Caſſianum *ἐπωνυμίαν* nactos eſſe. Nam Caſſianum natione fuiſſe Scytham ægrè perſuadeor, cùm ipſe teſtetur in Epiſtola ad Caſtorem, ſe à pueritia in Monaſterio Syriæ vitam duxiſſe Monaſticam, quod non eſt conſentaneum cum iis quæ à ſancto Chryſoſtomo produntur facta circa Caſſianum. Veriſimilius ergo eſt tam Caſſianum Scithæ, quam Iſaacum Scithæ dictum eo modo, quo opera Euagrij in Bibliotheca Regia inſcribuntur, Εὐαγρίου τοῦ ἐν Σκήτῃ, Euagrij Scitæ, vel qui in Scita vixit. Et apud Sozomenum lib. 3. capite 13. Macarij duo dicuntur, *ἡγεμόνες τῆς Σκήθεως*, Abbates Scithæ. Sanè Caſſianus à Gennadio, vt eſt hodie editus, dicitur natione Scytha, ab Honorio natione Afer, à Photio, & omnibus libris ſcriptis manu, qui Græcè eius opera exhibent, patria Romanus. Quæ omnia cùm ſimul eſſe vera non poſſint, non aliter videntur commodè conciliari, quàm ſi dicamus Gennadium fuiſſe vitiatum; cùmque ſcripſiſſet Caſſianus Scithæ, ſicut hoc loco, Iſaac Scitæ, ſubintelligendo vel Abbas, vel Monachus, imperitum aliquem correctorem vocem illam, *natione*, inſeruiſſe, & vocem, *Scitæ*, in Scytham commutaſſe. Sic enim rectè dixerit Honorius eum fuiſſe Afrum non natione, quæ vox illi ex Gennadio hæſit, ſed Monachatu & profeſſione. Nam Scithis, ſeu Scita Ægypti conſtituitur in Africa à Ptolomæo tabula quarta ſub nomine *Σκυθιακῆς χώρας*. Quòd verò aliqui, vt Gennadium Honorio concilient, populos Scythas reuocari ad Afros comminiſcuntur, res eſt apud veteres omnes inaudita. Cenſuerim ergo ex conſtanti Græcorum omnium aſſertione, Caſſianum natione fuiſſe Romanum, id eſt Latinum, iis fortè Latinis oriundum, qui eo tempore Bethleemiticam peregrinationem frequentes appetebant, ſed in Monaſteriis apud Bethleem in pueritia, deinde longo tem-

pore apud Scythim Ægypti verſatum, quod ipſe teſtatur in præfatione Collationis primæ, ex qua, vt opinor, maximè nomen illud Scythæ obtinuit. Cùm enim ſe in Eremo Scythica, vt hodie ſcribitur, ſummorum Patrum viſu, vel diſcipulatu, vel conſortio dignum à Deo factum diceret, in promptu fuit, vt Scytha exiſtimaretur. Sed Eremus illa non Scythica, ſed Scithica, aut ex Ptolomæo Scithiaca fuit. Cæterùm Latinum ipſum fuiſſe ſatis probat nitor & puritas ſermonis Latini, quo ipſe teſtatur in eadem Præfatione à ſe ſcriptas Collationes. Græca enim illius quæ reperiuntur in Regia Bibliotheca & alibi ex Latinis fuiſſe aut interpretata, aut expreſſà, clarum argumentum eſt quòd eiuſdem operis diræ interdum vel interpretationes, vel Epitomæ Græcæ inueniantur.

In Caput IX.

De obitu & ſepultura S. Ioannis.

XXXVI. OBIIT *ergo centum viginti annorum v. Kalend. Februarij.*] Collocant ea die natale eius Martyrologia Bedæ, Vſuardi, Adonis, & alia his verbis. In Monaſterio Reomaenſi depoſitio ſancti Ioannis Presbyteri viri Dei. Vbi voces illæ, Viri Dei, vt non ſunt otioſæ, ita nec ſatis explicatæ ſententiæ. Coniici tamen poteſt ex aliis locis excellentiam quandam ſanctitatis, innocentiæ, & virtutis ad patranda miracula his verbis exprimi. Ita enim ſignificant ferè in Veteri Teſtamento, & in aliis duobus locis Martyrologij, vbi Baldomeres Lugdunenſis, & Ioannes Syrus viri Dei vocitantur. Refert etiam feſtiuitatem S. Ioannis Reomaenſis ad vicesimum-ſecundum Septembris Moſander tom. 7. Surij. Sed ea pertinet ad tranſlationem à Leopardino Abbate factam, vt refertur libro 1. Miraculorum capite 1. decimo Kal. Octobris. Locus ſepulturæ eius ante primam Leopardini tranſlationem ſubobſcurus eſt. Sepultus eſt, inquit Lætus, haud procul à Cœnobio infra terminos Monaſterij. Quid enim ſibi vult illa diſtinctio Cœnobij à Monaſterio? Sanè nihil aliud, niſi quòd Cœnobij nomine Clauſtrum, in quo Monachi degunt, Monaſterij autem ager contiguus, in quem Monachorum ſe extendit vel poſſeſſio, vel iuriſdictio, ſignificatur. Dicam enim inferiùs ex aliis veteribus monumentis ſepultum primò S. Ioannem in Eccleſia Corporis Sancti, qui vicus eſt in agro Reomaenſi, atque inde ad Eccleſiam Clauſtri tranſlatum. Pag. 23.

IN LIBRVM III.

CAPVT I. De Regula Beati Macarij.

Extitiſſe iam olim aliquam Regulam ſancti Macarij.

XXXVII. REGVLA *Beatiſſimi Macarij.*] Fœtum eſſe ſuppoſititium merúmque figmentum Macarij Regulam auſi Pag. 24. ſunt quidam pronunciare, vnúmque illud tam inſolitæ, atque anteà inauditæ aſſertioni aſtruxere firmamentum, quòd Macariorum nullus tradatur vitæ Monaſticæ Regulam ſcriptis mandaſſe. Non enim Ruffinus, non Palladius, non Socrates, non Sozomenus, non alij, qui res Macariorum accuratiſſimè ſunt proſequuti vllam de edita ab ipſis Regula fecere mentionem. Enimverò quàm infirmum ſit hoc firmamentum non pauca planè ſimilia poſſunt aperire. Dicere enim liceat eadem opera ſuppoſititiam eſſe Pachomij Regulam tot veterum teſtimoniis fultam, quòd nullus eorum mandatam à Pachomio ſcriptis aſſeuerarit. Ita & Sanctorum Patrum Regulam fictitiam impunè dicemus, quòd non Sanctorum Patrum vllus, ſed Vigilius Diaconus apud Gennadium eam edidiſſe dicatur. Quid Regula Orientalium, à quo tandem Orientali homine ſcripta probabitur? Sed & inſtituta Ægyptiorum, ac Palæſtinorum, quòd nec Ægyptius vllus, nec Palæſtinus ea ſcriptis prodiderit, ſed Caſſianus, incertæ fidei cenſebuntur. Verùm hæc aliáque eiuſmodi exempla apertè produnt non ſatis iure poſtulari, vt Religioſæ Regulæ ab iis ſint ſcriptis mandatæ, quorum nominibus inſcribuntur. Erat enim tunc moris vulgatiſſimi maximè in his Occidentis regionibus, vt nemo ſibi Monachi nomen auderet arrogare, qui non ad alicuius ex Oriente Abbatis mores ac inſtituta vitam dirigere videretur. Cùm nihil cenſeretur rationabilius, aut perfectius, vt ait Caſſianus in Præfatione libri primi, quàm illa eſſent inſtituta, ſin quibus ab exordio prædicationis Apoſtolicæ à ſanctis ac ſpiritualibus Patribus fundata Monaſteria eò vſque perdurarent. Itaque ſcribebantur tunc vulgò Regulæ ab Occidentalibus Monachis non ſuo, ſed eius ex Orientalibus nomine inſcriptæ, cuius illæ maximè mores, monita, atque inſtituta ab eo, qui ſcriberet, vel viſa, vel audita exprimerent. Caſſianus id prodit ſcribens ad Caſtorem. In Prouincia, inquit, tua Cœnobiorum experte, Orientalium, maximéque Ægyptiorum volens inſtituta fundari. *Et infrà.* Præcipis vt inſtituta Monaſteriorum, quæ per Ægyptum ac Palæſtinam cuſtodiri conſpeximus, ita vt ibi nobis à Patribus tradita ſunt, quamuis imperito digeram ſtylo, non leporem ſermonis, in quo ipſe apprimè es eruditus, ſed Sanctorum

ctorum ſimplicem vitam ſimplici ſermone Fratribus in nouello Monaſterio tuo cupiens explicari. Quàm igitur fruſtra eſſet qui ea inſtituta Ægyptiorum fictitia diceret quod ab Ægyptiis non ſint ſcripta, tam exiſtimandum eſt immeritò aſſeri ſuppoſititiam eſſe Macarij Regulam, quòd eam Macarius nec ſcripſerit, nec dictarit. Macarij enim eſt, non vt ſcriptoris, ſed vt informatoris, non manu eius, ſed moribus, ac monitis delineata. Omninò pro fictitia eam non habuit S. Ioannes Reomaenſis, qui ante annos CIↃCI. ſuo eâm Monaſterio ſeruandā præſcripſit. Non habuit pro ſuppoſititia S. Philibertus, qui ante annos DCCCC. legebat, vt ſcripſit autor vitæ eius, Baſilij præclaras Conſtitutiones, Macarij Regulam, Benedicti decreta, Columbani inſtituta. Vetam eſſe cenſuere Benedictus Abbas Indæ, qui in concordia Regularum, & Smaragdus, qui in Commentario ad Regulam S. Benedicti ante annos DCCL. eam crebrò laudarunt.

Macarij eſt hæc Regula Alexandrini, ſeu Nitrienſis.

XXXVIII. HABVIT *ſub ſua diſpoſitione quinque millia Monachorum.*] Ita inſcripta fuit hæc Regula in duobus Codicibus ſcriptis manu quos vidi, quorum vnus in Thuana Bibliotheca ſeruatur. Adiecta verò ſunt hæc verba, vt intelligeretur non à Macarij Ægyptij, ſeu ſenioris, ſed ab Alexandrini, qui πολιτικὸς, ſiue ἀςὸς, ſiue iunior dictus eſt, inſtitutis expreſſam. Hic enim cùm eſſet, vt loquitur Palladius cap. 19. ὕστερος τῇ ἡλικίᾳ, poſterior ætate, quàm Ægyptius, erat tamen πρότερος τοῖς προτερήμασι τῶν μοναχῶν, prior prærogatiuis Monaſticis. Ille deſertum Scetes, aut Scitæ incoluit; iſte in monte Nitriæ ſedem præcipuam habuit, vt Palladius ibidem, & S. Hieronymus epiſtola 22. tradidere. Etenim Nitrienſes huius Macarij Monachos quinque millium numero circunſcripſit, inprimis S. Hieronymus eo loco. Monachi, inquit, circiter quinque millia diuiſis cellulis habitabant. Palladius capite ſexto Hiſtoriæ Lauſiacæ, ἐν ᾧ ὄρει οἰκοῦσιν ἄνδρες ὡς πεντακισχίλιοι, in quo monte (Nitriæ) viri habitant ad quinque millia: & capite decimo-quarto πεντακισχιλίων οἰκούντων μοναζόντων τὸ ὄρος τοῦτο, Monachorum quinque millibus hunc mõtem incolentibus. Extat etiam inter Patrum Vitas Hiſtoria, & Regula Poſtumij, qui Macarium Alexandrinum excepiſſe eam in Præfectura dicitur. ac Monachorum quinque millium Pater extitiſſe. Itaque non eſt, vt opinor, dubium, quin is, qui hanc Regulam concinnauit hac nota numeri quinque millium Monachorum docere voluerit ſe in ea expreſſiſſe mores atque inſtituta eorum, qui Nitriæ montem incolerent, & diſciplinam huius Macarij nonnihil, vt obſeruat Palladius, ab aliis diuerſam, ſectarentur. Pag. 24.

Ea quæ hic datur nihil planè differt ab antiqua Macarij Regula.

Pag. 24. XXXIX. *Milites Chriſti ſic debent componere greſſus ſuos.*] Eò videlicet deſcendunt, qui negotium, neſcio quàm laudabile, detrahendi fidem tum huic Macarij, tum plurium antiquorum Regulis ſuſcepere, vt cùm aliquam olim huius nominis extitiſſe inficias ire non poſſint. Hanc tamen, quæ in manibus eſt, pro antiqua illa non agnoſcant. Primò, quòd Scripturam ſacram iuxta editionem vulgatam citet, cuius antiquitas illam Macarij Regulam non videatur æquare. Secundò, quòd pluribus locis ſit conſarcinata ex verbis S. Hieronymi epiſtola 4. quæ eſt ad Ruſticum, de Monaſtica viuendi forma. Ibi enim illud eſt Regulæ quartæ, Præceptum ſenioris, vt ſalutem ſuſcipias. Ibi illud Regulæ ſextæ. Cellam vt Paradiſum habeas. Ibi illud Regulæ ſeptimæ. Præpoſitum Monaſterij timeas vt Dominum, diligas vt parentem: & id genus plura. Verùm, ſi quis inprimis eò iſtos adigat, vt oſtendant Regulam Macarij antiquam præceſſiſſe ætate editionem Scripturæ vulgatam, laborabunt, ſat ſcio, vt id probent; nam vel S. Hieronymus editionem vulgatam confêcit, vel quod verius eſt, aliquibus locis emendauit tantùm, aliis confecit. Si diceretur totam confeciſſe, quod nemo admiſerit; tamen abſurdum videri non deberet extitiſſe ad tempora ſancti Ioannis Reomaenſis, qui vteretur editione S. Hieronymi, cùm ea longè antè elaborata eſſet, vtpote extremo vitæ Hieronymi anno præeunte natiuitatem S. Ioannis toto quinquennio. Quòd ſi editionem vulgatam emendauit tantùm alicubi S. Hieronymus, ea ſanè multò erit antiquior S. Ioanne, nec vlli huic accuſationi nerui remanebunt. Deinde quòd is, qui illam Regulam ex S. Macarij moribus, & inſtitutis eſt fabricatus loquendi modos aliquot ex S. Hieronymi epiſtola illâ ſit mutuatus, id profectò tam potuit fieri iam olim ante S. Ioannis tempora, quibus primùm illa Regula inuenitur hactenùs nominata, quàm fieret hodie. Nec ſanè apparet quid hinc pereat vel antiquitatis, vel fidei huic monumento. Omninò verò antiquã illam Regulam non fuiſſe ab hac diuerſam manifeſtè docetur ex eo, quòd ante annos ſeptingentos & ampliùs recitata ſunt, totidem quibus nunc eduntur verbis apud Benedictum Indæ Abbatem in Concordia Regularum, decem & nouem illius capita, & apud Smaragdum in Commentario Regulæ ſancti Benedicti eodem ferè tempore, duo. Cùm igitur iſta probetur ante tot annos extitiſſe, videlicet oportet, vt doceant aliam iſta antiquiorem fuiſſe, qui hanc cenſent diuerſam.

Conſentanea eſt hæc Regula inſtitutis Nitrienſium, in iis quæ præcipit de internis virtutibus.

XL. *Pacifici, mites, moderati.*] Nullæ ſunt, vt opinor, huius Regulæ præſentiores melioréſque vindiciæ, quàm ſi ex antiquis authoribus doceamus eam cum Nitrienſibus inſtitutis planè conuenire. Cui rei, vt breuem operam præbeamus, reuocanda eſt Macariana hæc Regula ad quædam capita, quæ facilè poſſint cum illis inſtitutis componi. Primùm verò caput eſto de actibus virtutum internis, manſuetudine, humilitate, obedientiâ, charitate erga Deum & homines. In quo verſantur Regulæ ſeptem priores. Cuiuſmodi verò eſſent hoc in genere Nitrienſium inſtituta agnoſcere poſſumus ex Rufino in Vitis Patrum lib. 2. cap 21. teſtante. Paratos eos ſemper fuiſſe illos qui aduentarent aut de humilitate, quâ ipſi pollebant docere aut de manſuetudine, aut de aliis eiuſmodi bonis, quæ apud illos, velut ad hoc ipſum de ſæculo ſequeſtratos, diuerſa quidem gratia: vna tamen eadémque doctrina diſcuntur. Nam erga Præpoſitos quo animo eſſent docuit aduentus Maioris Macarij in montem, vt Palladius & alij ſcribunt, λαβόντες βαΐα φοινίκων εἰς ἀπάντησιν αὐτῷ, καὶ λοιπὸν ἕκαστος ηὐτρεπίζετο νομίζων, ὅτι παρ' αὐτῷ ἔμελλε καταλύειν, ſumptis palmarum ramis obuiam profecti ſunt, ac deinceps ſe quiſque adornabat, ratus eum apud ſe diuerſaturum. Erga fratres is omnibus inerat affectus, vt cùm primùm inauditum eſſet morbo quempiam tentari, aut affligi. ἐπὶ θέαν αὐτοῦ καὶ θεραπείαν οὐκ εὐθὺς πάντες ἀπῄεσαν, ἀλλ' ἐν διαφόροις καιροῖς ἕκαστος ἐπιφερόμενος ὅπερ ἔχει πρὸς νόσον ἁρμόδιον, ad eum viſendum, ac procurandum non illicò omnes, ſed per interualla ſinguli adeunt apportantes quod quiſque habet morbo depellendo idoneum. Addit ſanctus Hieronymus ad Euſtochium. Non illic in morbis delicias ciuitatum, non parentum caritates deſiderari.

Pag. 24.

Conuenit item in iis, quæ de manuum opere & precatione.

XLI. *Non oderis laborioſa opera.*] Secundum Macarianæ Regulæ caput eſſe poteſt de opere manuum, & precatione, de quibus ab octaua Regula ad vndecimam ordine, & extra ordinem decima-quinta, ac triceſima multa ſunt conſtituta. Nonnulla de Nitrienſibus his conſentanea ſcripſit S. Hieronymus epiſt. 22. ſed explicatiùs Palledius in Lauſiaca. cap. 6. πάντες δὲ οὗτοι ὀθόνην ἐργάζονται ταῖς χερσὶν αὐτῶν, ὡς εἶναι τοὺς πάντας ἀνενδεεῖς, καὶ τῆς ἑσπέρας καταλαβούσης ἑστάναι, καὶ ἀκούειν ἀφ' ἑκάστης μονῆς ὕμνους, καὶ ψαλμοὺς τῷ Χριστῷ ᾀδομένους, καὶ προσευχὰς εἰς οὐρανὸν ἀναπεμπομένας ὡς νομίσαι μετέωρόν τινα παραδείσου μετοικισθῆναι. Hi omnes ſuis manibus veſtem lineam texunt, vt nemo in eis vllâ re indigeat. Veſpera autem appetente licet ſtare, & audire ab vnaquaque Cellula Hymnos, & Pſalmos Chriſto

Pag. 25.

decantatos, & precationes in cælum emiſſas. vt videatur quis ſibi in ſublime elatus Paradiſi incolere. Vides Nitrienſium orationes veſpertinas, quales ad Nonam inſtituendas finitâ operatione inſinuat Regula Macariana. Matutinarum meminit etiam eadem Regula, ſed Nitrienſes, vt vetus verſio Palladij habet cap. 70. Orationes nocte totâ vſque ad matutina tempora continuabant.

Item in iis quæ de delictorum animaduerſione.

Pag. 25. XLII. *Dignè corripiatur ſecundùm arbitrium ſenioris.*] Tertium caput de animaduerſione in delinquentes habetur à Regula duodecima ad decimam quartã ordine, atque extra ordinẽ decima ſexta, & decima-ſeptima, ac ſubinde à viceſima-ſexta ad viceſimam-octauam. Viſa ſemper fuit hæc emendatio neceſſaria apud Nitrienſes. Itaque Macarius Alexandrinus, vt refertur in Gerontico interrogatus à Pachomio, εἰσὶν ἀδελφοὶ ἄτακτοι, καλόν ἐστι παιδεῦσαι αὐτούς; ſunt Fratres immorigeri, decétne eos caſtigare? Reſpondit, παίδευσον καὶ κρῖνον δικαίως τοὺς ὑπό σε, emenda, & iuſtè iudica qui tibi ſubſunt. Eam ob rem memorat Palladius capite 6. ad Eccleſiam Nitrienſium conſitas fuiſſe tres palmas, ad quarum ſingulas flagellum penderet, ſed duo ex illis latronibus & aduenis puniendis, tertium εἰς ἐπιστροφὴν μοναχῶν τῶν πταιόντων, emendandis Monachis errantibus. Eos verò conuictos primum legitimè, περιλαμβάνειν τὸν φοίνικα, καὶ λαμβάνοντας κατὰ νώτου ῥαπὰς, οὕτως ἀπολύεσθαι, ſtantes amplexari palmam, exceptíſque dorſo certis plagis dimitti.

Item in his quæ de ſilentio.

Pag. 26. XLIII. *Ad menſam autem ſpecialiter nullus loquatur.*] Quartum caput eſſe poteſt de ſilentio, ad quod præter Regulæ decimæ-quintæ extremam partem pertinent etiam decima-octaua, & decima-nona Macarij. His verò concinnunt penitus Nitrienſes mores. Nam Palladius capite 6. iis qui illo aduentarent licitum non fuiſſe ſcribit, ἕως ἕκτης μηδενὶ συντυχεῖν, cuiquam loqui vſque ad horam ſextam. Idem cap. 9. commendat Abbatem Or Nitriotam, quod nunquam ſciretur loquutus, ἐκτὸς χρείας τί ποτε, quidquam omninò abſque neceſſitate. Macarius ipſe, vt tradit idem cap. 20. Quadrageſimam tranſegit, μὴ λαλήσας μὴ μέγα, μὴ μικρὸν, de nulla re, nec magna, nec parua loquutus.

Item in iis quæ de hoſpitalitate, & conuictu cum aliis.

Pag. 26. XLIV. *Hoſpitalitatem ſectans per omnia.*] Quintum iſtud eſt Regulæ Macarij caput ad quod ſpectant Regulæ à decima octaua ad viceſimam ſecundam. His verò omninò paria fuere, quæ Nitrienſes ſanci-

&c. Nam inprimis hoſpitalitatis immenſa apud illos cura fuit. Xenodochio enim ante Monaſterij fores extructo, vt ſcribit Palladius capite 6. omnes hoſpites ad biennium etiam, ac triennium, ſi vellent poſt primum octiduum operari, diligenter ac ſtudioſè curabantur. Addit capite 69 ſolitos Nitrienſes aduenientibus eò nouis incolis, Cellas ſuas cedere omnibus priùs vitæ opportunitatibus inſtructas, pedes illis abluere, veſtes mundare, atque ad extremum in diuinas illos contemplationes magnâ induſtriâ introducere. Rufinus loco citato de eorum inter ſe conuictu ac conuerſatione hæc prætereà ſcribit. Aliam ob cauſam nullus audet proximi ſui ſilentium obturbare, niſi fortè quis poſſit in verbo inſtruere, & velut athletas in agone poſitos ſermonis conſolatione perungere.

Item in iis quæ de abrenunciatione ſeculi, & opum.

XLV. *Ergo ſi de ſeculo quis in Monaſterio conuerti voluerit.*] Sextum ſtatuo hîc caput à Regula viceſima-tertia ad viceſimam-quintam. In quo quàm accurati fuerint Nitrienſes declarauit S. Hieronymus epiſtola 22. Quid ante annos plures, inquit, Nitriæ geſtum ſit referemus. Quidam ex Fratribus parcior magis, quàm auarior, & neſciens triginta argenteis Dominum venditum, centum ſolidos, quos lina texendo acquiſierat, moriens dereliquit. *Et mox.* Macarius verò, & Pambo, & Iſidorus, & cæteri, quos Patres vocant, ſancto in eis loquente Spiritu, decreuerunt infodiendos eſſe cum eodem dicentes, Pecunia tua tecum ſit in perditionem. Pag. 27. Act 8.v.20.

Denique in iis quæ de ieiunio.

XLVI. *Qui infringunt ieiunium.*] Septimum hoc caput fuerit de ieiunio, ad quod viceſima-nona Regula Macarij ſpectat. In qua non dubium eſt, præter ſolemnia Chriſtianorum ieiunia, illud ſextæ & quartæ Feriæ ieiunium indicta præuaricantibus pœna præceptum eſſe. Apud Nitrienſes auſteriora fuere ieiunia, vtpote propè continua, vt ibidem tradit S. Hieronymus, & Palladius in Macario, & Euagrio. Sed hæc Regula Occidentalibus moribus aliquid condonauit. Erant inter Nitrienſes ieiunia quæ vocabantur ζευγάρια, de quibus in nomenclatore Abbatum manuſcripto, Pambonem Nitrienſem conſuluit quidam Monachus, dicens, ἐγὼ ζευγάρια νηστεύω καὶ ζεῦγος ψωμίων ἐσθίω: ſed hoc, vt puto, erat ieiunium duorum ſine cibo dierum, aut bis continuatum, aut interpoſito cibò duarum buccellarum repetitum. Nam Pambo ibidem illud ita explicat, δύο δύο νηστεύων καὶ ζεῦγος ἐσθίων ψωμίων, duos & duos ieiunans, & duas buccellas comedens. Pag. 28.

In Capvt II. De præcepto Clodouei Magni.

Cuius fidei ſit hoc præceptum.

Pag. 28. XLVII. Clodovevs *Rex Francorum vir illuſtris.*] Vera Regis Clodouei præcepta in Eccleſiæ gratiam conceſſa reperiri poſſe inficiantur aliqui, ſiue quòd eorum vſum nullum tunc fuiſſe ſuſpicentur, ſiue quòd Regi inter perpetua bella degenti, & in re Chriſtiana parùm adhuc verſato, veniſſe in mentem non putent, vt iura Regia in Eccleſias transferret, ac tam multis eas facultatibus augeret. Sed parum mihi opis eſſe videtur in vtrauis ratione. Nam inprimis ſi exempla & vſum quærere hac in re voluiſſet Clodoueus, non deerant in legibus Imperatorum Romanorum, quæ ſequeretur, vt ex Codice Theodoſiano libro decimo-ſexto tit. 2. & aliis eſt manifeſtum. Deinde ſi libitum illi fuiſſet tam ſancti vſus authoritatem ad poſteros tranſmittere, non deeſſet, opinor, quod ſuaderet id ab eo factum eſſe. Teſtantur enim Hincmarus in vita S. Remigii, & Flodoardus libro 1. Hiſtoriæ Remenſis eum beato Remigio præceptum donationis conceſſiſſe. Surgens inquit, Rex à ſomno meridiano, quæcunque beatus Remigius ambitu ſuæ circuitionis incluſerat, eidem præcepto Regiæ dedit authoritatis, quarum rerum ſunt Iuliacus & Codiciacus capita, quæ Remenſis adhuc iure quieto poſſidet Eccleſia. Et ipſe ſanctus Remigius in teſtamento de eiſdem rebus. Vſibus, inquit, tuis ſanctiſſima hæres mea iuxta eiuſdem piiſſimi datoris præceptum Epiſcopali authoritate firmaui. Ac ne putes Eccleſiæ tantùm Remenſi, vnde illi fidei lumen affulſerat, id beneficii à Clodoueo conceſſum, vide quæ idem S. Remigius ſuaſu ſuo ab eo facta ibidem commemorat. Vt, inquit, non ſolùm ablata omnibus Eccleſiis Regni Francorum reſtitueret, ſed etiam de proprio gratuita bonitate plurimas dotaret Eccleſias. Neque priùs de Regno eius, quantum paſſus eſt pedis, Eccleſiæ Remorum iungere volui, donec vt hoc omnibus Eccleſiis adimpleret obtinui. Id verò quomodo potuerit adimpleri ſine reſcriptis ac præceptis Regiis, non eſt facile intelligere. Itaque præterquam quod Nicolaus primus Pontifex epiſt. 62. de Monaſterio S. Carileſi teſtatur hoc Monaſterium à primo Rege Francorum Clodoueo, filióque eius Childeberto habuiſſe libertatem eligendi Abbatem, & res ſuas pro arbitrio diſpenſandi, quòd ille ex Regum præceptis, abſque dubio didicit, cùm iudiciariam ſententiam contra Epiſcopum ferat. Fide etiam apud me non caret, quòd vel S. Leonardo præceptum huic Reomaenſi in multis ſimile à Clodoueo datum in actis illius ſignificatur, vel in Annalibus Aurelianenſibus aliud quodpiam S. Euſpicio, & Maximino. Neque verò mirum eſſe debet virum adeò militarem, atque à Baptiſmo recentem iura Regia in Eccleſiam transtuliſſe, cùm illud potiùs videa-

mus contingere, vt & viris militaribus liberalitas prolixior, & Chriſtianis recentibus deuotio inſit ardentior. Quamobrem S. Remigius in teſtamento ſuo non ceſſat procliuem Clodouei in benefaciendo Eccleſiis commendare voluntatem. Quam in iuribus Regiis condonandis nouam non fuiſſe docent exempla Romana in citato Codice Theodoſiano, vbi non tantùm cenſus, ac perſonalia munia Reipublicæ debita condonantur Eccleſiæ; ſed etiam iuriſdictio in Clericos, ac Monachos transfertur à Magiſtratibus in Epiſcopos, & in Monachorum caduca bona, fiſco alioqui quæſita, Monaſteriis hæreditaria iura aſcribuntur.

De Magiſtratu Eccleſiæ, cui hoc præceptum dirigitur.

XLVIII. *Omnibus Epiſcopis, Abbatibus.*] Non Clodoueo tantùm, ſed eius etiam poſteris Regibus moris fuit, vt præcepta, quibus Eccleſiarum priuilegia, vel ſanciebantur, vel augebantur vtrique Magiſtratuum generi Eccleſiaſtico ſimul, & laico dirigerent, quò aliis fauentibus, aliis non repugnantibus plenius eſſet concedentium beneficium. Id exemplum à Romanis acceptum, aut Gottis, aut Burgundionibus, aliiſve illius temporis gentibus, non facilè dici poteſt. Etſi enim Romani Imperatores Conſtantinus, & alii poſt ipſum, multa ad Epiſcopos & Clericos reſcripta dederint, & inter Gottorum conſtitutiones apud Caſſiodorum plures Epiſcopis, aut Clericis miſſæ reperiantur, vnáque inter cæteras Atalarici lib. 9. 5. Epiſcopis & Honoratis, tamen Francorum videtur propria fuiſſe hæc formula, quæ Magiſtratum Eccleſiaſticum ſimul ac laïcum participem faceret Reſcriptorum, ac Præceptorum Principis. In Magiſtratu porrò Eccleſiaſtico Epiſcoporum & Abbatum compellatio totum Clericorum ac Regularium ordinem in ſummis eorum Rectoribus complexa fuit. Apud Marculfum lib. 1. cap. 2. extat formula conceſſionis Regiæ poſt impetratum priuilegium exemptionis ab Epiſcopo in alicuius Monaſterij gratiam, quæ ſic dirigitur. Viris Apoſtolicis, Patribus noſtris, necnon illuſtribus viris, vbi quemadmodum viri Apoſtolici ſunt Epiſcopi, ita Patres videntur eſſe Abbates. Nam libro ſecundo cap. 49. alia formula ſic incipit. Omnibus Apoſtolicis Dominis, & Patribus, ſeu Abbatibus. Similem compellationem exhibet in codice legum antiquarum liber formularum cap. 7. & Præceptum pro Miciacenſi Cœnobio. Pluráque eius exempla ſuggerit Hiſtoria Monaſterij ſancti Dionyſij in Præceptis Dagoberti, Clodouei ſecundi, Pippini, Caroli Magni, & aliorum. Pag. 291.

De Ducibus, & Comitibus.

XLIX. *Illuſtribus viris magnificis Ducibus & Comitibus.*] Nullus poſt Reges fuit Reipublicæ Francicæ apex excelſior, regnante Clodoueo, Pag. 29.

atque eius ſtirpe, vſque ad Dagobertum, quàm Ducum. Retinuerant enim ſummam eam dignitatem ex Romana Republica Maiores Clodouei, ſub cuius patre Childerico nominat Aimoinus lib. 1. cap. 7. Vinomadum Ducem, & cap. 14. ſub ipſo Clodoueo Aurelianum, cui Ducatus Meledunenſis collatus eſt ab illo in beneficium. Childeberto ſubinde rerum potiente cum fratre Clotario ſuprema illi dignitas in tam multos fuit participata, vt minor iam autoritate ac ſplendore eſſe inciperet. Illis enim regnantibus ſancita eſt lex Alemannica, præſentibus ex ſolo Clotarij regno Ducibus triginta-quatuor, vt legis illius præfatio teſtatur. Erat autem Ducum munus tam pace, quàm bello Prouinciis præeſſe, vtpote qui armorum & iuris Præſides eſſent. Fortunatus lib. 7. Lupi Ducis officium his verbis deſcripſit,

Bella moues armis, iura quiete Regis.

Inferiore quàm Duces gradu ſtetere Comites, vtpote qui dicendo tantùm iuri operam impenderent vetuſtiore illâ Regni Francici ætate. Declarat id apertè eorum temporum Poëta Fortunatus lib. 10. ad Galactorium Comitem. Gratulatur enim illi initio Comitis dignitatem his verbis.

Veniſti tandem quo debebaris, amice,
Ante Comes merito, quàm datus eſſet honor,
Iudicio Regis valuiſti creſcere Iudex,
Famâque quod meruit Regia lingua dedit.

Hactenùs, vt vides, Comitis illi quaſi Iudicis tantùm gratulatur dignitatem. Subinde verò vota concipit de dignitate Ducis, vt armorum Præfecturam ad Iudicis munus adiiciat. Subdit enim,

Debet & ipſe potens, vt adhuc benè creſcere poſſis,
Præſtet vt arma, Ducis qui tibi reſtat apex.
Vt patriæ fines ſapiens tuearis, & vrbes
Acquiras vt ei, qui dat opima tibi.

Hæc fuit, opinor, harum dignitatum diſtinctio, naſcente Francorum Imperio, ſed lapſu temporis Comites armis ſimul, & iuri cepiſſe præfici, conficitur ex Hiſtoria. Capitula Caroli Magni lib. 4. cap 5. Volumus, inquiunt, vt Comites, qui ad cuſtodiendam maritimam deputati ſunt, quicunque ex eis in ſuo miniſterio reſidet, de iuſtitia facienda ſe non excuſet propter illam cuſtodiam. Capitula Caroli Calui apud Cariſiacum cap. 19. Si guerra in Regno ſurrexerit, quam Comes per ſe comprimere non poſſit, filius noſter cum fidelibus noſtris eam quantociùs comprimere ſtudeat.

De Domeſticis, & Vicariis.

Pag 29 L. *Domeſticis, Vicariis.*] Domeſtici excipiunt hoc loco Comites, ſed an eorũ dignitas Comitatu eſſet inferior magnoperè dubitabit qui Fortunatum habuerit perſpectum lib. 7. vbi de Condone Domeſtico ſic ſcribit,

A

A paruo incipiens extiſti ſemper in altum ,
Pérque gradus omnes culmina celſa tenes.
Teudoricus ouans ornauit honore Tribuni ,
Surgendi auſpicium iam fuit inde tuum.
Theodebertus enim Comitiua præmia ceſſit ,
Auxit & obſequiis cingula digna tuis.
Vidit vt egregios animos meliora mereri ,
Mox voluit meritos amplificare gradus.
Inſtituit cupiens vt deinde Domeſticus eſſes ,
Creuiſti ſubitò , creuit & aula ſimul.

Conſpirant cum Fortunato leges Ripuariæ cap. 90. vbi Magiſtratus Francici hoc ordine cenſentur Optimates , Maiores Domus , Domeſtici, Comites , Grafiones. At verò è contrario in Præfatione Legum Burgundicarum ſic enumerantur. Sciant , inquiunt , Optimates , Comites, Conſiliarij , Domeſtici. Idem illorum ordo eſt in hoc Clodouei præcepto , & in Miciacenſi. Ac fieri poteſt vt vel aliqua fuerit controuerſia de ordine dignitatis inter Comites & Domeſticos , quæ cauſa eſſet , vt nunc hi , nunc illi præponerentur , vel Rex vnus his gratificaretur , alter illis , vel nationum diuerſarum , diuerſus eſſet de eorum dignitate ſenſus , vel quidpiam id genus. Præerant Domeſtici villis Règiis, vt docet Marculfi formula vltima libri ſecundi, ac fieri poteſt, vt parùm diuerſi eſſent à Comitibus Patrimonii Romanorum. Iam Vicarii , Comitum vicem in minoribus vrbibus geſſere ; cùm illi Ciuitatibus , iſti pagis ius dixiſſe referantur , nulla re, vt arbitror, diuerſi ab iis, qui etiam nunc in quibuſdam Prouinciis forenſes Vicecomites nominantur. Quo factum eſt , vt ab eis ad Comites proximè reiicerentur maiores cauſæ. Nam ita ſanxit Lex Longobardica à Carolo Magno recenſita lib. 2. titul. 52. l. 7. Vt ante Vicarios nulla criminalis actio definiatur , niſi tantùm leuiores cauſæ, quæ facilè poſſunt iudicari , & nullus in eorum iudicio in ſeruitio hominem conquirat , ſed per fideiuſſorem mittatur vſque ad præſentiam Comitis.

De Grafionibus , Centenariis , Miſſis diſcurrentibus.

LI. *Grafionibus , Centenariis , & omnibus curam S. Dei Eccleſiæ gerentibus per noſtrum Regnum diſcurrentibus.*] Grafiones , & iuri dicendo in cauſa rerum repetundarum , & fiſcalibus debitis exigendis præfuere. Recuperatores fuiſſe conſtat ex Lege Salica tit. 52. l. 4. Si , inquit , Grafio ibi inuitatus non venerit , & ſunnis eum aliqua non detinuerit , aut certè ratio Dominica , & ſi diſtulerit , vt ibi non ambulet , neque mittat , vt cùm iuſtitia exigatur debitum , aut ſe redimat , aut de vita componat. Idem colligitur ex l. 1. eodem titul & l. 1. & 2. titulo 53. & ex formula veteri ſecuritatis de homicidio : Fiſcales etiam exactores fuiſſe Grafiones docet Sugerius Abbas S. Dionyſij. Ab impreſſione , inquit , exactorum Pag 19.

regiorum, quos dicunt Grafiones multo labore, multiſque placitis emancipaueram. Lex Ripuaria hac, opinor, ex cauſa Iudices eos fiſcales vocat tit. 55. qui eſt de eo, qui Grafionem occiderit. Si quis, inquit, Iudicem fiſcalem, quem Comitem vocant, interfecerit ſexcentis ſolidis multetur. Præter hæc Eccleſiarum eos fuiſſe defenſores, intelligitur ex Capitularibus Caroli Magni lib. 5. cap. 2. Adiuuante, inquit, Grafione, qui defenſor Eccleſiæ eſt. Centenarij pagorum, vt arbitror, minimorum Iudices, ſub Comitibus fuere non magno à Vicariis diſcrimine. Nam, vt ab illis proximè ad Comites reiiciebantur cauſæ maiores, ita & ab iſtis. Capitularia Caroli Magni lib. 3. cap. 79. Vt nullus, inquiunt, homo in placito Centenarij, neque ad mortem, neque ad libertatem ſuam amittendam, aut ad res reddendas, vel mancipia iudicetur. Sed iſta in præſentia Comitis, vel miſſorum noſtrorum iudicentur. Ad hæc vt Vicarij interdum præponuntur Centenariis in ordine dignitatum, ita & Centenarij interdum Vicariis. Vicarios præponit lex Viſigottorum libro 2. titulo 1. l. 26. Capitula legi Salicæ addita à Carolo Magno titulo 2. n. 5. & lex Longobardica lib. 1. tit. 25. l. 80. Centenarios è contra præponit eadem lex Longobardica lib. 2. titulo 47. l. 5. & Capitularia Caroli Mani lib. 3. cap. 56. Quæ docent parum omninò fuiſſe diſcriminis inter Centenarios & Vicarios, Valfridus Strabo libro de rebus Eccleſiaſticis capite vltimo vtroſque indiſtinctè comparat cum Presbyteris Parochis. Centenarii, inquit, qui & Centenariones, vel Vicarii, qui per pagos ſtatuti ſunt, Presbyteris plebium, qui baptiſmales Eccleſias tenent, & minoribus Presbyteris præſunt, conferri poſſunt. Ego ſuſpicor illos non fuiſſe inter ſe diſtinctos aliter quàm pagorum multitudine. Denique ij, qui curam S. Eccleſiæ gerentes diſcurrebant per regnum, vocantur alibi Miſſi diſcurrentes. Duo enim Miſſorum genera licet annotare per hæc tempora: alterum Maiorum quod certo loco ſtationem habens ius extra ordinem dicebat, vt Comitum vel iniuſtitias, vel errata emendaret. Alterum diſcurrens propriè dicebatur, vt ſubditorum querelas exciperet, ac niſi grauiores eſſent, de illis iudicaret. Lib. 3. Capitularium Caroli Magni cap. 39. De Miſſis, inquit, noſtris diſcurrentibus, vel cæteris hominibus propter vtilitatem noſtram iter agentibus, vt nullus manſionem contradicere eis præſumat. Quæ verò eiuſmodi Miſſis poteſtas eſſet videre generatim licet cap. 27. Capitularium Caroli Calui. Peculiariter verò deſtinari ſolita ad ipſos Regum priuilegia in Codice legum antiquarum liquet ex formula ſeptima, vndecima, & triceſima-octaua. Sicut autem Regibus erant ſui Miſſi diſcurrentes, ita & Ducibus ſuos fuiſſe patet ex lege Alemannica titulo 30. l. 1. & Comitibus ex Codice Legum formula 10. & Abbatibus ex Priuilegio S. Germani Pariſienſis apud Aimoinum lib. 5. cap. primo.

Quomodo annus primus Chriſtianitatis Clodouei conueniat cum anno primo ſubiugationis Gallorum.

LII. *Primo noſtro ſuſceptæ Chriſtianitatis atque ſubiugationis Gallorum anno.*] Chriſtianitatem ſuſcepiſſe Clodoueum anno Regni ſui decimoquinto tradidit Hincmarus in vita S. Remigij, & Ado Viennenſis ætate ſexta. Erat is annus Chriſti quadringenteſimus nonageſimus ſextus iam exiens, cùm ille regnum adiiſſet CCCCLXXXII. ineunte, qui annus quomodo congruat, cum eo quo Galli ſunt à Clodoueo ſubiugati, non eſt ſtatim perſpicuum. Cùm enim multò poſterior ſit eo, quo Galli à Clodione, Merouæo, Chilperico, & ipſo Clodoueo ceperunt ſubiugari: tum toto decennio prior eſt eo, quo Clodoueus pugna Vocladenſi Gallias ſibi vniuerſas extremo ſubiecit. Ergo ſi Gallorum nomen hîc accipiamus pro iis omnibus populis, qui Alpibus, Pyrenæo, Oceano, & Rheno continentur, clarum eſt annum ſubiugationis eorum, ſiue inchoatæ, ſiue perfectæ, conuenire non poſſe cum anno quo Clodoueus Chriſto nomen dedit. Itaque neceſſe eſt fateri Gallos alio hîc ſenſu accipi, quàm pro iis, qui latiſſimis hiſce finibus ambiuntur. Atqui præter amplam iſtam vſurpationem vocis Gallorum, nulla olim alia locum videtur habuiſſe, niſi qua peculiariter ad Celtas, vt loquebatur Iulius Cæſar, vel ad Lugdunenſes, vt poſteriores dixere, reſtricta fuit. Etenim commune Gallorum nomen Romano vſu huic vni parti factum eſſe proprium, cùm aliæ duæ ſub Aquitanis & Belgis cenſerentur apertis authorum teſtimoniis conſtat. Iulius enim Cæſar lib. 1. de bello Gallico, Gallia, inquit, eſt omnis diuiſa in tres partes, quarum vnam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam qui ipſorum lingua Celtæ, noſtra Galli appellantur. *Et mox.* Gallos ab Aquitanis Garumna flumen, à Belgis Matrona & Sequana diuidit. Aimoinus in Præfatione Hiſtoriæ, cùm hæc Cæſaris verba recitaſſet, addit. Hanc quoque partem Plinius Lugdunenſem Galliam eſſe aſſerit. *Et mox.* Galliæ vna pars, quam eos qui ſpecialiter Galli dicuntur, obtinere dictum eſt, initium capit à flumine Rodano. Hoc videlicet eſt, quod anteà ſcripſerat Ammianus lib. 15. de Galliis. Tripartitæ, inquit, fuiſſe creduntur in Celtas, eoſdem Gallos diuiſæ, & Aquitanos & Belgas. *Et infrà.* De confluxu Araris & Rodani. Qui locus, inquit, exordium eſt Galliarum. Ex hoc ſenſu in Antonini Itinerario deſcribitur iter de Aquitania in Gallias, id eſt à Burdegala Auguſtodunum, & apud Auſonium in Moſella legitur: Pag. 29.

Non tibi ſe Liger anteferat, non Axona præceps,
Matrona non, Gallis Belgiſque inter ſita fines.

Hinc denique, vt arbitror, natæ compellationes ad Epiſcopos per Gallias & ſeptem, vel quinque Prouincias, quæ ſunt in Concilio Valentino, & Taurinenſi; & in Epiſtolis Zozimi, ac Bonifacij, dum Lugdu-

nenſes Gallias ab aliis vel quinque, vel ſeptem pro diuerſitate temporis Prouinciis ſecernunt. Igitur, cùm iam frequens eſſet vſus vocis Gallorum pro iis peculiariter, qui Lugdunenſes Prouincias incolerent, non dubito quin primus hic annus ſubiugationis Gallorum, qui in Clodouei priuilegio componitur cum primo Chriſtianitatis eius, intelligendus ſit de eo quo ſtatim à Baptiſmo Gundobaldum Burgundiæ Regem bello vicit, & fecit vectigalem. Cùm enim anteà partē Lugdunenſis Galliæ teneret in ditione ſua Clodoueus, hac demùm victoria eam totam cum ciuitate ipſa Lugdunenſi ſubiugauit. Patratam verò hanc victoriam mox à Baptiſmo non ſolùm Gregorij Turonenſis contextus, ſed etiam Hincmari in vita S. Remigij, & Adonis, & Flodoardi inſinuant. Erat verò operæ pretium, vt eius mentio fieret in hoc priuilegio, cùm ante eam Burgundia, ac proinde Reomaenſe Monaſterium ad Clodouei iura non pertinerent, ac non longè poſteà, vt tradit Turonenſis, totam iterùm Burgundiam Gundebaldus ſuo dominio reſtaurarit.

An probabile ſit S. Ioannem adhuc ſuperſtitem, Patronum à Clodoueo vocatum.

Pag. 29 LIII. *Ipſum peculiarem Patronum noſtrum*] Qui illius ſæculi mores ignoret, mirari fortaſſe poſſit hanc Patroni appellationem homini quamlibet ſancto; ſed tamen ſuperſtiti tributam. Verùm cùm ea tunc eſſet loquendi ratio, non ſolùm virorum illuſtrium ad Epiſcopos, ac viros religione & pietate inſignes; ſed etiam Epiſcoporum, piorúmque hominū inter ſe, nullus eſt hic admirationi locus. Extant Ruricij Lemouicenſis Epiſcopi elegantes Epiſtolæ apud Henricum Caniſium, atque inter eas nonnullæ à viris illuſtribus ſcriptæ ad eum cum hac appellatione. Turentius quem libro ſecundo epiſt. 16. reſalutat Ruricius ſublimem ac magnificum virum, his verbis ipſum antè ſalutarat epiſtola 12. inter eas, quæ ad Ruricium ſcriptæ. Domino ſancto, ac beatiſſimo, & omni mihi cultu, atque honore venerando Patri, & in Chriſto Domino Patrono Ruricio Epiſcopo Turentius. Sedatus Epiſcopus ibidem epiſtola 14. huius præcepti loquutionem prope expreſſit. Domino, inquit, ſancto ac beatiſſimo, & Apoſtolica reuerentia ſuſcipiendo Papæ, & meo ſpeciali apud Dominum Patrono Ruricio Sedatus. Repoſuit viciſſim Ruricius Sedato eandem appellationem lib. 2. epiſt. 2. his verſibus:

Sancto Ruricius cliens Patrono.
Sedato monitis parens paternis.
Grates concinit, & refert ſalutem.

Denique Ruricius idem ad Fauſtum eodem cum hoc præcepto ſtilo ſcribit lib. 1. epiſt. 1. Domino ſuo peculiari in Chriſto Domino Patrono Fauſto Epiſcopo Ruricius. Propagatus eſt hic ſermo vſque ad Clodoueum. Nam Hincmarus ſic illum inducit loquentem ad S. Remigium.

Patrone hoc eſt regnum Dei, quod mihi promittis? *Et infrà.* Aſſerit Deum per orationem S. Remigij patris, ac Patroni Clodoueum adiuuiſſe. Quem imitatus Flodoardus lib. 1. Hiſtoriæ Remenſis cap. 15. Clodoueum, inquit, huius Patroni ſui meritis lædere nequiuerunt. Quæ omnia ſuperſtite adhuc S. Remigio, facta dictáque referuntur.

Quæ Clodoueus donet S. Ioanni per hoc præceptum.

LIV. *Quantumcunque ſuo aſino ſedens.*] Quæ ſancto Ioanni hoc ſuo Pag. 29.
præcepto donauit Clodoueus, breuibus notis illuſtrare ſatis erit. Quod enim inprimis donat ei de Regiis fiſcis quæcunque vna die aſino vectus ambiret, id exemplum habuit non multùm diſſimile in iis quæ donauit S. Remigio, vt recitat Hincmarus in eius vita, & Flodoardus. In iis etiam quæ S. Leonardo Lemouicenſi, vt referunt eius Acta, vt multò poſteà in iis quæ Sigebertus filius Dagoberti dediſſe S. Remaclo ſcribitur à Notgero Epiſcopo Leodienſi. Ad hæc quod locellum Reomaum ſibi à ſancto Ioanne *traditum* aſſerit, ac *commendatum*, id quamobrem fieret Carolus Caluus explicat in Capitulari tit. 9. cap. 1. ex iis, quæ Miſſis Regiis ſunt data De Monaſteriis, inquit, quæ Deum timentes in ſuis proprietatibus ædificauerunt, & ne ab hæredibus eorum diuiderentur, parentibus, & prædeceſſoribus noſtris ſub immunitatis defenſione tradiderunt, & poſteà in alodem ſunt data, vt deſcribant quæ ſint. Alia cauſa eſſe potuit, ne quis ea violenter inuaderet mortuo fundatore. Iam quod locum Reomaum *iure hereditario teneri vult ſub reclamatione Regum*, id opinor, ſignificat ius eſſe Reomaenſibus querelas de iniuſtitia à quolibet Iudice illata ad ſe, atque hæredes ſuos Reges proximè deferendi. Reclamationes enim eſſe eiuſmodi querelas addiſcimus ex Capitul. Caroli Magni lib. 2. c. 26. vbi Miſſi Regij dicūtur idcircò inſtitui, vt cùm ad Reges quis reclamauerit, ad eos quærelæ eiuſmodi definiendæ referantur. Et Capitul. Caroli Calui tit. 34 in annunciatione Caroli cap. 2. Si Epiſcopus, inquit, Abbas, aut Abbatiſſa, aut Comes, aut Vaſſus noſter ſuo homini contra rectum & iuſtitiam fecerit, & ſe inde ad nos reclamauerit, ſciat quia ſicut ratio, & lex, & iuſtitia eſt, hoc emendare faciemus. Quod additur *ſub aduocatione & immunitate*, ſignificat, vt puto, Reges daturos operam, vt aduocatos habeant, quos Monaſteria, ſine eorum permiſſu olim non habuere, ac proinde immune ſit à Iudicibus ordinariis. Mox illud ſequitur, *De Vernes Curtes*, quæ voces nullius ſententiæ ſunt, ac neſcio an coniectura fallatur, qui emendarit, de vineis cultis. Fuiſſe enim tunc in Burgundia morem, vt vineæ ab iis qui vellent in vacantibus agris plantarentur, ac colerentur, eæque ſæpè ab aliis ſubinde inuaderentur, inſinuat lex Burgundica tit. 31. Vineas ergo à Monachis hoc modo cultas iniuriæ hoc loco ſubducit Clodoueus. Quanquā & dici poteſt emendandum hoc modo, Villis, Curtis. Sic enim habet Præceptum Ludouici Pij pro S. Maximino Treuerenſi apud Miræum Diplo-

matum Belgicorum cap. 10. Nullus in poteſtate ſua eſſet, qui in Curtis, vel in Villis eorum placitum tenere, vel quidquam poteſtatis præſumeret exercere. Curtas enim quæ aliis ſunt Curtes dixiſſe quoſdam patet ex Concilio Lateranenſi ſub Gregorio Magno. Deſcriptiones, inquit, rerum aut Curtarum Monaſterij ab Epiſcopis fieri omninò negamus. Addit poſthæc, Dè quolibet *attracto* aliquid auferre præſumat, vbi *attractum* eſſe genus quoddam rei acquiſitæ docent verba annexa, *De comparato*, inquit, *de conlato populi*, ſeu de quolibet attracto. Sed obſcurum eſt quo acquiſitionis modo obueniſſe ſit dicendum. Suſpicor autem, vt Comparatum eſt id, quod dato pretio, Conlatum autem, quod gratuitò quæſitum eſt: ita Attractum eſſe, quod velut merces induſtriæ & lucrum laboris obuenit. Euſtachius in vita Pelagiæ cap. xi. de mercedibus meretriciis. Quod, inquit, malè attractum eſt, benè diſpenſetur. Marculfus lib. 1. formula 35. Legaliter, inquit, acquiſitum, aut comparatum, immò de quibuſcunque rebus ritè attractum, id eſt ex cuiuſcunque rei lucro, ſiue agrorum, ſiue animalium, ſiue hominum iuſtè paratum. Idem lib. 2. form. 7. De quolibet, inquit, attractu vbicunque habere videor, & quod pariter laborauimus. In Codice legum antiquarum formula 17. Quæ mihi tam de alode, quàm de comparato, quàm de quolibet attracto venit. Pergit Clodoueus, *Gaſindi ſuſcepti*, Gaſindos fuiſſe homines Principum familiaribus obſequiis adhibitos, & Gaſindium eiuſmodi obſequium non eſt ignotum. Lex Longobardica libro 1. titulo 9. l. 21. De Gaſindis verò noſtris volumus, vt quicunque ex minimis occiſus fuerit in tali ordine, pro eo quod nobis deſeruire videtur, cc. ſolidis fiat compoſitio. Et lib. 2. tit. 14. l. 17. ſic ſancitur de Liberto. Si in Gaſindio Ducis, aut priuatorum hominum obſequio donum vel munus conquiſierit, res ad donatorem reuertatur. Eodem libro tit. 52. l. 1. Quicunque liber homo in ſeruitio de Gaſindio Regis, aut de fidelibus eius introierit. In Codice legum antiquarum formula eſt 61. Si quis Gaſindo ſuo quidpiam donare voluerit, & cauſa donandi exprimitur his verbis. Reſpectus fidei, & ſeruitij tui, quod circa nos impendere non deſiſtis. Ex qua patet familiaribus obſequiis eos fuiſſe adhibitos. Denique concedit Clodoueus immunitatem plurium onerum, in quibus ſunt *Manſiones*, quæ hoſpitia erant Magiſtratibus, aut Regiis Miſſis vulgò debita. Capitul. Caroli Magni lib. 3. cap. 9. De Miſſis noſtris diſcurrentibus, vel cæteris hominibus propter vtilitatem noſtram iter agentibus, vt nemo manſionem contradicere eis præſumat. Idem de legatis exterarum gentium ſancitur lib. 2. cap. 6. *Freda*, quæ Gregorius Turonenſis exponit, compoſitiones fiſco debitas lib. 4. de miraculis ſancti Martini cap. 26. *Functiones*, quæ cuiuſmodi fuerint exprimit in Codice legum antiquarum formula 5. Nullæ, inquit, functiones, vel exactiones, neque exquiſita, & lauta conuiuia, neque gratioſa, vel inſidioſa munuſcula, neque etiam caballorum paſtus, aut parauereda, vel carrarum angaria,

aut quicunque functionis titulus dici poteſt de ipſa facultatula requiratur. Ex quibus intelligitur functiones eſſe penſitationes publicarum rerum, aut pecuniarum in Regios Miniſtros.

De ſubſcriptione Præcepti Clodouei.

LV. *Signo Crucis quo ſacramur, autorauimus.*] Signa manus propriæ, quibus ſcripta publica communire mos fuit inter Francos, Manufirmationes dicuntur in Capitul. Caroli Magni lib. 6. cap. 217. Poſtquam, inquit, omnes conſenſerunt ſcriptiones, & manufirmationes ſuas in ipſis Capitulis faciant. Duo verò modi illarum in antiquis monumentis occurrunt. Alterum characterem nominis vocabant vel Monogrammon, quo litteræ vel omnes, vel plures nominis in Crucem ferè, aut aliam figuram implexæ apponebantur: alterum quo ſignum Crucis, vel purum, vel expanſis nominibus appictum. Priore modo ſubſcripſit huic præcepto Clodoueus inſerta in litteras nominis ſui Crucis figura. Hoc enim monimentum ſuſceptæ & adamatæ Religionis Chriſtianæ eſſe voluerunt gentes ferè omnes, tam in Latino, quàm in Græco orbe. Teſtamentum S. Remigij ad tempora Clodouei ſignum Crucis non teſtatoris tantùm, ſed etiam teſtium omnium nominibus appictum habuit. Quod etiam obſeruatum inuenies in Præceptis Dagoberti, & Roberti, & poſterorum apud Hiſtoriam S. Dionyſij libro tertio. Angli & facto & verbo Crucem ſubſcriptionibus ſuis addidere. Offa Rex Merciorum in donatione plurium rerum Monachis S. Dionyſij facta anno 791. delineat ſignum Crucis, & addit. Hanc conceſſionem cum ſigno Crucis Chriſti confirmaui. Et anno 857. Adelulfus. Manu, inquit, mea conceſſionis huius præceptum firmaui, ſigno victorioſiſſimæ Crucis impreſſo. Hæc refert Hiſtoria S. Dionyſij lib. 3. Rogerius de Houuedem priore parte Hiſtoriæ Anglicæ aſſerit Etelvvlfum Regẽ Occidentaliũ Saxonum decimam Regni partẽ tributo liberaſſe, & in ſempiterno Graphio in Cruce Chriſti pro redemptione animæ ſuæ vni & trino Deo immolaſſe. Graphium enim illud in Cruce non aliud quàm Crucis delineationem ſubſcriptioni additam accipi debere patet ex conſuetudine Anglorum pluribus exemplis teſtata. In eadem Hiſtoria Dionyſiana, vbi nonnulli Angli ita ſubſcribunt, Signo agiæ Crucis muniui, & Ingulfus eiuſdem gentis ſcriptor ad finem Hiſtoriæ ſuæ refert hanc ſubſcriptionem Donationis. Ego Toroldus ſigno ſanctæ Crucis confirmaui. Neſcio an à Græcis ad alias gentes manarit mos iſte, fuit tamen apud eos receptiſſimus. Iuſtinianus enim authentica 90. de teſtibus, ſignum Crucis contractibus inſcriptũ vim ſubſcriptionis habuiſſe ſignificat: quod etiam tradit Balſamon Synodi Cartaginenſis cap. 13. & Leo Philoſophus Nouella 72. ſic ſanxit, τῶν συμφωνούντων ἰδιόχειρες ἐπίγραφα τὸν θεῖον σταυρὸν ἐντάξη τοῖς γράμμασι. Contrahentium manus propriæ confirmatio diuinam Crucem litteris imponat. Phranzes lib. 3. cap. 4. Imperator, inquit, manu Pag. 30.

ſua eo vidente tres Cruces Cinnabari in fronte Bullæ ad confirmationem pro conſuetudine exprimit.

De die & anno dati huius Præcepti.

Pag. 30. LVI. *Datum ſub die* IV. *Calendas Ianuarias.*] Tempus, locum, & & nomen offerentis præceptis Regiis ſubiici ſolitum adeò frequentis eſt exempli, vt ſuperfluum ſit recenſere. Fidem tantùm iſtorum omnium, quæ huic præcepto ſubiecta ſunt opus eſt explorare. Inprimis ergo quòd dies dati Præcepti dicitur IV. Kal. Ianuarias, id multùm confert ad huius Præcepti fidem, dum tempus Baptiſmi Clodouei deſignat natalem Domini fuiſſe, qui tunc ad exitum anni primi poſt ſuſceptum ab eo Baptiſmum recurrebat. Nam id tempus Baptiſmi Clodouei iis tantùm notum fuit, qui proximè ab illo abfuere, ſæculis verò ſequentibus vulgò creditum eſt Clodoueum ad Paſcha fuiſſe baptiſatum, vt videre eſt apud Hincmarum Remenſem in Capitulis propoſitis, dum Carolus Caluus coronatus eſt in Regno Lotarij; & apud Flodoardum Hiſtoriæ Remenſis lib. 1. cap. 13. Nec eſt quod cuiquam mora fiat, quòd dies iſte IV. Kalend. Ianuarij computetur hîc in anno primo Chriſtianitatis Clodouei; etiamſi eum annum quinque diebus excedat: nam annus primus Chriſtianitatis Clodouei computatus eſt, vt ſolet à Kalend. Ianuarij ſequentibus, neglectis aliquot diebus anni prioris. Iam Indictio quinta, quæ hîc notatur præclarè conuenit cum anno decimo ſexto Clodouei inchoato à menſe Nouembri, cùm ille iam ſubiugaſſet Burgundiam, fluente anno Regni decimo-quinto. Nec ambigendum videtur, quin Remis dari tunc potuerit hoc præceptum, cùm Hincmarus in vita ſancti Remigij, & Flodoardus lib. 1. Hiſtoriæ Remenſis cap. 14 teſtentur Clodoueum Regni ſedem conſtituiſſe per ea tempora Sueſſionis, colloquióque ac præſentia S. Remigij crebrò delectatum. Ac licèt Pariſios poſteà demigrarit, ſedémque ibi collocarit, tamen id non contigit, vt iidem authores referunt, niſi paulò ante bellum Gotticum. Denique quod Anacalus dicit ſe hoc Præceptũ obtuliſſe munus exprimit Cancellarij, aut eius qui vicẽ illius gereret, aut certè alterius Magiſtratus, qui eiuſmodi chartas Regi offerre poſſet, eíſque teſtimonij cauſa ſubſcribere. Ita Præcepto de mercatu S. Dionyſij conceſſo anno 2. Dagoberti ſubiiciuntur hæc verba. Ego Dagobertus Rex ſubſcripſi, Dado obtulit. In alio verò eiuſdem Regis Præcepto anni Regni eius decimi ſexti hæc ſcribuntur. Dum nos iam iſti Præcepto minimè ſubſcribere potuimus, quia in manu noſtra trepidabat calamus, propterea rogauimus vt dulciſſimus filius noſter Clodoueus Rex per ſignaculum nominis ſui chartam affirmaret, & Dado eam afferat. *Et mox.* Ego Dado iubente antefato Domino Rege præſente Præceptum firmaui, vel obtuli. An omnes qui offerebant Cancellarij fuerint, non liquet. Nam alicubi inuenias. Dado Referendarius obtuli; alibi Palladius Bituricenſis Epiſcopus obtuli. Perſeuerauit

autem

autem modus hic loquendi cum prima Regum ſtirpe. Nam ſub Clodoueo ſecundo inuenies. Ego Geroaldus obtuli, & ſub Chilperico: Ego Raganfredus obtuli: ſed regnante ſecundâ ſtirpe aliæ ſunt adinuentæ formulæ.

In Capvt III. De rebus S. Sequani.

De prima S. Sequani Anachoreſi intra ſepta.

LVII. Septa *ſibi viliſſima ſanctitati tamen, atque vtilitati congrua manu propria conſtruxit.*] Amauit S Sequanus exempla S. Ioannis Reomaenſis priuſquam eum fortè noſſet, atque vt ille faciliore primùm loco, deinde aſperiore Anachoreticam vitam ſuſcepit. Sic iſte ad villam primo Valeriacum, deinde ad horridiorem ſiluam Segeſtrenſem Anachoreſis rudimenta poſuit. Erat vtrique vnum de cælo magiſterium, vnúſque ſui, aliorúmque ſeruandorum animus, vt mirum non fuerit, quòd in eadem ferè incurrerent veſtigia. Deus tamen qui humano faſtidio aliquâ ſemper varietate obuiam ire conſueuit, nonnihil diſſimilitudinis tantæ tyrociniorum ſimilitudini paſſus eſt interuenire. Nam S. Ioannes, vt vidimus, Cellam & Oratorium in remoto Villæ ſuis ſibi manibus extruxit, at S. Sequanus ſepta viliſſima. Eſt verò pridem obſeruatum amaſſe iam olim Anachoretas, vt pleriſque in rebus alijs, ſic in habitaculis ſuis ingenioſa ſibi tormenta adinuenire. Nam quibuſdam nec Cellæ, nec Septa, ſed ſiluæ tantùm & cælum pro tecto fuere. Elegit hoc genus Iacobus Niſibenus, de quo Theodoretus in Hiſtoria Religioſa, ταῖς λόχμαις χρώμενος ὄροφον ἔχων τὸν οὐρανὸν, vſus eſt opaco ſiluæ cælum pro tecto habens. Vocabant verò hanc vitam, Subdiualem, vt à Theodoreto Maro dicitur, τὸν ὑπαίθριον ἀσπαζόμενος βίον. Iam quibuſdam rupium antra pro domicilio fuere; vt apud Theodoretum Iulianus Sabbas ad Euphratem Anachoreſim ſuſcepit, ἄντρον εὑρὼν ἀχειροποίητον, cùm inueniſſet illic antrum non manufactum. Ad hæc alijs profundæ in terra foſſæ, quaſi quædam viuentium ſepulturæ placuerunt. Sic ſcribit de Macedonio Theodoretus, οὐ σκηνῇ χρώμενος, οὐ καλύβῃ, ἐν ὀρύγματι βαθεῖ τὴν στάσιν ποιούμενος, non tentorio vſus, nec tugurio in profunda foſſa ſtationem ſibi conſtituit. Hinc addit vocatum illum ab incolis Gubam, ὅθεν καὶ Γούβαν αὐτὸν τινὲς ἐπωνόμαζον. ἀπὸ δὲ τῆς Σύρας εἰς τὴν Ἑλλάδα φωνὴν τοῦτο μεταφερόμενον λάκκον σημαίνει τὸ ὄνομα. Vnde & Gubam ipſum quidam cognominarunt, quæ vox ex Syra Græcè interpretata ſignificat foſſam profundam. Hebræi Ciſternam eâ voce exprimunt. Mitto aliquos ad Anachoreſim ipſis hominum ſepulcris vſos, aliquos nudis rupibus inſediſſe, aliquos ſe in proceros arborum truncos ſuſtuliſſe, aliquos columnis ſtatuarum in modum inſtitiſſe. Duo tantùm extremo commemoro habitaculorū genera Occidentalibus magis vſitata, atque, vt puto, Pag 32.

S ſ ſ

etiam Orientalibus. Alterum fuit Cella, ſeu tugurium ipſis frequenter habitatoris manibus extructum; quali vſum eſſe S. Hilarionem Hieronymus ſic ſcribit. *Æſtus & pluuias breui tuguriunculo declinauit, quod iunco & carice texerat.* Marcianus item apud Theodoretum Anachoreſim aggreſſus eſt, *μικρὸν οἰκίσκον δειμάμενος*, exiguam domunculam extruens. Alterum haud paulò rarius fuit Septum, quod & cæli in quod aſpirabant Anachoretæ, conſpectum non ſubtraheret, & aëris iniurias, quas amabant, non arceret, ſed ſolos hominum oculos, vnde vanitatis, & gloriolæ fomenta accendi poterant, prohiberet. Elegit inter Græcos hoc genus Euſebius, cuius res geſtas poſteriore loco enarrat Theodoretus, *περιγκίῳ μόνῳ χρησάμενος, καὶ τοὺς λίθους οὐδὲ πηλῷ συναρμόσας ὑπαίθριος λοιπὸν συνετέλεσε.* Septo tantùm vtens, ſoliſque ipſum lapidibus ſine luto adaptans, in reliquum ſubdio degebat. Limnæus eodem modo, *οὐκ οἶκον ἔχων, οὐ σκηνὴν, οὐ καλύβην, ἀλλὰ γυμνῷ περιγκίῳ περιειργόμενος ἐκ λίθων οἰκοδομημένῳ, οὐ δὲ πηλῷ συνηρμοσμένῳ.* Non domunculam habens, non tabernaculum, non tugurium, ſed nudo ſepto incluſus ex lapidibus ſine luto extructo. Extitere in his exemplaria ſeptorum, quibus ſe primùm incluſit ſanctus Sequanus, non aliter in ipſius, quàm illorum animis, cæleſtis architecti delineatione efformata.

De S. Sequani Clericatu à Presbytero collato.

Pag. 32. LVIII. *Presbyter nomine Euſtadius, &c. quem ad tondendum eum adduxerunt.*] Tonſuræ duplicem rationem ſuggerere videtur hæc Hiſtoria. Altera eſt, quam temerarius vir quidam aggredi auſus diuinam in ſe iram prouocauit: altera quam Presbyter perfecit. Prior, cur diuinam promeruerit vltionem non ſtatim occurrit ratio. Si enim ille Anachoreticâ tonſurâ S. Sequani caput voluit inſignire, nullum, vt opinor, Eccleſiæ violauit interdictum. Nam teſtis eſt Theodorus Studita in S. Platonis elogio nullas ab hoc opere manus fuiſſe prohibitas, ne ſeruiles quidem. Plato enim, vt inquit, cùm ſe vitæ dederet Anachoreticæ, famulo vſus comite, in denſam quandam ſiluæ partem ingreſſus eius manu, qui eum ſequebatur, comam ſibi totondit, & pullâ veſte tanquam purpurâ quadam ſe induit. Sed Clericalem, vt opinor, non Anachoreticam, vir ille temerarius per ludibrium voluit aggredi; quam ſolam S. Sequanus ſibi tunc poſtulabat, meritáſque pœnas tentati operis ſacri profanis manibus Deo illicò exſoluit. Non eſt veritus tam præſentes pœnas Euſtadius Presbyter, qui S. Sequanum per Tonſuram Clero accenſuit; etſi enim ea res hodie Eccleſiaſticis legibus priuatis Sacerdotibus interdicta ſit, olim tamen videtur licuiſſe in Latina & Græca Eccleſia. Inprimis enim ad Latinam Eccleſiam pertinuit Cartaginenſe Concilium tertium, in cuius Canone 21. ita fuit declaratum. *Clericorum nomen etiam Lectores, & Pſalmiſtæ, & Oſtiarij retinent.* Et tamen Cartaginenſi 4. Ca-

none 10. ita deinceps fuit ſancitum. Pſalmiſta, id eſt Cantor, poteſt abſque ſcientia Epiſcopi, ſolâ iuſſione Presbyteri officium ſuſcipere cantandi. Officium dixit, non tantùm actum cantandi, vt innueret ipſam Clericatus illius poteſtatem à Presbytero conferri poſſe, ſi non alio iure, at certè eo qui illo Canone tribuebatur. Non eſt autem veriſimile Tonſuram illi interdictam, cui Clericatus nobilior erat permiſſus. Paulò apertius eſt quod ſcribit S. Gregorius Turonenſis in vita S. Galli Aruernenſis. Abbatem, inquit, exorans vt ſibi comam capitis tondere dignaretur. *Et infrà.* Tunc Abbas iſta nunciis referentibus puerum Clericum fecit. Sanè Abbatem id tunc aggreſſum ob priuilegium ipſi peculiariter, velut Abbati conceſſum difficile eſt demonſtrare, cùm rara eſſent eo tempore Religioſorum hominum priuilegia. Itaque cenſuerim potiùs id illum auſum, quod de illius temporis more Presbyter eſſet ſimul & Abbas. Denique haud multò poſt hæc S. Galli tempora editus eſt Canon Emeritenſis Concilij decimus-octauus, qui ſic habet. Omnes Parochitani Presbyteri iuxta vt in rebus ſibi à Deo creditis ſentiunt habere virtutem de Eccleſiæ ſuæ familia Clericos ſibi faciant. Aperta ſunt hæc verba, nec vlla occurrit ratio cur in alium ſenſum, quàm proprium torqueantur. Sed vſus poſteriorum temporum, ac conſtitutio Eccleſiæ, vt puto, quâ id priuilegium ſolis Presbyteris, qui ſimul eſſent Abbates ſeruatum eſt. Can. cùm contingat, De ætate & qualitate præficiendorum, hanc poteſtatem Presbyteris in Latina Eccleſia vulgò abrogauit, nec ſanè immeritò. Creſcente enim Eccleſiæ cum primis in rebus temporalibus proſperitate, immenſa atque inutilis turba Clericorum, quam hæc poteſtas inuexiſſet, non poterat non eſſe aliquando dedecori, oneríque Epiſcopis. Itaque Concilium etiam Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 10. Tonſuram iis, qui Regulares non ſint ab alio, quàm Epiſcopo tribui poſſe negat. In Græca Eccleſia aliquam conſuetudinem fuiſſe Presbyteris, vt Tonſuram impertirentur, innuit ſeptima Synodus cap. 14. referens quoſdam fuiſſe, *νηπιόθεν τὴν κέραν τοῦ κλήρου λαβόντας μήπω δὲ χειροθεσίαν παρ' ἐπισκόπου λαβόντες*, qui à puero accepiſſent Tonſuram, cùm nondum ab Epiſcopo ſuſcepiſſent impoſitionem manuum. Id Canon ille interdicit iis, qui facerent omnibus, niſi eſſent Abbates, vel Chorepiſcopi, vt appareat ad ſolos Presbyteros pertinere interdictum, & conſuetudinem ipſorum fuiſſe quæ tunc abolebatur.

De Diaconatu à S. Sequano ſuſcepto proximè à Clericatu.

LIX. *Leuitico eum miniſterio conſecrarunt.*] Hoc quoque præter huius ætatis morem factum fuit, vt à Clericatu proximè ad Leuiticum Ordinem promoueretur S. Sequanus. Sed hinc quoque elucet hanc Hiſtoriam antiquis moribus maximè conſentaneam eſſe. Nam & in Latina & in Græca Eccleſia ille olim mos fuit, vt Ordines omnes inferiores, vel Pag. 33.

in ſolo Clericatu, vel in ordine Lectoris, Exorciſtæ, aut alio implicarentur,& Subdiaconatus in Diaconatu. Quò fiebat, vt plerunque à Clericatu proximè tranſiliretur in Diaconatum, plerunque à Lectoratu, vel in Subdiaconatum vel in Diaconatum, atque ita ab aliis. Omninò in Latina Eccleſia haud procul ab ætate ſancti Sequani eodem quo ipſe exemplo S. Cæſarius Arelatenſis à Clericatu proximè tranſiit in Diaconatum, vt narrat Cyprianus eius diſcipulus. Poſt hæc S. Auſtregiſilus à Clericatu proximè venit ad Subdiaconatum, vt in rebus ab eo geſtis ſcribitur. Et S. Epiphanius Ticinenſis vt habet Ennodius ad eundem Subdiaconi Ordinem ex Lectore prouectus eſt. Hæc aliáque id genus exempla huius moris præbuit circa S. Sequani tempora Latina Eccleſia. Sed in Eccleſia Græca non diſſimilia ſunt edita. Nam neque ſanctus Chryſoſtomus, nec S. Epiphanius Cypri Epiſcopus, nec S. Athanaſius poſt Clericatum alio proximè quàm Diaconi Ordine leguntur donati, cùm tamen extremum iſtum, πᾶσαν τὴν βαθμῶν ἀκολουθίαν, gradus omnes Eccleſiaſticos conſequenter adiiſſe ſcribat S. Gregorius Nazianzenus. At Concilium Sardicenſe Canone decimo aliquos gradus alios inter Clericatum & Diaconatum interponit, vetans vllum μὴ πρότερον καθίστασθαι, ἐὰν μὴ καὶ ἀναγνώστου, καὶ διακόνου, καὶ πρεσβυτέρου ὑπηρεσίαν ἐκτελέσῃ, ante conſtitui Epiſcopum, quàm Lectoris, Diaconi, & Presbyteri officio ſit functus. Poſterioribus ſæculis Subdiaconatus ante Diaconatum recenſetur, vt apud S. Damaſcenum libro contra Manichæes,& in hodiernis Euchologiis. Sed duo excogitari poſſunt modi implicandi plures Ordines in vno, ſeu tranſiliendi ab Ordine remoto ad remotum. Alter, ita vt in vnius forma & materia comprehendantur plurium formæ, materiæ, atque officia: putà ſi Clericum tondens ſimul illi poteſtatem Lectoris, Oſtiarij, & aliorum vſque ad Diaconatum intendat attribuere verbis quibuſdam vſus generalibus, quæ omnes poteſtates aut comprehendant, aut non excludant. Alter ita vt formæ ac materiæ ſingulorum diſtinguãtur, atque exprimantur, ſed vna eadémque conſequentia ſibi inuicem connectantur. Quo modo fieri potuit, vt primus in eo Ordine gradus toti conſequentiæ nomen daret, vt ſi in ea actione, qua dabatur Clericatus daretur ſimul gradus Lectoris, Oſtiarij, Exorciſtæ, Acolythi, diſtinctâ formarum expreſſione, tamen nomine Clericatus ſolo tota illa conſequentia deſignaretur. Ego non cenſuerim priorem modum fuiſſe veteribus in vſu, maximè in ſacris Ordinibus, qui omnium ſententiâ à Chriſto ſunt inſtituti, & diſtincti: in aliis tamen, ſi Sacramenta non ſunt, locum habere potuit. At poſterior modus in omnibus facilè potuit vſurpari, & verò vſurpatum fuiſſe non parùm ſit veriſimile ex Euchologio etiam hodierno Græcorum, in quo occurrit, τάξις ἐπὶ χειροτονίᾳ τοῦ ἀναγνώστου, Ordo conſecrandi Lectorem; qui tamen Ordo non illius tantùm, ſed etiam Pſaltis & Clerici ordinationem complectitur, formam cuiuſque, & materiam diſtinctè, ac ſeorſim adhibentem. Quidni ergo ita olim fieri potuit, vt plures Ordines, aut gradus vna con-

ſequentia comprehenſi, alicuius tantùm eorum nomen retinerent; ac cùm dicerent Hiſtorici aliquem primò Clericum, deinde Diaconum factum, non duos gradus, ſed duas plurium graduum conſequentias nominarent.

De Ordinatione S. Sequani ante ætatem.

LX. *Leuiticam adeptus dignitatem annos ferè quindecim natus.*] Decennio maioré admouebant ad Diaconatũ leges annariæ; ſed longè mirabilius eſt quod mox adiicitur, S. Sequanum quinquennio poſteà, id eſt anno viceſimo ætatis ad Presbyteratum peruenisse. Non ſuppetiſſet, vt opinor, animus vlli Epiſcopo, vt tam immaturam ætatem his Ordinibus admoueret, ſi interdicta & pœnæ Canonum, quibus eiuſmodi ordinationes irritatæ ſunt, aut latæ iam fuiſſent, aut notæ, aut obſeruatæ. Sed Decreta Pontificum Siricij, Zozimi, & aliorum, Canonéſque Agathenſes, & Arelatenſes, qui Diacono viceſimum-quintum, Presbytero triceſimum annum præſtituere, aut lati nondum erant omnes, aut nondum noti, aut quia nullam præuaricantibus multam imponebant, minùs religiosè obſeruati. Solus enim in his Zozimus ſuſpenſionem ab officio Epiſcopis immaturos ordinantibus comminatus erat, ſed non inflixerat. Hæc, vt opinor vna cauſa fuit cur minores eſſent difficultates in ſancto Sequano promouendo tantillâ ætate ad tantos gradus. Sed alia quoque cauſa multò iſta potior mihi hic videtur interueniſſe quòd perſuaſum olim eſſet Epiſcopis inopiâ quandoque bonorum Clericorum laborantibus inſignes pietate homines hiſce interdictis, legibúſque annariis non contineri, quòd in illis ætas morum ſuppleret ætatem corporum. Viguit hæc perſuaſio, non ſolùm in Gallia, vbi eo tempore S. Remigius annos tantùm viginti duos natus in Epiſcopum Remenſem fuit conſecratus; ſed etiam in Oriente, vbi Theodorus Siceorum Archimandrita factus eſt Presbyter à Theodoſio Epiſcopo Anaſtaſiopoleos annos tantùm decem & octo natus. Quid quòd in Italia ipſa vbi Decreta, & Canones ignorari poſſe non videbantur; tamen hoc ſolo ſanctitatis nomine Epiphanius Ticinenſis factus eſt Diaconus annis viginti non maior. Manſit ea perſuaſio vſque ad ſancti Bernardi tempora, quibus ſanctus Malachias Hibernus ante ætatem, virtutis cauſâ, factus eſt Diaconus. Qua de re ſic ſanctus Bernardus. In qua, inquit, eius ordinatione, ſi quid præter Canonum formam proceſſiſſe videtur, vt verè videtur, ſiquidem infrà viceſimum quintum annum Leuiticum miniſterium, infrà triceſimum adeptus eſt Sacerdotij dignitatem, donandum ſanè, tum zelo Ordinatoris, tum meritis Ordinati. Ego verò illud nec in Sancto redarguendum, nec vſurpandum conſulo ei, qui Sanctus non fuerit.

Pag 55.

Regulam S. Macarij à S. Ioanne ſibi & ſuis accipit.

Pag. 34. LXI. *Quia Monachorum expers erat Regularium* &c. *Archimandritam quærebat.*] Hæc verba videntur innuere Monachos S. Sequano non defuiſſe, qui priuatâ deuotione, ac legibus vitam inſtituerent, ſed tantùm qui communis cuiuſdam Regulæ obſeruationi ſe adſtrinxiſſent. Vitæ enim Monaſticæ triplex tunc ratio fuiſſe videtur. Vna eorum, qui ſuo ſibi arbitrio leges dicerent, vt ferè Anachoretæ: altera eorum, qui vnius Præpoſiti monita ac iuſſa pro omni lege haberent, quales viuente ſancto Martino fuiſſe videntur Turonenſes: tertia eorum, qui communi cuidam ac perpetuæ Regulæ ſeſe addicerent, qualia Lerinenſium, & Grimniacenſium ſtatuta commemorat Sidonius, à quibus magnoperè ſuſpicor accepiſſe S. Ioannem Reomaenſem Macarij Regulam. Hoc, vt opinor, extremo tantùm genere caruit S. Sequanus, vt vox illa Monachorum Regularium, & res ipſa per ſeſe docet. Cur enim Monachos Regulares dixit, niſi vt eos qui Regulæ cuiuſdam Magiſterium, quaſi mortuum ſectarentur, ſecerneret ab iis, qui ſuis vel alterius viuis oraculis regerentur. Omninò verò nihil fuiſſet opus ſagaci indagatione, quâ vſus ſanctus Sequanus, ſi Monachos tantùm quæſiſſet, qui ſuo vel alterius hominis arbitrio vitam tantùm componerent. Ergo inter moras & diuturnam indagationem Archimandritæ nihil aliud cogitabat S. Sequanus, vt opinor, niſi vt inueniret Regulam probati alicuius viri vſu atque interpretatione declaratam. Quam verò illi aliam, vel tradere debuerit, vel tradiderit S. Ioannes Reomaenſis, niſi Macarianam, quam adeò approbarat, vt ſibi eam ac ſuis adoptaret, non eſt facilè ſuſpicari.

In horrida ſilua Segeſtrenſi Cellam, & ſubinde Monaſterium locat.

Pag. 36. LXII. *Parua Cellula in loco, in quo genua fixerat, fundamenta locare molitus eſt.*] Erat Segeſter, ſeu Sicaſter ager olim pagi Magnimontenſis apud Lingonas. Carolus enim Craſſus in Præcepto Regio, quo Monaſterium S. Sequani donat Gilloni Epiſcopo Lingonenſi; ſitum illud eſſe dicit in pago Magnimontenſi, in loco qui Sicaſter antiquitùs nuncupatus eſt. Refert id Pręceptum Claudius Robertus vir eruditus in Gillone. Verùm ſucceſſu temporis, cùm Monaſterium multis incolarum acceſſionibus excreuiſſet in oppidum, ſuam ſibi iuriſdictionem ſeorſim à Magnimonto obtinuit. Nam in rebus Eccleſiaſticis Magnimontenſes Monaſterio S. Benigni contributi fuere à Roberto Lingonenſi Epiſcopo, & Segeſtrenſes ſeorſim Monaſterio S. Sequani paruere. In rebus autem ciuilibus Hugo quartus Dux Burgundiæ in teſtamento ſuo anni CIƆCCLXXII. diſtincta iura Magnimonti, ab iis quæ pertinebant ad Monaſterium S. Sequani commemorat. Cæterùm Segeſtrenſis ager, etſi horrebat ſiluis

aliqua ex parte, cùm in eo Cellulæ, ac deinceps Monaſterij fundamenta poſuit S. Sequanus, tamen alia ex parte frumento erat idoneus, vt hodiéque eſſe perſeuerat. Neque enim alia videtur illi nominis ratio fuiſſe, quàm ex ſegetibus, è quibus Latini iam olim Segeſtria efformabant, ſtraminea primùm inuolucra, deinde vocis catachreſi papyracea, etiam pellicea, & alia quælibet, vt ex Varrone, Plinio, Feſto, Nonnio pridem eſt notatum. Quòd Sicaſter apud Carolum Craſſum dicatur, vocis eſt, vt opinor, corruptio. Minimum abeſt Monaſterium à fontibus fluuij Sequanæ, vnde coniecturæ quorundam datus locus, vt putarent ſancto Sequano nomen factum ex Monaſterij ſitu, cúmque initio Abbas Sequanus ex loco diceretur, exiſtimatum poſteà hominis nomen eſſe, quod erat loci. Sed fieri potuit, vt idem eſſet, & loci & hominis nomen maximè cùm teſtetur hæc Hiſtoria agrum illum S. Sequano hæreditarium fuiſſe, nec inſolitum fuerit etiam olim, vt agrorum ſuorum nominibus homines deſignarentur. Eſt autem in ditione Monaſterij hoc etiam tempore locus vnde primùm erumpit Sequana, quem ſatis mirari non poſſum, Alpibus à Strabone contributum fuiſſe libro quarto Geographiæ, cùm inter Alpes & eum locum totus mons Iura. & Ararís intercedant, procliuiúſque ſit aſſerere eum ad montem Vogeſum, quàm ad Alpes pertinere. Quanquam adeò parùm montoſus ſit locus, vt ſuperfluum videatur illum monti vlli attribuere.

Prece & oleo ſanctificato, ſed non ad Extremam-vnctionem, ægros & energumenos ſanat.

LXIII. *Oleo ſanctificato perungens ſanitati priſtinæ reformabat.*] Non depoſitos, aut periculoſè decumbentes ægros; ſed ſuis etiamnum pedibus, nitentes oleo ſanctificato perungebat S. Sequanus, ex quo manet ambiguum, an id oleum fuerit quod ab Epiſcopo, vt ſolet, ſanctificatum erat in die Cœnæ Domini, ad Extremam-vnctionem, an aliud. Quod enim ſimpliciter ſanctificatum nominetur, videri poteſt id tantùm intelligi, quòd Eccleſiæ ritus abſolutè, Oleum Sanctum, appellant. Enimuerò non deſunt, qui ſcribant Oleum huiuſmodi ab Epiſcopis in Extremæ-vnctionis materiam ſanctificatum fuiſſe olim à viris ſanctis vſurpatum ad liberandos mirabiliter etiam eos, qui morbis abſque mortis periculo vexabantur. Argumento huius rei eſſe exiſtimant, quòd Græci etiam hodie Oleo Extremæ-vnctioni deſtinato vtantur, non tantùm ad ægros minimè periculoſos, ſed etiam interdum ad ſanos perungendos, vt ſalutem illis reſtituant, iſtis conſeruent. Quanquam in eo illos aberrare fatentur, quod eiſdem planè verbis, & eiſdem corporis partibus illud adhibeant, quibus in Extrema-vnctione. Sed oleo Extremæ vnctionis ad miracula aliis verbis, & partibus corporis vſos etiam Latinos exemplo S. Genoueſæ confici putant, quæ ſcribitur Oleo ab Epiſcopo benedicto energu- Pag. 36.

menum inunxiſſe, & expurgaſſe. Sanctus item Vdalricus Epiſcopus cæcitatem langoreſque alios Oleo in Cœna Domini conſecrato curaſſe memoratur. Et S. Goratdus Hildeſemenſis Epiſcopus Oleo infirmorum oculis dolentibus medicinam feciſſe. Verùm nullum horum exemplorum liquidò conuincit nomine Olei ſanctificati hîc neceſſariò accipiendum Oleum, cuius vſus eſt in Extrema-vnctione. Nam licèt id quo ſancta Genoueſa energumenum curauit, eſſe potuerit illud ipſum, quo Extrema-vnctio conſtat; tamen id, quo aliis morbis non extremis, nèc periculoſis fiebat medicina à Latinis Sanctis, non exiſtimo fuiſſe Oleum Extremæ-vnctionis. Inprimis enim potuiſſe S. Genoueſam Oleo Extremæ unctionis vti ad dæmones ab energumenis expungendos, non dubitabit is, qui aduerterit Oleum Extremæ-vnctionis olim peculiariter conſecratum fuiſſe, & ad dæmones, & ad morbos extremos depellendos. Nam in veteri Ordine Romano ſic legitur in Cœna Domini de Oleo Extremæ-vnctionis. Tunc offeratur Pontifici Oleum de Ampullis, quas offerunt Populi, ad vngendos tam infirmos, quàm energumenos. Et in Ordine Ambroſiano eadem die præſcribitur benedictio Olei Extremæ-vnctionis, ad vngendum tam infirmos, quàm energumenos. Et in formula benedictionis Olei Extremæ-vnctionis ſic oratur. *Infūde ſanctificationem tuam huic Oleo, vt ab iis, quæ vnxerit membris fugatis inſidiis aduerſariæ poteſtatis ſuſceptione præſentis Olei ſancti Spiritus gratia ſalutaris debilitatem expellat, & plenam conferat poteſtatem.* Idem habet vetus liber Pontificalis Eccleſiæ Bituricenſis ſcriptus manu, qui eſt in Collegio Societatis noſtræ Pariſienſi. Amalarius libro 1. cap. 12. agens de Oleo Extremæ vnctionis, Patet, inquit, ab ipſis Apoſtolis hunc ſanctæ Eccleſiæ morem eſſe traditum, vt energumeni, vel alij quilibet ægroti vngantur Oleo Pontificali benedictione conſecrato. Cùm ergo huiuſce eſſet modi conſecratio Olei Extremæ-vnctionis, mirum eſſe non debet, quòd ad curandos energumenos ipſum S. Genoueſa vſurparit. Nec vlla videri meritò poteſt abſurditas, quòd eadem materia ad Sacramentum ſimul, & dæmonis exorciſmum adhiberetur, cùm videamus idem Chriſma quod ad Sacramentum Confirmationis conficitur, ad plures vſus extra Sacramentum quotidie conferri. At Oleum Extremæ vnctionis nunquam à Latinis traductum ad ſanandos morbos non periculoſos veriſimilius videtur, cùm, vt mox aperiemus, aliud genus Olei in die Cœnæ Domini, & extra eam ad morbos eiuſmodi conficeretur, & Hiſtoriæ ſatis doceant, non Epiſcopali tantùm, ſed Presbyterali etiam benedictione perſæpè ipſum fuiſſe conſecratum, cùm tempus & vſus poſcebat. Itaque inter cæteras Græcorum ignorantias, & abuſus rerum ſacrarum, recenſendum puto, non ſolùm quòd verbis Extremæ-vnctionis, eiúſque vnctionibus vtantur, ſed etiam quòd omninò Oleum eius ad morbos carentes periculo, contra Apoſtolum, applicent. Extendunt enim in Euchologio vim huius Olei, *εἰς ἀπαλλαγὴν παντὸς πάθους, μολυσμοῦ σαρκικοῦ*

ϗ

καὶ πνεύματος, καὶ παντὸς κακοῦ, ad auertendam paſſionem omnem, carnis impuritatem, & ſpiritum, ac malum omne. Quæ S. Iacobus dum refert inſtitutionem huius Sacramenti non habet. At S. Vdalricus, & S. Gotardus non Oleo Extremæ-vnctionis, ſed eo de quo mox dicam, vtebantur.

Oleo ad omnem morbum ſanctificato Paralyticum ſanat.

LXIV. *Paralytici artus ſingulos, inuocato Christi nomine perunxit.*] Pag. 29.
Olei ſacri ad vngendos infirmos duplex iam olim in Eccleſia ratio fuit. Altera eius, quod à ſolo Epiſcopo die Cœnæ Domini ad Extremæ-vnctionis materiam conſecrabatur. Altera eius, quòd non tantùm illâ die, ſed etiam omni tempore, nec tantùm ab Epiſcopo, ſed etiam à Presbytero conſecrabatur. Ac priùs quidem, vt ex ipſa formula benedictionis intelligitur, ad robur & tutelam corporis debilitati ſcilicet, & periclitantis impetrandam deſtinatur, quod ferunt illa verba Ordinis Romani, *Vt poſſit effici vnctio ſpiritualis ad corroborandum templum Dei viui.* Item illa, *Vt ſit omni tangenti hoc vnguentum ſalubre cœleſtis medicinæ tutamen mentis & corporis*. Quæ verba niti videntur ipsâ inſtitutione Sacramenti, quâ promittitur ſalus laborantis, eiúſque ſubleuatio, σώσει τὸν κάμνοντα καὶ ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ κύριος. *Saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus* Iacobi 5. Poſterioris Olei benedictio ſic inſcribitur in Ordine Romano. Item benedictio Olei ad omnem languorem quocúque tempore. Subinde verò in formula benedictionis numerantur genera morborum quamlibet parùm periculoſa, vt febris, cæcitas, claudicatio, dolor capitis, oculorum infirmitas, membrorum omnis dolor, & alia eiuſmodi, quibus humana vita periclitari non ſolet. Extat & alia formula in Sacerdotali Romano, Sacerdotibus, vt illic dicitur, Epiſcopo inferioribus conceſſa, quâ itidem poſtulatur liberatio ab omni languore. Atque in vtraque continetur etiam poſtulatio diuinæ opis pro energumenis. Nam in Ordine Romano iſta eſt huius benedictionis formula. *Quæ ſpirituum immundorum virtute nefanda, & exercitio Diabolico conficiuntur, iubeas Domine, per hanc inuocationem tuam ab imis viſceribus eorum omnia expelli*. In Sacerdotali autem ſic, *Vt iij qui hoc Oleo, quod in tuo nomine benedicimus, vſi fuerint, ab omni languore, omníque infirmitate, atque cunctis inſidiis inimici liberentur.* Hac ergo poſteriore Olei ſanctificati ratione in Presbyterorum poteſtate ſemel poſitâ, factum puto, vt Oleo Extremæ-vnctionis parceretur, nec vllus eſſet illius vſus ad liberandos deinde energumenos, quòd eius conſecratio rarior eſſet, vtpote quæ à ſolis Epiſcopis ſemel in anno inſtitueretur. Vnde etiam ortum eſt, vt ab ipſa eius formula expungeretur deinceps precatio pro energumenis. Quin & illud mihi planè veriſimile eſt tribuenda eſſe huic Oleo miracula, quæ in Sanctorum Hiſtoriis Oleo ſancto, aut ſanctificato facta dicuntur in morbis non periculoſis. Etſi enim quædam eorum oleo infirmorum,

quædam Oleo in Cœna Domini ſacrato facta dicantur, vt ex rebus geſtis S. Vdalrici & Gorardi ſuperiùs recitauimus; tamen inde non ſequitur id Oleum fuiſſe Extremæ-vnctionis Nam hæc poſterior Olei ſanctificati ratio, quæ Presbyteris erat permiſſa, non tantùm fiebat interdum in Cœna Domini, vt conſtat ex Ordine Romano, ſed etiam nomen habuit Olei infirmorum in Sacerdotali. Itaque ego non ambigo, quin hoc Oleo vſus ſit S. Sequanus, ſiue dum Paralyticum iſtum curauit, cui alioquin Oleum Extremæ-vnctionis non fuiſſet paſſim impendendum, ſiue dum homines ſuis adhuc ingredientes pedibus inunxit, vt ſuprà eſt commemoratum.

In Libri IV. Miraculorum, & Tranſlationum

Capvt I.

De anno primæ Tranſlationis corporis S. Ioannis.

Pag. 40. LXV. Sacrvm *eius corpus à Leopardino, &c. tranſmutatum eſt.*] Hæc tranſlatio corporis S. Ioannis Leopardino authore, etſi anno certo Chriſti collocari à nobis non poſſit, quod non ſatis conſtet, quamdiu Leopardinus præfuerit, aut quoto ſuæ Præfecturæ anno eam celebrarit. Tamen illud certò aſſeuerare poſſumus eã anteceſſiſſe annũ Chriſti quingenteſimũ octogeſimũ primum. Mummolo quippe ad Lingonenſem Epiſcopatum euecto Leopardinus Præfecturam demùm adiit, cùm & in Catalogo veteri Abbatum Mummolus S. Ioannis ſucceſſor tertius, & hoc loco Leopardinus quartus numeretur. Atqui Mummolus in Epiſcopatu iam erat anno Guntramni viceſimo primo, menſe Nouembri, Indictione xv. vt notatur in Concilio primo Matiſconenſi, cui Mummolus ſubſcripſit. Quem annum Guntramni comparandum eſſe cum Chriſti DLXXXI. colligitur ex annis Regum præcedentium. Si enim Clodoueus deceſſit Chriſti DXI. & poſt eum Clotarius regnauit annos LI. expuncto anno vno, qui communis fuit Clodoueo & Clotario, & altero, qui communis fuit Clotario, & filio eius Guntramno, perſpicuum erit annum XXI. Guntramni incidere in Chriſti DLXXXI. Igitur ante hunc annum ſucceſſerat iam Leopardinus Mummolo in Præfecturam Reomaenſis Monaſterij. Sed quantò antè ſucceſſerit intelligi aliunde non poſſe exiſtimo, quàm ex annis prædeceſſorum Mummoli. Deſiit enim, vt antè notauimus, S. Gregorius Lingonenſis, circa annum Chriſti quingenteſimum triceſimum octauum, quo ſuprema eius ſubſcriptio adiecta eſt Concilio Aurelianenſi III. Poſt quem præſedit Lingonibus Tetricus eius filius annis triginta-tribus, vt teſtatur Fortunatus his verbis,

Sex quaſi luſtra gerens, & per tres inſuper annos
Rexiſti placido paſtor amore gregem.

Ad hos annos ſi adiicias octo quibus ſedem occupauit Papulus, vt tradit Gregorius Turonicus libro 5. Hiſtoriæ capite 5. conficietur Mummolum, qui Papulum excepit, Sacerdotium iniiſſe anno circiter Chriſti DLXXIX. Cùm ergo eodem anno Leopardinus Reomaenſibus præeſſe cæperit, quo ille Lingonibus, patet Tranſlationem primam ſancti Ioannis non potuiſſe eo anno eſſe priorem. Sed quo anno eorum, quibus deinceps præfuit Leopardinus, illa contigerit, non liquet.

De cultu authoritate Eccleſiæ ei publicè exhibito.

LXVI. *Vbi & ſanctum altarium cum conſilio Epiſcoporum ſtruxerunt.*] Pag. 40. Conditum ab initio corpus S. Ioannis in Eccleſia, quæ intra terminos Monaſterij eſſet, conſtat ex capite extremo lib. 2. vitæ ipſius. Inde verò tranſlatum alio traditur hoc capite, ſed tam obſcuris atque indefinitis vocibus deſcribitur locus Tranſlationis, vt niſi colligeretur ex iis quæ capite ſeptimo huius libri narrantur de mulieribus cœnobio excluſis, cùm eò venirent, vt ſe corpori ſancti Ioannis ſiſterent, nemo Eccleſiam cœnobij pro loco Tranſlationis haberet. Et quanquam non ſatis liqueat an hic locus fuerit primæ, an ſecundæ tranſlationis, illud conſtat, dum ea tranſiit Gregorius Turonenſis, nondum in cœnobio corpus fuiſſe. Quòd verò conſilium Epiſcoporum ſibi expetendum cenſuerint, Monachi ratio potuit eſſe non vna. Videri enim inprimis poteſt idcirco id factum, quòd Tranſlationes Reliquiarum, abſque Epiſcoporum aſſenſu eſſent olim inſolitæ, ac poſteà etiam interdictæ in Concilio Moguntino capite 51. Corpora, inquit, Sanctorum de loco ad locum nullus præſumat tranſferre ſine conſilio Principis, vel Epiſcoporum, & ſanctæ Synodi licentiâ. Tamen verba eius, qui hunc miraculorum librum confecit, Altaris potiùs extruendi causâ aduocatam Epiſcoporum authoritatem ſignificant. Etenim ad eos ſemper attinuit non ſolùm Altarium quorumlibet conſecratio, ſed etiam eorum cum primis erectio, quæ Martyrum, ac ſanctorum hominum corporibus teſtificandæ, ac honorandæ publicè ſanctitatis causâ imponebantur. Itaque ex Concilio Carthaginenſi quinto capite 14. Epiſcopi Altaria euertunt, quibus Reliquiæ deſunt, & ab eorum acceptatione pendent memoriæ Martyrum, vbi corpora, vel certæ Reliquiæ adſint. Et non procul ab his temporibus in Capitularibus Caroli Magni lib. 4. cap. 10. ſic eſt ſancitum. De Eccleſiis, ſeu Sanctis nouiter inuentis, ſine authoritate, niſi Epiſcopo probante, non venerentur. Quamobrem id Epiſcoporum conſilio factum hîc arbitror, vt Altari in S. Ioannis honorem extructo, & ſanctitas eius deinceps teſtatior, & cultus publicè celebrior eſſet.

In Caput II.

De tempore & loco ſecundæ Tranſlationis S. Ioannis.

Pag. 41. LXVII. POST *annos aliquot ab Epiſcopo vrbis Lingonicæ, cui Becco nomen erat, in alium locum cognoſcitur eſſe tranſlatum.*] Secundæ huius Trãſlationis tempus, quod poſt annos aliquot deſignatur, nõ adeò propè abfuit à priori Trãſlatione, quàm hæc verba videri poſsẽt innuere. Becco enim Lingonenſis Epiſcopus, qui illius author fuit, ad annum viceſimum tertium Caroli Magni Eccleſias aliquot donaſſe reperitur Monaſterio S. Stephani Diuionenſis, vt teſtatur Claudius Robertus, qui illius donationis chartas vidit. Itaque à primæ Tranſlationis tempore ad hanc Becconis ætatem interceſſere anni pluſquam ducenti. Incidit enim viceſimus-tertius Caroli in Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-primum. Cæterùm, quem libri Reomaenſes vocant Becconem eum alij ſcribunt Bettonem, vel Bictonem. Ego libris Reomaenſibus adhærendum putaui, tum quia conſtans eſt in eis hæc Scriptura, tum quia per hæc tempora Becconis nomen vſitatum. Nam & Gregorius Turonenſis lib. 2. Miraculorum cap. 16. Becconis Comitis meminit, & Flodoardus lib. 2. Hiſtor. Remenſis generum Caroli Martelli Becconem, vel Begonem vocat. Hic verò Becco Lingonenſis alium in locum tranſtuliſſe dicitur corpus S. Ioannis, nullâ loci notâ expreſſiore adiectâ; quòd extrema hæc fuerit Tranſlatio Epiſcopali authoritate ſolemniter ſuſceptâ; & caput 7. huius libri, ac res ipſa doceret ſanctum illud corpus, dum per calamitates publicas, & Barbarorum hoſtilitatem licuit ſemper fuiſſe abſidi Altaris in Cœnobiali Eccleſia impoſitum. Quam abſidem, qui hodiéque ſubeunt energumeni, & capite parùm ſani præſentiſſimam plerumque opem experiuntur.

In Caput III.

Lepram cum ſudore & ſquamis abiicit quidam ad corpus ſancti Ioannis.

Pag. 42. LXVIII. MISERA *membra vſquequaque ſudore cœperunt diuinam quæ iam è veſtigio inſtabat prætendere medicinam.*] Duo iſta notatione ſingulari digna cenſuit non immeritò hic author in leproſi hominis curatione, effuſum toto corpore ſudorem, & ex lauacro mundiriem. Nam aliàs quoque profuſus ſudor, aut indicauit, aut tribuit eiuſdem morbi ſanitatem. S. Audoenus in Eligio libro 2. cap. 53. non diſſimile miraculum narrans. Sequutus eſt, inquit, multus hominis ſudor, & cum ſudore, omni putredine abeunte, relicta eſt cutis mundiſſima,

atque adeò reſtitutus eſt homo, vt nulla lepræ veſtigia in eo cernerētur. Iam quòd S. Ioãnis Monachi lauacra adhibuerint leproſo ſudāti, id videlicet, aut internæ Dei admonitioni, aut probatæ olim experientiæ, quòd is morbus lotione ſoleret ablui, eſt tribuendum. Lauari ſepties in Iordane leproſum Naaman voluit Eliſæus, & Daniel Stylita, autore Metaphraſte, marinas vndas eo iuſſit adhiberi. Plures alij Baptiſmatis aquis idem adepti ſunt beneficium. Quòd verò hîc additur ſqualidæ cutis ſordes corpore defluentes aquis innataſſe, id non inſolitum in morbo id genus ſanando intelligitur ex eo, qui S. Bernardini Senenſis calceos indutus, lepræ tubera in ſquamarum formam ſibi ſenſit in calceos decidiſſe.

In Caput IV.

Emicat ex oſſibus S. Ioannis flamma, index miraculi.

LXIX. VIDIT *igniculum quendam inſtar ardentis ſtellæ, tanquam à ſepulcro D. Patris Ioannis prodeuntem, clauſtrum ſui oris validiſſimo ictu perculiſſe.*] Illuſtribus miraculis illud crebrò noui miraculi acceſſiſſe eſt obſeruatum, vt quodam lucis radio indicaretur, vnde virtus miraculorum effectrix emanaret. S. Audoenus in Eligio lib. 2. cap. 53. dum leproſus, de quo iam diximus, ſanandus eſſet quiddam huiuſmodi narrat interceſſiſſe. Leproſus quidam, inquit, ad ſepulcrum Beati viri mirabili modo ſanatus eſt, radio quodam inde exeunte, & in eius horrida vulnera ſeſe infundente. Radius fuit in illo, quod in noſtro Teuberto dicitur hoc loco igniculus inſtar ardentis ſtellæ. Notgerus Epiſcopus Leodienſis libro 1. cap. 1. miraculorum S. Remacli, faculam pro ſtella & radio ex eius ſepulcro miraculi futuri indicem emicuiſſe ſcribit. Reſpondet, inquit, vidiſſe ſe ceu faculam ardentem à lecto beati Remacli vibratam ipſum ſubitò irradiare, & malum omne à corpore depellere. At capite decimo-tertio non facula, ſed lucerna eodem adhibetur. Cernit, inquit, lucem ab Altari procedere, eundémque ſenem Remaclum lucernam cernit manu tenentem ſignum Crucis ſibi imprimere, móxque affecta membra ſanare. Et capite quinto. A Mauſoleo, inquit, Beati viri inſtar radiorum ſolis lucernam coruſcantem, omne ipſius caput concuſſiſſe, luménque ipſi reddidiſſe. Aliæ aliis virtutis huiuſce imagines obiectæ, ſed radiorum ſpecies eſt omnium frequentiſſima. Quo in genere ſanctus Elzearius illuſtre exemplum ſuperſtes, quod mirum eſt dicitur edidiſſe. Poſteaquam enim leproſos aliquot ſanarat, igneus quidam, vt inquit author vitæ eius, & luculentus radius ab eius capite cunctis cernentibus emerſit, qui ſemper cum recedente longiùs rendebatur. Hæc ad quorundam Sanctorum corpora raro obuenere, ſed omni admiratione maius eſt, quod ad S. Felicem Nolanum perpetuum quoddam huius generis portentum apparuiſſe ſcribit S. Paulinus Natal. 6. Pag 42.

Illicò ſed poſitis ex oſsibus ecce micat lux,
Quæ Medicis opibus meriti dare ſigna potentis,
Hactenus ex illo non vnquam tempore parcit.

In Caput V.

An Deus per Sanctos quandoque ſanet imperfecte.

Pag. 44. LXX. MEDICINIS *initiatus cæleſtibus parte reualuit, iners parte remanſit.*] Arcanas habet Deus cauſas cur ſanitates, aliáque id genus beneficia, quæ mirabiliter hominibus impertit, aut per ſeſe ipſe, aut per Sanctos, non tantùm in diuerſa temporum momenta partiatur, integra quandoque repræſentaturus, ſed etiam ita interdum ex parte tribuat, vt nunquam tota eſſe velit. Cæcum quendam Marci 8. ita viſu donauit Chriſtus, vt primùm homines videret velut arbores, ſed ex interuallo, manibus rursùm impoſitis perfectum oculorum vſum reciperet. Factum id volunt Interpretes, vel ad infirmam ægri fiduciam reuincendam, vel ad eam inchoati iam beneficij ſenſu exſtimulandam. Sunt qui negent Deum incipere miraculum, longo pòſt interuallo perficiendum, ne quis effectum naturæ potiùs, quàm Deo poſſit tribuere. Sunt etiam qui negent eum incipere, quod nunquam eſt perfectè donaturus, ne eius opera imperfecta alicui videantur. Sed res ipſa docuit inchoatas aliquando ſanitates longo pòſt tempore perfectas fuiſſe. S. Sylueſter Reomaenſis virum pedibus, manibuſque debilem ſolis pedibus ſanauit, cúmque ad manuum incolumitatem conſequendam ad S. Germanum Pariſios longo itineris, temporíſque interuallo reiecit, vt Fortunatus in ſancto Germano eſt teſtatus. Quin etiam liquet ex S. Auguſtino libro viceſimo-ſecundo de Ciuitate capite octauo, ita imperfectam quibuſdam ſanitatem diuinitùs obueniſſe, vt nunquam nanciſcerentur perfectam. Sanati, inquit, ſunt illic per eundem Martyrem (Stephanum) etiam podagrici duo, vnus ciuis, vnus peregrinus; ſed ciuis omni modo, peregrinus autem per reuelationem, quid adhiberet quando doleret audiuit, & cùm hoc fecerit dolor continuò conquieſcit. Nimirùm aliis morbo, qui breui deſinat opus eſt, ne dolore obruantur, aliis crebrò minitante, atque imminente, vt ſalutis authorem in mentem reducant. Nec metus eſſe debet, ne naturæ tribuatur quod Dei eſt; cùm illius opera multis ſe aliunde argumentis oſtentent, néve imperfecta meritò videantur Dei opera, cùm omnis eorum perfectio æſtimari debeat ex fine, quem hîc conſtat eſſe perfectiſſimum, nempe innouationem, vt dixi, memoriæ beneficiorum Dei,

In Caput VI.

Circulis ferreis pœnitentiæ cauſâ aſtrictum exſoluit S. Ioannes.

LXXXI. FERRI *pondere vtriſque brachiis acerrimè coarctatus*] Grauiſſimis ſceleribus non olim tantùm, ſed ad tempora etiam Caroli Magni id pœnitentiæ imponebant Epiſcopi, & Presbyteri Pœnitentiarij, vt nuda membra circulis ferreis arctiſſimè reuincirent. Cuius ponderis ac tormenti liberationem cùm rei per varia Sanctorum monumenta expoſcerent, ſi fortè ea contingeret, perinde ſe animi nexibus, ac corporis vinculis abſolutos, vt hic author loquitur, exiſtimabant. Diſplicuit ſapientioribus hoc genus pœnitentiæ, ſiue quod videretur nimis vulgariter diuina expoſcere miracula, ſiue quòd nuda corpora, & peregrinationes aſſiduæ illorum pœnitentium perpetuam quandam oculorum offenſionem viderentur circumferre. Itaque in Capitularibus Caroli Magni libro primo capite LXXIX. ita eſt ſancitum. Iſti nudi cum ferro, qui dicunt ſe datâ ſibi pœnitentiâ ire vagantes, meliùs videtur, vt ſi aliquod inconſuetum, & capitale crimen commiſerint, in vno loco permaneant laborantes, & ſeruientes, & pœnitentiam agentes, ſecundùm quod ſibi Canonicè impoſitum eſt. Quandiu obſeruata fuerit hæc Caroli Magni ſanctio non ſatis compertum habeo, ſed onuſtos ferro pœnitentes rurſùm Prouincias Galliæ peruagatos, regnante Carolo Caluo circa annum DCCCLXI. videre eſt apud Aimoinum lib. 2. Miraculorum S. Germani cap. 14. vbi Miraculum iſti non diſſimile ſic enarrat. Ecce ſubitò ex tanta populi multitudine vnus procurrens acceſſit. Habebat enim cauſâ pœnitentiæ in brachio ferri circulum, vt ſolet fieri, arctiſſimè obuolutum. Iámque tempus increuerat, ex quo illi caſu propriam occidenti matrem huiuſmodi pœna acceſſerat, qui vociferans, & tanti viri pietatem ſibi adiutricem expoſtulans, vt manum ad feretrum, quo Sancti corpus baiulabatur, pallium ſaltem deſuper contingere cupiens, protendit, illicò ferrum de brachio exiliens mirandum crepuit, ita vt in aërem ſursùm volans videretur à multis. Verùm inuitis, an volentibus id genus pœnæ imponeretur, non dicam hoc loco. Occurret enim lib. 2. Miraculorum cap. 2. aliud hoc in genere longè hoc antiquius S. Ioannis miraculum, ad quod hac de re erit agendum vberiùs. Pag. 15.

In Caput VII. & VIII.

Fœminas atrio Cœnobij, atque Eccleſia excludunt Reomaenſes.

Pag. 66. LXXII. RELIGIOSO *ſanciuere conſilio atrium Cœnobij à frequentia fœminarum perpetuò coërcere.*] Veterum Monaſteriorum is ferè fuit poſitus, vt Eccleſiæ obtenderetur atrium, atrio autem communia Monaſterij ſepta. Hinc factum, vt quemadmodum ſeptis, ita & atrio, & Eccleſia excluderentur mulieres, Concilio Turonenſi ſecundo cap. 16. ſic ſtatuente. Vt mulier intra ſepta Monaſterij nullatenùs introire permittatur. At quoniam celebrium feſtiuitatum obtentu laxandus interdum viſus erat aliquibus Turonenſis illius ſtatuti rigor, acceſſit Autiſiodorenſis ſanctio, quæ præceptum adimeret Canone triceſimo-ſexto. Si quis, inquit, Abbas mulierem in Monaſterio ſuo ingredi permiſerit, aut feſtiuitates aliquas ibi ſpectare præceperit, tribus menſibus in alio Monaſterio retrudatur pane & aqua contentus. Verùm de horum Canonum ſeueritate remiſſum ſemper eſt quidpiam, cùm ad infirmitates, ac morbos pertinaces, diuina per Sanctos opitulatio fuit efflagitanda. Quòd enim circa infirmas mulieres, & periculi minùs, & plus elucebat pietatis, eò aditus Eccleſiarum, in quibus Sanctorum corpora quieſcebant, eis fuit minùs obſtructus. Notgerus Leodienſis id diſtinctè explicuit in Remaclo. Quia non facilè, inquit, apud nos, niſi certa ex cauſa fœminæ admittuntur, ante fores Cœnobij deponitur, rogat cuſtodes, vt liceat ipſi in Baſilicam venire, tandem Monaſterij Præfectis annuentibus manibus reptans venit in Templum. Subdit fauiſſe Deum conſilio, & ſanitatem fœminæ miſerabili reſtituiſſe. Eadem initio fuit, vt hoc loco narratur Reomaenſibus, ſiue pietas, ſiue indulgentia, ſed aucto ſubinde mulierum concurſu, cùm vel periculoſa, vel moleſta eſſet frequentia, intercludendum omnibus aditum cenſuerunt. Et fauentem etiam hoc loco Deum, qui ſanis ſemper conſiliis, quamuis diuerſis delectatur, ſunt experti. Nam mulieribus procul ab Eccleſia poſitis, ſalutem nihilominùs repræſentauit. Placuerat iam olim idem conſilium ſancto Euthymio magno inter Græcos Monachorum parenti: & teſtatur Cyrillus eius diſcipulus ægras mulieres ſanitatis conſequendæ gratiâ ad eius Monaſterium confluentes, cùm Eccleſiam adire non ſinerentur ad ipſum Monaſterij veſtibulum, in quo ſiſtebantur progredientem ex Sancti viri ſepulcro virtutem ſolitas perſentire, ſalutiſque compotes domum remeare.

In

In Caput IX.

Energumenorum curatio S. Ioanni peculiaris.

LXXIII. Qvi *id priuilegij ſpecialiùs cernitur eſſe collatum, vt nunquam quiſquam dæmoniaca obſeſſus peſte redierit incuratus.*] Vt viuentibus viris ſanctis peculiares quædam ſunt diuinæ beneficentiæ dotes, atque, vt loquitur Apoſtolus 1. Corint. 12. διαιρέσεις ἐνεργημάτων, diuiſiones operationum, quæ ad conſtitutionem corporis Eccleſiæ è variis membris, vt egregiè illic diſſeritur pertinere videntur. Ita exiſtimandum eſt eandem mortuis ſeruari gratiam, quàm viuis, ſi ita Eccleſiæ vtilitates expoſcant. Non enim quia ab:erunt è viuis membra eſſe Eccleſiæ deſierunt. Hoc ferè modo diſſerit hac de re S. Auguſtinus Epiſtola cxxxvii. vbi, cùm ita quæſiſſet. Quis poteſt eius conſilium perſcrutari, quare in aliis locis hæc miracula fiant, in aliis non fiant. Reſpondet poſt pauca. Sicut, quod Apoſtolus dicit, non omnes ſancti habent dona curationum, nec omnes habent diiudicationem ſpirituum. Ita nec in omnibus memoriis Sanctorum iſta fieri voluit, qui diuidit propria vnicuique, itavt vult. Vt ergo alibi, ita in hac S. Ioannis memoria peculiare illud experiebatur is, qui hanc ſcripſit hiſtoriam, vt nullus ab ea Dæmoniacus abiret non ſanatus. Qua in re præcipua hodiéque cernitur eius virtus. Pag. 47.

In Libri V. Miraculorum & Tranſlationum

Capvt I.

Claudum nouâ doloris acceſſione cur ſanarit S. Ioannes.

LXXIV. Cvncta *eius membra vibrantia videres, & nexibus ſoluta artuatim complodere.*] Impedita morbis membra ita interdum à Deo per miraculum expedita legimus, vt nullo dolore, ſed ſolâ operandi libertate ſanitas ſentiretur. Interdum tamen ingenti primùm commotione, ac dolore conuulſa, ſuo deinde ſtatui ſunt reſtituta. Gregorius Turonenſis libro ſecundo Miraculorum S. Martini capite 6. Hiſtoriam habet hac de re ei, quæ hoc loco narratur, planè parem. Factum eſt, inquit, vt vna die iacens grauius extra ſolitum torqueretur, itavt vicini de proximo ad eius vocem concurrerent: diſſoluebantur autem ligaturæ neruorum eius, & dirigebantur; propterea erat dolor intolerabilis; & ſic tribuente patrono erectus ſuper plantas, flens præ gaudio po- Pag. 48.

pulo teſte ſurrexit. Et capite 14. Vociferari, inquit, cœpit, & flere indicans ſe torqueri. *Et mox.* Statim diſſoluti ſunt nerui, qui ligati erant, & ſtetit ſupra pedes ſuos. Denique verum eſt in iſtis quod alia in re cecinit Paulinus Natali 7.

Soluuntur pœnis, cùm pœnas ferre videntur
Corpora.

Ac potuit quidem Deus, vt morbo, ita & tormento iſtos eximere, & verò aliquando exemit. S. Germanus Autiſiodorenſis claudum Ellaphij; filium ſine dolore ſanauit, vt Ericus canit libro 4.

Attrectans ſiccos leni palpamine neruos,
Mox tanquam digitis flueret medicina ſalubris,
Conſequitur feſtina ſalus, rapit arida ſuccum
Compages refluum, remeant in priſtina nerui,
Atque interdictum repetunt veſtigia flexum.

Aliud Deo viſum tum in iis quæ diximus exemplis, tum in eo quem hîc S. Ioannes ſanauit claudo. Nam vel exactæ hoc modo ſunt nonnullæ peccatorum quæ ſupererant pœnæ, vel illuſtrando magis ac magis miraculo antiquis doloribus noui ad tempus adiecti, vt ad clamores ac labores inſolitos accurrerent plures diuinorum operum teſtes, vel hoc modo prouiſum à Deo, ne facilitate remedij peccata, quæ cauſa ſolent eſſe morborum, multiplicarentur. Illud extremo hîc obſerua fuiſſe in quodam exemplari hæc verba, *artatim complodere*, pro quibus, quòd extra vſum Latinitatis eſſent, maluimus quod alia exemplaria innuebant, artuatim, vel articulatim ſcribere.

In Caput II.

Circulos pœnitenti ferreos diſcutit S. Ioannes.

Pag. 49. LXXV. IN *pœnitentiæ munere circulos habentem ferreos.*] Multiplex iam olim fuit circulorum ferreorum vſus pœnitentiæ, nam & palam geſtati ab aliquibus, & ab aliquibus occultè ſub veſte, & ſponte ſuſcepti ab aliquibus, & ab aliquibus ex Sacerdotum imperio. Ac illi quidem qui nudo corpori impoſitos palam geſtabant, ſi ſponte id facerent, vanitatis vulgò notâ ſunt inuſti. Apollo Anachoreta apud Palladium Lauſiacæ Hiſtor. cap. 52. ea cauſa coarguebat, *τοὺς τὰ σιδηρᾶ φέροντας, ϗ τοὺς κομῶντας*, eos qui ferrum geſtarent, & qui comas promitterent. Sed licèt non ſponte id fieret, tamen ob indecentiam, Caroli Magni lege, vt libro priore diximus, id fuit interdictum. At verò qui occultè & ſponte circulis eiuſmodi ferreis carnem domarent, ij non tantùm reprehenſionem effugere, ſed admirationem etiam ſapientum hominum meruerunt. Incredibile verò eſt, quàm fuerint in pœnas ſuas ingenioſi hoc in genere viri ſancti, ac mulieres. Theodoſius Anachoreta, vt ſcri-

bit Theodoretus in Hiſtoria Patrum cap. 10. grauiſſimos circulos impoſuerat, αὐχένι καὶ ὀσφύϊ καὶ ἀμφοῖν τοῖν χεροῖν, collo, lumbis, & ambabus manibus. Auxit pœnam Iacobus poſterior capite 20. nam præter brachiorum, colli, & lumborum circulos, ἁλύσεις ἀπὸ τοῦ περὶ τὸν αὐχένα κύκλου, δύο μὲν ἔμπροσθεν, δύο δὲ ὄπισθεν εἰς τὸν κάτω κύκλον ἐλκόμεναι διηκούσας, καὶ τοῦ Χ στοιχείου τὸ σχῆμα ποιοῦσαι, ἔμπροσθέν τε, καὶ ὄπισθεν τοὺς δύο κύκλους ἀλλήλοις συνῆπτον. Catenæ à circulo colli geminæ antè, & geminæ retrò in inferiorem circulum tranſuerſim demiſſæ, ac figuram litteræ X conficientes duos illos circulos antè & retrò colligabant. De Euſebio Anachoreta eadem ferè ſcribuntur ibidem cap. 4. Ad Latinos paulò ſeriùs manarunt hæc exempla pœnitentiæ, ſed tamen Hoſpitium apud Nicæam Maſſilienſium catenis ferreis ſuccinctum vixiſſe ſcribit Paulus Diaconus Hiſtoriæ Longobard. lib. 3. cap. 21. Idem de S. Gallo habet Vualfridus Strabo lib. 1. cap. 31. Sed hoc ipſum propriè ferreorum circulorum ſupplicium reuocarunt in Latinorum vſum S. Petri Damiani comites. Sic enim ipſe ſcribit de Rodulpho Eugubino Epiſcopo cap. 3. Ferreo iuxta pectus circulo iugiter angebatur: & cap. 9. de Dominico Loricato. A tribus, inquit, circiter annorum luſtris lorica ferrea veſtitur ad carnem, duobus autem ferreis circulis in corpore cingitur, duobus item per brachiorum armos arctatur. Hæc virorum fuit in ſeipſos ſeueritas. Sed quod magis mirere, hanc quoque pœnitentiæ palmam ſibi defringere mulieres voluerunt. Theodoretus olim inter Græcas, Maranam & Cyram, σιδηροφορούσας deſcribebat, eò vſque, vt Cyra, quæ corpore erat debilior, perpetuò incurua ambularet; ambæ autem circulos ſibi impoſuiſſent, αὐχένι περιαυχένιον, ἰξύϊ δὲ τὴν ζώνην, χερσὶ δὲ, καὶ ποσὶ τὰ τούτοις ἀπονενεμημένα, collo quidem collare, lumbis verò zonam, manibus & pedibus, quæ ipſis congruunt. E Latinis mulieribus vnam S. Radegundem dixiſſe eſt ſatis, de qua ſic Fortunatus. Quadam, inquit, vice dum ſibi tranſlatos tres circulos ferreos diebus Quadrageſimæ collo, vel brachiis innexuiſſet, & tres catenas inſerens circa ſuum corpus alligaſſet ſtrictius, durum ferrum incluſit caro tenera ſupercreſcens. Hæc iſti ſponte tormenta ſubiere, ſed fratricida hic noſter non ſponte. Sic enim Gregorius Turonicus de eo ſcribit libro de Gloria Confeſſorum capite 87. Quidam, inquit, fratricida pro enormitate criminis ferreis circulis alligatus præceptum habuit, vt ſeptem annis loca ſancta peragrando circuiret. Conſentit cum eo author eius libri, qui fratricidam iſtum aſſerit nimis reſtitiſſe huius pœnitentiæ enormitati.

Ab exilio & peregrinatione eundem reuocat.

Pag. 49. LXXVI. *Qui cùm ideò multa Sanctorum peragraſſet loca.*] Etſi libri pœnitentiales veteres qui extant, circulorum ferreorum pœnam nulli irrogent pœnitenti, quidquid vſus antiquus & hiſtoriæ de illa habeant, tamen exilij & peregrinationis non ſolùm ad aliquod tempus, verùm etiam ad totam vitam criminis maximè homicidij vindictam frequenter infligunt. Pœnitentiale Romanum tit. 1. cap. XIV. ex Concilio Conſtantinopolitano CL. patrum ſic refert. Qui voluntariè genitorem ſuum, aut genitricem occiderit, extra patriam ſeptem annis exul fiat. *Et mox.* Qui voluntariè filium ſuum, vel filiam, vel germanum, aut germanam ſuam occiderit, quinque annis extra metas ipſius terræ exul fiat. Eodem modo plectuntur ibidem qui ſpiritales cognatos cæde violarint. Sed capite XVI. ex Concilio apud Vermerias ſic recitatur. Si quis homicidium fecerit, ſi Epiſcopus, quindecim annis pœniteat, & deponatur, cunctos dies vitæ ſuæ peregrinando finiat. Pœnitentiale Bedæ cap. 7. Si Clericus homicidium fecerit, & proximum ſuum occiderit, decem annis pœniteat; exul ſeptem pœniteat, ſi odij meditatio fiat. Ex hoc ſeptennio peregrinationis & exilij, quod alij, quàm Clerico non reperitur imperatum, cauſa eſt coniiciendi, hunc quoque fuiſſe Clericum. Nam eum multatum ſeptennij exilio teſtatur Gregorius Turonenſis.

In Caput III.

Catenis S. Ioannis dæmones pelluntur ab obſeſſis.

Pag. 49. LXXVII. CIRCVMPOSITIS *eorum collis eiuſdem venerandis catenarum loris.*] Lora hoc loco vocat catenarum, quas aliis locis catenas ferreas. Hoc libro cap. 8. Cùm collo, inquit, eius ſtatim hærerent excluſores dæmonum ferri. Ibidem cap. 9. Probatiſſimis ipſius ferrorum catenulis arctatur. Videri poſſet lora ex parte vna, & catenas ex altera fuiſſe. A quis enim è puteo hauriendis, ſimúlque ſerpenti, quem S. Ioannes enecarat, inde extrahendo vſui fuerant, quam ad rem catenas, funibus, aut loris nexas videmus etiamnum adhiberi. Sed propiùs verò eſt lora catenarum hoc ipſum eſſe huic authori, quod catenas plectiles. Nam libro primo Miraculorum cap. IX. ſic loquitur. Peruaſum quendam à dæmone ferreis toto corpore arctatum loris, parentes cum amicis ad Sancti memoriam perduxerunt.

In Caput IV.

De exportatione S. Ioannis Sinemurum ob Normannicam irruptionem.

LXXVIII. NORMANNICAM *ferita'em à Francia*, &c. *in Gallias deuenire.*] Triplici charactere inſignitur hoc loco tempus, quo S. Ioannis corpus in quoddam quaſi exilium fuit exportatum. Nempe irruptione Normannorum à Francia in Gallias, Adalgario Eduorum Epiſcopo Sinemuri dominante, & Gozberto Comite. Ac irruptionem quidem Normãnorum à Francia in Gallias, id eſt in Lugdunenſes Prouincias non contigiſſe, niſi poſt ſolutam obſidionem Pariſienſem, quam illi Carolo Craſſo imperante, & Carolo Simplice adhuc puero ſunt aggreſſi, vno conſenſu tradunt autores illius temporis, Aſſerus, Regino, Abbo, & alij. Cùm ergo ea ſolutio obſidionis inciderit in annum octingenteſimum octogeſimum-ſeptimum, quo, vt narrat Abbo, Carolus Craſſus in Franciam veniens, pactâ pecuniâ Normannos ab vrbe pepulit, atque ad ſuos reuerſus Imperator eſſe deſiit. Relinquitur vt Irruptio Normannica in Burgundiam contigerit anno qui hunc excepit, & Odonis regno initium dedit, vt Abbo teſtatur. Sanè Chronicum Beſſuenſe diſertè notat Monaſterium Beſuenſe, quod eſt in agro Lingonico, ſicut & Reomaenſe, eo anno octingenteſimo octogeſimo-octauo à Normannis fuiſſe deuaſtatum. Hic igitur annus fuit, quo in Caſtrum Sinemurum manu & naturâ muniſſimum exulare cœpit ſanctus Ioannes. Sed Normannis iterùm, ac ſæpiùs per Sequanam, & Icaunam eodem penetrantibus longiuſculum ſuis, at Sinemurienſibus breue exilium illud fuit. Exhibita enim ſunt illic, vt ſcribit hic author, per diuerſa annorum tempora, donec ibidem peregrinatus eſt S. Ioannes in multis miracula. Iam alter character temporis huius exilij eſt Adalgarij Eduenſis Epiſcopatus, ex quo etſi definitè non intelligitur hoc tempus, tamen perſpectum eſſe poteſt id fuiſſe prius anno Chriſti DCCCXCIII. quo anno fato iam conceſſiſſe Adalgarium conſtat ex Concilio Cabilonenſi, in quo anno DCCCXCIV. quæſitum eſt de nece eius, quam Gyfredus Flauiniacenſis Præpoſitus veneno illi attuliſſe inſimulabatur. Ita acta Monaſterij Flauiniacenſis. Denique additur nota temporis, quo Gozbertus regebat Sinemurum, qui modus loquendi, vt ſuprà vidimus in Nicaſio ſignificat apud hunc authorem Gozbertum Sinemuri Comitem tunc fuiſſe. Sed quia Gozberti res ac tempora manſerunt planè ignota, nihil hinc lucis ad tempus huius exilij deſignandum capere nunc poſſumus. Illud tantùm hinc liquet non in Comitum, vt poſteà, ſed in Epiſcoporum dominatu Sinemurum eo tempore fuiſſe.

Pag. 50.

In Caput V. & VI.

Nobiles viros æſtu febrium liberat.

Pag. 52. LXXIX. FRATREM *eius Letaldum.* & infrà, *Adalardus commilito.* & mox, *Berengarius armiger.*] Quatuor viros nobiles æſtu atque intemperie febrium vexatos ſalutarem S. Ioannis opem Sinemuri ſenſiſſe commemorat his duobus capitibus. Primus eſt Letaldus Gozberti Comitis frater, qui erat tunc tantùm commilito Adalardi. Alter fuit Adalardus, qui ſanitatem iam diuinitùs prouenientem naturali medicamento interpellans, in morbum tandiu recidit, quandiu ad Deum ſolum non reſpexit. Tertius fuit Berengarius Armiger, cuius ego munus non exiſtimem id fuiſſe, quod M. Tullij æuo erat eorum, qui in alicuius ſatellitio eſſent, ac ne illud quidem quod 1. Regum 14. & lib. 35. Plinij cap. 10. tribuitur ſeruis, aut mercenariis dominorum arma geſtantibus, quódque longè poſteà apud Germanos ſeruilibus planè legibus coërcuit Fridericus Imperator apud Ligurinum lib. 7.

Armiger exuſta candenti fronte metallo,
Detonſáque coma, poſt verbera pulſus abibit,
Vel domini ſpoliis redimetur, & omnibus armis.

Sed fuit, vt puto, Berengarius more Francorum Armiger, ſeu ſcutifer nobilis ſtirpe, Equitis tamen dignitatem nondum aſſecutus, qualis deſcribitur à Guillelmo Britone Philippidos lib. 8.

Armiger vilis erat Comitem prope nomine Petrus,
Non indignus Eques fieri, vel gente, vel annis,
Occiſo qui lapſus equo pedes ibat, & ipſe
Penè ducenta virûm dederat iam corpora leto.

Quartus hic nominatur Aldricus nepos Adalardi, qui eiuſdem cum cæteris beneficij poſtulator, ſanitatis compos domum abiit.

In Caput VII.

Obſcura quædam in ſanatione energumeni illuſtrantur.

Pag. 53. LXXX. ANTIQVA *teſtentur Scripturarum obſignia.*] Nonnullæ ſunt in hac narratione vocum magis, quàm rerum tenebræ diſcutiendæ. Nam inprimis vox, *obſignia,* ad exemplar inſignium efformata, magis ex adiunctis percipitur, quàm ex vſu, qui neſcio an alibi occurrat. Sunt autem hoc loco obſignia monumenta obſignata, vt rerum conſequentia indicat. Deinde voces illæ, *à Zeta propria proſilire,* parùm ſunt explicatæ. Ac licèt *Zetam* pro *cœnaculo* veteres Grammatici interdum acceptam tradant, tamen nec libri manuſcripti, nec res quæ

hîc narratur intempeſtâ nocte geſta ſatis videntur conuenire cum cœnaculo. Itaque placet ſuggerere Lectori, ſatiúſne putet legere, *à cœta propria proſilire*, ἀπὸ κοίτης, à lectulo, vel à cœte propria, id eſt à quiete. Gloſſæ enim Latino-Græcæ huic lectioni ſuffragantur. Cœtus, κουχεσι Et antiqua inſcriptio apud Gruterum,

GENIO
COETI HERODIANI PRÆ-
GVSTATORIS D. AVGVSTI.

Iam hæc verba, *ſpurciſſimæ ſodalitatis monſtruoſus*, idem exprimunt, ac ſi diceretur, *ſpurciſſimæ ſodalitatis monſtrator*. Non enim ſemper id genus voces paſſionem innuunt, vt exoſus & odioſus; ſed interdum etiam actionem, vt inuidioſus, portentoſus, & id genus. Denique in illis, *Cùm ipſe præfatus pernix cœnare deberet*, vox, *pernix*, vt aliquoties alibi, laborioſum ſignificat, ac negotioſum, qualem eſſe coëgit dæmon hunc ruſticum, totâ illum nocte imaginariâ frumenti excuſſione exercens.

In Caput VIII.

Inſana cadauerum contrectatio Dæmonis inuaſioni aliquando obnoxia.

LXXXI. OSCVLARI *corpus cœpit, in cuius amplexu mox peruaſa eſt à plenitudine dæmonum.*] Non eſt inſoliti exempli, Pag. 54. quòd Bertrudis hoc loco, dum affectu immoderato percita fratris cadauer exoſculatur, patefeciſſe aditum dæmoni videatur ad ſe inuadendam. Simile enim quiddam adoleſcens energumenus narrabat S. Arnulpho Epiſcopo Sueſſionenſi, vt refert Liſiardus eius ſucceſſor in rebus geſtis ab ipſo cap. 24. Mortuum, inquit, conſobrinum miſer ego apprehendi, & ſcapulis meis eius talos imponens, per medium ſaltum traxi extra locum cædis. Nox tum tetra erat, & ecce circunſtant me antè & retrò malorum dæmonum turbæ innumerabiles vlulantes, & ſibilantes, ſubinde etiam cachinnantes. Itaque timor & tremor horrendus me inuadit, & quædam aduerſaria vis me medullitùs concutit, cúmque ignorarem quid facerem, tandem mortuum cadauer neſcio quem in locum abieci, móxque ſenſu perdito, emotáque mente talis effectus ſum, qualem me iam tua cernit beatitudo. Subdit Liſiardus tam impotentis iracundiæ fuiſſe adoleſcentem, vt niſi impeditus eſſet hac calamitate cruentam vltionem de conſobrini nece ſumpturus videretur. Idem, vt puto, huic Beretrudi principium fuit mali; immoderatus enim dolor ob fratris cædem conuulnerabat eius animum, & in odium authorum cædis accendebat. Hinc cadaueris inſana exiſtebat exoſculatio, quâ dolor & ira paſcebantur, cùm verò omni vitio pateſiat aditus dæmoni, vt mentem poſſideat, atque interdum etiam diuino permiſſu corporis dominetur; tùm

triſtitia ac furore id frequentiſſimè contingit. S. Hieronymus ad Epheſios 4 eò ducere videtur verba illa S. Pauli. *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Nolite locum dare diabolo.* Aduerſarius, inquit, ſemper in nos eſt paratus irrumpere, & cùm locum dederimus; ingreditur. *Et mox.* Hoc diligenter attendite, quòd non inuenerit diabolus locum introeundi in Iudam, cuius pectus iam antè percuſſerat, niſi in conuiuio Saluatoris. Quia tunc vel maximè in poteſtatem ei damur, quando nec humanitate, nec clementiâ nec manſuetudine eius vincimur, quem odimus indignè. Illud extremo hîc obſeruatione dignum cenſuerim S. Germanum Autiſiodorenſem, à quo ex parte ſanata eſt Beretrudis haud immeritò ſenem pulcherrimum hîc vocari. Eum enim deſcribit hunc in modum Ericus libro 4 Miraculorum eius nondum edito. Percontata, inquit, in qua ſibi Beatus Germanus apparuiſſet effigie; perſonam ſe vidiſſe teſtabatur vultus dignitate ſplendidiſſimam, ſtaturâ mediocrem, capilli qualitate decoram, & mixtâ canitie reuerendam.

In Caput IX.

Cur ægri quilibet apud quemlibet Sanctorum non curentur.

Pag. 55. LXXXII. NVNQVAM *mereretur mederi, donec B. Ioannis ſubuentu potiretur.*] Res eſt frequentiſſima, vt qui ſanitatem Sanctorum patrocinio ſibi expetunt, ab vno ad alium ablegentur, Deo honoribus omnium hac ratione conſulente. Theodoretus in Hiſtoria Patrum refert energumenam in ſomnis monitam, vt omiſſis aliis viris ſanctis ad Marcianum pergeret. Gregorius Turonicus libro de Gloria Martyrum cap. 47. narrat oranti ad ſepulcrum ſuum mulieri cæcæ reſpondiſſe S. Martinum, *Require Baſilicam S. Iuliani.* Rupertus Tuitienſis in Hereberto cap. 17. cauſam huius rei profert, quam iam dixi. Iam anteà, inquit, per multa Sanctorum loca fuerat deductus energumenus, vt meritis eorum liberaretur, & non prouenerat illi optata ſalus, quia videlicet liberatio eius Beatiſſimi eius meritis per Dei prouidentiam reſeruabatur. Aliam cauſam addit S. Auguſtinus ſermone 31. de Diuerſis, vtilitatem, aut neceſſitatem populorum ad quos ægri illi peruenerint. Nam cùm aliquis ad Reliquias S. Stephani Anconæ curatus non fuiſſet, Hippone autem Regio ad eiuſdē Reliquias curatus fuiſſet, dixiſſetque S. Auguſtino in libello ſuo, Ideò alibi curari non potui, quia huic loco diuinâ prædeſtinatione ſeruabar. S. Auguſt. interloquutus ad populū dixit. Iſte homo nec Anconæ curari potuit, imò potuit? ſed propter nos factum non eſt. Hæ atque his ſimiles cauſæ fuere, cur hæc Dodila alibi, quàm apud S. Ioannem dæmonem non abiecerit. Sed non fuit in eius ſanitate inſolitum, quòd cum ſputis ſanguineis dæmon eruperit; ferè enim cum id genus ſordibus excernitur. Palladius in Macariis, ſtillante ex omnibus mem-

membris aquâ, ſimul alicui dæmonem diffluxiſſe ſcripſit. Ionas in Columbano cum vomitu ſulphurei odoris eiectum. Gregorius Turonicus de Gloria Martyrum lib. 2. cap. 44. cum ſanguineo vomitu. Et libro de Gloria Confeſſorum cap. 34. ſanguineis proiectis ſputis.

In Caput X.

Quo tempore Sinemuro reductum fuerit corpus S. Ioannis Reomaum.

LXXXIII. POPVLVM *coire fecit Chriſtianum circa barbariem Paganorum.*] Non dubio hîc indicio deſcribitur tempus illud, quo Normannis Burgundia excedentibus, corpus S. Ioannis Sinemuro relatum fuit Reomaum, quod iuuat accuratiùs expendere. Eſt ergo hoc indicium. Coitio populi aduersùs Barbaros Paganos, quæ omninò illa eſt, quam lib. 2. Dudo S. Quintini Decanus contigiſſe ſcribit in reditu Rollonis ex Burgundia, vt Carnotenſem aggrederetur obſidionem. Ruſtici, inquir, videntes Francos robuſtiſſimos bellatores, & Burgundiones aſperrimos pugnatores penitùs annihilatos, congregantes incomprehenſibilem numero multitudinem deſueta arma ne quidquam gerentem conantur iuuadere Rollonem. *Et mox.* Rollo irruit ſuper Villanos, crudeliſque nece illos vſque ad internecionem proſtrauit, & contriuit, cædéque maximâ peractâ, ad ſuos repedauit. Poſteà verò nimio furoris æſtu inhians, & flagrans ſuper ſuos inimicos, Ciuitatem Carnotis hoſtiliter expetiit. Cùm igitur Carnotenſis obſidio à Normannis ſuſcepta fuerit ad annum Chriſti nongenteſimum vndecimum, vt colligitur ex Aimoino, & Chronico Beſuenſi, traditúrque apertè in veteri Chronico Vindocinenſi, & à Matthæo Veſtmonaſterienſi, cõficitur Relationem S. Ioannis ante annum illum non contigiſſe. Sanè Aimoinus argumentum ſuggerit huic notæ temporis aſſerendæ idoneum, dum ſcribit Ricardum Burgundiæ Ducem proximè ante illam obſidionem Normannos in agro Tornodorenſi celebri pugnâ fudiſſe, ac fugaſſe. Quam pugnam apud vicum Argentolium collocat Chronicum Vindocinenſe ad annum Chriſti octingenteſimum nonageſimum-nonum. Nemo verò ſibi perſuaſerit relatum eò S. Ioannem præſentibus, & ad pugnam paratis Normannis, vnde ob ſolam procul adhuc abſentium famam auectus erat. Igitur poſt hanc pugnam, & ruſticorum coitionem facta eſt hæc relatio paulò fortaſſe maturiùs, ob fiduciam ex victoria conceptam, quàm relationes aliorum Sanctorum in ſuas Eccleſias, quæ ferè ſequutæ ſunt annum nongenteſimum duodecimum, quo Rollo Chriſtianus factus, & Neuſtriam incolere permiſſus à Carolo Simplice, omnia Francis fecit tutiora, atque tranquilliora. Pag. 56.

In Librum VI.

De loco in quo primùm conditum eſt corpus S. Ioannis.

Pag. 57. LXXXIV. VBI *haud longè à Monaſterio ſacratiſſimum corpus eius locatum eſt.*] Conficere licet ex his verbis Gregorij Turoniei, S. Ioannis corpus primò conditum fuiſſe haud longè à Monaſterio, quanquam ea non adeò certò ac definitè locum exprimunt, vt non ſint aliunde declaranda. Ergo nihil habemus hanc ad rem explicatius, quàm vetus Monaſterij Martyrologium, in quo ſic legitur, Quarto Kalendas Iulij, in Reomai Monaſterij vico dedicatio Eccleſiæ ſancti Mauricij Martyris, in qua S. Ioannes Confeſſor corpore quieſcit. Vbi vides non in ipſo Cœnobio, ſed in vico, Eccleſiam illam S. Mauricij ſitam fuiſſe, in qua corpore quieſcebat S. Ioannes. At Eccleſiam illam reperimus etiam hodie inter eas, quæ Monaſterio Reomaenſi ſubſunt in vico, cui nomen eſt *Corporis Sancti*, quòd, vt licet coniicere, in eo olim eſſet corpus S. Ioannis. De ea ſic Monaſterij notitiæ ſcribunt. In Epiſcopatu Lingonenſi Eccleſia Parochialis S. Mauricij de Corpore Sancto, ad præſentationem Domini Abbatis. Præter hanc nulla eſt, quæ eiuſdem ſit tituli, & longè à Monaſterio non diſtet, vt certum videatur hanc Eccleſiam primò excepiſſe egregium illum ac beatum corporis S. Ioannis theſaurum. Illud etiam licet hinc conficere miracula, quæ duobus libris referuntur, non eo collocata eſſe ordine, quo ſunt perpetrata. Nam miraculum illud, quo effracti ſunt fratricidæ circuli ferrei ſecundo loco recitatur in libro 2. eique præponuntur multa lib. 1. quæ tamen pleraque poſteriora fuere tranſlatione ſecunda. At fratricidæ miraculum, & ea Tranſlatione, & S. Gregorij fuit antiquius narratione. Certum eſt autem ſanctum Gregorium tempus ſecundæ Tranſlationis non attigiſſe.

In ſermones de S. Ioanne.

Pag. 60. LXXXV. *Signa enim Apoſtolatus.*] Extant hi ſermones in codice veteri Monaſterij, quem annotatio in fronte poſita anno Chriſti ciↄccxxxiv. ſcriptum teſtatur. Author tamen eorum, vt illic tacetur, ſic nobis compertus eſt nuſquam. Ratio certè dicendi indicat eos non prodiiſſe omnes ab eadem manu, quod ſatis liquebit, vt opinor, ei qui duos poſteriores accuratè contulerit cum prioribus. Ac licèt venire cuipiam in mentem poſſet eos Reomaenſium Monachorum fœtum fuiſſe, cùm veriſimile ſit non paucos illic, & olim, & maximè poſt ſuſcepta Cluniacenſium inſtituta, vixiſſe eruditos; tamen nonnulla me ſuſpicio inceſſit, eos aliunde acceſſitos nonnullâ verborum mutatione, vt ſolet in Eccleſiaſticis Officiis, accommodatos fuiſſe S. Ioanni. Nam primus eorum haud dubiè

ſcriptus olim fuit de ſancto Germano Autiſiodorenſi, quod perſpicuè docet alterum eius exemplar ex alio codice, vbi idem ſermo auctior eſt, poſt illa verba, *Signa Apoſtolatus eius nos ſumus omnes in Domino.* Sic enim additur. Poſtremo illud quale eſt, quàm vehemens caritatis indicium, quàm memorabile paterni, vel potiùs materni pectoris argumentum? Longa iam feſſum militia vocatio cæleſtis vrgebat, vicinam mortem præſenſerat, ad æternæ remunerationis ſtipendium animus cum fine tendebat; pro releuandis miſeris moleſtam ſibi peregrinationem impoſuit, non veritus ſenex marina terrarum, non obuias moles torrentum, non denique, quod maximum eſt, peregrè mori metuens, immo quidquid eſſe poteſt in morte grauiſſimum paruipendens. Sic equidem, vt reor rerum ordo poſcebat, vt bellatorem virum, quem Gallia quotidie pugnantem aſpexerat, totus orbis triumphantem inſpiceret. Alibi ergo præliatur, alibi coronatur; diu præſtolatum, tardè ſuſceptum Italicus orbis amplectitur, & per oblectamenta Imperialia, per Sacerdotum obſequia, blandas viro innectit moras. Intereà Chriſtus adeſt, oſtendit ituro Paradiſum perpetuum, ad Angelorum epulas inuitat amicum, mixta luctibus gaudia. Indiſcretè per ampla feruutur palatia, dum & morituro lacrymas tribuunt, & quamquam fruſtrà de hæreditando ſacri funeris pignore ſibi plaudunt. Et illi quidem conflabant talia; verùm immutabilis arbiter præordinauerat meliora. Germanus enim cælo ſpiritum refundebat, & caris ſubditis ſalubria prouidebat. Itaque pro tempore ſatisfactum eſt vtriſque. Italiam moriens illuſtrauit, Gallias mortuus viſitauit. Hæc fuſiùs retuli, ne perirent alibi, vt opinor, non edita, & quo intelligeretur hunc ſermonem à S. Germano traductum, ad S. Ioannem, mutato paſſim Germani nomine in Ioannem, & pauculis alibi voculis omiſſis, quæ ægrè poterant adaptari.

In Hymnum & Proſas.

LXXXVI. *Exultemus.*] Non ſunt, vt arbitror, hæc opera eiuſdem antiquitatis cum iis quæ hactenùs dedimus, ſed anno milleſimo trecenteſimo poſteriora cum eliminata politiori ferè literatura, non tantùm Latinus ſermo, ſed etiam omnis ars ſermonis propè interiit. Itaque numerantur hîc tantùm verſuum ſyllabæ, non menſurantur, támque multis modis in exemplari interpolata ſunt hæc omnia, ineptis vocularum adiectionibus, & inuerſionibus, vt plus operæ fuerit, quàm pretij, ea in hanc formam reſtituere. Non libuit tamen omittere, ne quid huc attinens poſſet deſiderari. Pag.

IN SANCTVM SILVSETRVM.

Electus eſt ſanctus Silueſter Abbas ſuperſtite ſancto Ioanne.

Pag. 70. LXXXVII. QVEM *ipſe antea viuens Fratrum cœtui praeeſſe praeceperat.*] Non equidem ſatis explicatè ſignificant hæc verba, an S. Ioannes præceperit viuens, vt S. Silueſter ſe ſuperſtite præeſſet Fratrum cœtui ſecundo poſt Abbatem loco; an vt ſibi vita functo ſuccederet Abbas; an denique vt ſuum ſuperſtitis, & dignitate cedentis locum occuparet. Sed ratio temporis poſtulat, vt intelligamus hoc poſtremum hiſce verbis ſignificari. Nam ceſſiſſe S. Ioannem Silueſtro dignitate Abbatis octo circiter ante mortem annis cogit nos fateri Præceptum Regis Clotarij S. Silueſtro conceſſum. Sic enim Clotarius loquitur. Nos venerabilem Silueſtrum Abbatem ipſius loci, & Domini Ioannis noſtri generis peculiaris Patroni, & Oratoris diſcipulum, ac ſucceſſorem, ſub noſtra, & Regum ſucceſſorum noſtrorum immunitate & defenſione recipimus. Non tantùm Abbatem, ſed etiam ſucceſſorem ſancti Ioannis nominat Silueſtrum eo anno, quo Præceptum conceſſit Clotarius. Erat porrò is annus, vt ſubſcriptio docet, quintus Regni eius, quem incidiſſe in Chriſti quingenteſimum triceſimum ſeptimum ſic doceo. Duplex Clotarij annus quintus poteſt nominari, alter Regni Burgundici, alter Sueſſionici, qui cùm à morte Clodouei patris numeretur, incidit in annum Chriſti DXVI. At de hoc quinto Regni Sueſſionici nullo modo accipi poteſt ſubſcriptio Præcepti. Quomodo enim deſtinaſſet Comitibus, Ducibus, aut aliis Iudicibus ſuis interdictum, ne quas requiſitiones, vt vocat, exigerent à Monaſterio Reomaenſi, aut ſanxiſſet vt illud ſub ſe, ac ſuis ſucceſſoribus ſemper maneret, ſi eo tempore Burgundiæ Regibus Lingones omnes ſuberant, & ad Regem Sueſſionenſem nullo modo pertinebant. Illud autem liquidò conſtat Burgundiam illo anno nondum fuiſſe à Clotario ſubactam, nec illi ante annum Chriſti DXXXII. paruiſſe. Nam Gregorius Turonicus lib. 3. Hiſt. cap. 11. teſtatur ſubactam ab eo, & Childeberto poſt Amalarici Hiſpani cædem, quam contigiſſe Aera quingenteſima ſexageſima-nona tradit S. Iſidorus in Chronico, id eſt anno Chriſti DXXXI. Vt meritò in annum ab iſto proximum referatur victoria Clotarij & Childeberti, quâ pulſo Godemaro totam ſibi ſubegere Burgundiam. Poſt eum annum, ſi Regnum Clotarij Burgundicum numeres, vt eſt ſanè numerandum, fiet vt annus eius Regni quintus reſpondeat Chriſti DXXXVII. Qui annus cùm iam S. Silueſtrum videret Abbatem Reomaenſem, & ſucceſſorem S. Ioannis, vt teſtatur Clotarius, abeſſetque annis octo à morte S. Ioannis, quæ obtigit anno DXLV. vt dixi-

mus, conſequens eſt S. Ioannem deceſſiſſe Præfectura totis octo annis ante mortem. Quod enim venire alicui poſſet in mentem S. Silueſtrum viuenti S. Ioanni datum adiutorem, id non ſatis videtur vel moribus illius æui, vel Abbatis ac ſucceſſoris nomini congruere, quo iam tum donabatur à Clotario. Neque verò mirum videri debet, quòd hic annus dicatur ſimpliciter quintus Regni Clotarij, cùm ille annis antè pluribus Sueſſione regnaret. Nam in negotio Burgundicæ ditionis poſtulabat ratio, vt annus initi Regni Burgundiæ notaretur potiùs, quàm Regni Sueſſionenſis.

Quandiu præfuerit ſanctus Silueſter.

LXXXVIII. *Longæuo floruit tempore,*] Diuturnitatem Præfecturæ S. Silueſtri ſatis incerto in his verbis charactere deſignatam vix licet aliter definitis limitibus circumſcribere, quàm ſi Præfecturam Mummoli ſucceſſoris, vnà cum Silueſtri Præfectura implicemus. Cùm enim conſtet ex dictis præeſſe Silueſtrum cœpiſſe ante annum Chriſti DXXXVII. & Mummolus anno DLXXIX. à Præfectura Reomaenſi ad Lingonenſem Epiſcopatum ſit euectus, vt ad cap. 1. lib. 1. Miraculorum confecimus, relinquitur annos circiter quadraginta inter Præfecturã Silueſtri & Mummoli partiendos eſſe. Paucos tamen ex eis Mummolo attribuendos duplici argumento coniicitur. Alterum eſt, quòd ſedes Mummoli in Epiſcopatu longè poſt id tempus fuerit producta. Nulla enim memoria eſt ipſi ſucceſſum fuiſſe ante annum circiter ſexcenteſimum decimum-tertium, quo Ionas in Columbano Megetium illi ſubſtituit. Proinde Epiſcopatus eius annorum fuerit circiter triginta-quatuor, fiétque vt non multi anni Præfecturæ eius Reomaenſi tribui poſſint. Alterum eſt, quòd S. Silueſter doceatur ſuperſtes fuiſſe longè poſt S. Germani Pariſienſis conſecrationem, ex iis quæ Fortunatus de eo ſcribit in S. Germano. At ea conſecratio poſterior fuit anno quingenteſimo quinquageſimo-ſeptimo, támque multa S. Germani miracula, & itinera inter eam, & id miraculum, quod à S. Silueſtro inceptum S. Germani contactu poſteà fuit perfectum, interponuntur à Fortunato, vt veriſimile ſit fuiſſe eorum, quæ circa vitæ finem patrauit vnum. Itaque ſi quis ſancto Silueſtro Præfecturæ annos tribuerit triginta quinque, & Mummolo quinque, haud multùm puto aberrarit.

Pag. 79.

De Iunioribus Iudicum.

LXXXIX. *Et omnibus iunioribus veſtris.*] Habuit hoc loco exemplar vnum huius Præcepti, *Et omnibus minoribus noſtris*, quorum verborum ſenſus eſt ſatis idoneus, ſi per minores intelligantur vel poſteri, vel ſubditi. Notum enim eſt optimos Latinitatis authores minores pro poſteris poſuiſſe, & in lege Vviſigothorum libro 12. tit. 1. §. 2. minor nihil vide-

Pag

tur eſſe aliud, quàm ſubditus in hac ſanctione. Si primatus eum ſeruis fiſci noſtri habuerit cauſam actor, vel procurator commonitus in iudicio Rectoris Prouinciæ, vel Iudicis territorij, vbi cauſa fuerit intromiſſa, ſuam repræſentet perſonam & minorem. Verùm Præcepta & Chartæ Regum frequentius habent, *Et omnibus Iunioribus veſtris*, & alia exemplaria huius Præcepti id repræſentant. Sunt autem Iuniores Iudicum non ij qui ætate minores, nec qui Iudicibus ſubditi, nec Iudicum ſucceſſores, ſed Iudices inferioris gradus. Nam cùm Præcepta interdum dirigantur Comitibus, & iunioribus tum alias explicatè diriguntur Comitibus, & aliis inferioribus. In Codice Legum antiquarum formula X. Comiti, inquit, ſeu Iunioribus ſucceſſoribúſque veſtris. At formula XI. Comitibus, inquit, Domeſticis, Vicariis, Centenariis, & omnibus agentibus noſtris, & Iunioribus ac ſucceſſoribus eorum. Vt facilè pateat eos eſſe Comitis Iuniores in formula priore, qui diſtinctè ab illo ſeparantur in poſteriore. Ad hæc Iuniores hi Comitum non obſcurè vocantur Iudices aliquot locis. Eodem enim Codice formula VI. Iubemus, inquit, vt neque vos Comites, nec Iuniores veſtri, aut ſucceſſores, nec vlla iudiciaria poteſtas, ad audiendas altercationes ingredi, aut freda de qualibet cauſa exigere, vel manſiones, & paratas, vel fideiuſſores tollere præſumatis. Et formula CLXXVII. Neque vos, neque Iuniores, neq; ſucceſſores veſtri ipſum, vel homines ſuos, qui ad ipſum legitimè ſpectare videntur, inquietare, nec condemnare, nec de rebus ſuis in vllo abſtrahere, vel diſmannire præſumatis. Non enim vel altercationes audiunt, vel condemnant, qui non ſunt Iudices. Quamobrem Carolus Magnus lib. II. legis Longobardorum tit. 51. §. vltimo, vocat Comites, & eorum Iudices, quos ſtatim §. 8. Comites, & eorum Iuniores. Porrò vt Comitum Iuniores dicuntur cæteri omnes, quibus eſt iuriſdictio ſub Comitibus. Ita Centenariis, Vicariis, & aliis Comitum Iunioribus, ſui erant Iuniores, vel Racimburgij, vel Scabinei, vel alij id genus. Hæc de Iunioribus Iudicum, qui in Præcepto Clodouei non fuere nominati. De cæteris, qui hoc loco nominantur, videnda quæ illic ſunt à nobis diſquiſita.

Sanctum Ioannem cur Oratorem ſuum dicat Clotarius.

Pag 72. XC. *Noſtri generis peculiaris Patroni, & Oratoris diſcipulum.*] Oratores apud Deum quaſi legatos & interceſſores in illius poſcenda pace & venia appellare ſoliti ſunt, & alij & Franci viros ſanctos, tam viuentes, quàm fato functos. Ita quidem viuentes nominat Carolus Caluus in Diplomate S. Dionyſij anno Regni XXIII. Indictione X. qui erat Chriſti DCCCLXIII. Monachi, inquit, eiuſdem ſanctæ Congregationis deuotiſſimi Oratores noſtri ſuggeſſerunt Serenitati noſtræ. Hincmarus Remenſis circa idem tempus Gerardo Comiti Roſſilionæo ſcribebat apud Flodoardum lib. III. cap. XXVI. Quoniam in Remenſi Eccleſia per

decem Monaſteria, tam Canonicorum, quàm Monachorum, atque Sanctimonialium ampliùs quàm quingenti pro ipſius præſenti & perpetua ſalute in Pſalmis & Canticis ſpiritualibus, atque ſacris oblationibus continui Oratores exiſtant. Rex Robertus in Diplomate Dionyſiano. Illi, inquit, ipſi nobis Oratores. Eandem verò appellationem Sanctis fato functis, non ſolùm hoc loco Clotarius, ſed longè ante eum Prudentius, περὶ στεφάνων tribuit Hymno V. ſic Vincentium alloquens,

Adeſto nunc, & percipe
Voces precantum ſupplices,
Noſtri reatus efficax
Orator ad Thronum patris.

Ennodius verò Hymno V. qui eſt de S. Cypriano, ſic ait,

Nunc munus implet priſtinum,
Orator orat, obtinet,
Et dura cauſis temperat,
Facit Beatos ex reis.

IN MVMMOLVM.

Cur vocatus ſit Bonus.

XCI. MVMMOLVS *Abbas, quem Bonum cognomento vocant.*] Pag. 73. Quæſiuere illi, vt arbitror, Boni nomen, non mores tantùm, quanquam eos Gregorius Turonicus meritò commendet, ſed plurium eiuſdem nominis diſpar vita, à quibus ipſe, vt aberat moribus, ita nomine viſus eſt vulgò ſecernendus. Degebat enim tunc inter Chilperici Præfectos Mummolus, qui maleficij conuictus periit, vt ſcripſit Aimoinus libro tertio capite quinquageſimo-primo. Erat & ſuus Guntramno Regi Mummolus Patricius, & Præfectus, qui perduellionis conuictus, meritas pœnas luit. Ad iſtorum, vt opinor, diſcrimen additum eſt Mummolo Boni cognomen. Brouuerus noſter hæc verba Fortunati libro 9. carmine 13. ad hunc Mummolum pertinere exiſtimat,

Mummolus egregeus veneretur, Cæſariuſque,
Et Conſtantino me memorate meo.

Vbi Mummolus egregius idem videtur eſſe, quod Mummolus Bonus.

IN SAMVELEM CVSTODEM REGIVM.

Cur dictus Cuſtos Regius.

Pag. 76 XCII. CVSTOS *Regius*] Munus quoddam Regiâ ſubnixum authoritate per hæc tempora in Eccleſiis extitiſſe, cui hoc nomen tribueretur, docemur etiam ex monumentis Eccleſiæ ſancti Quintini Veromanduorum, cui cùm hodie præſint Decani, olim præfuere Abbates, atque eorum cuipiam Cuſtodis Regij nomen datum teſtatur Emereus illius Eccleſiæ illuſtrator. Ac licèt nonnullus ſit labor, vt declaretur quid illud fuerit muneris, tamen ſuſpicari licet ex ipſa nominis ratione temporariam quandam fuiſſe dignitatem, qualis in Epiſcopatibus erat Viſitatoris, aut Adminiſtratoris vacante Sede. Vt enim iſtorum erat Eccleſiam regere, facultates eius cuſtodire, & electionem noui Epiſcopi promouere. Sic arbitror Cuſtodem Regium in Monaſteriis, aliiſque Eccleſiis Monachum fuiſſe, vel Clericum, quem Rex præponeret illis interim regendis, ac contra inuaſores, aut direptores cuſtodiendis, dum legitima electio illius aſſenſu proueniret. Abbates enim & Præpoſitos Eccleſiis quas Regia fundaſſet, aut locupletaſſet, munificentia abſque Regum conſenſu, aut priuilegio non dari indubitati erat moris, ac iuris. Dum ergo electionem diſſenſio, aut vitium quoddam morabatur, aut perturbabat, vel dum certis ex cauſis ſuum Rex conſenſum tenebat ſuſpenſum, Cuſtodem illis interim, ne detrimentum caperent, tribuebat. Ac neſcio an ſicut in Epiſcopis factum ſcitur, vt temporarij illi Viſitatores, atque Adminiſtratores lapſu temporum fierent perpetui, vt hodiéque videmus fieri; ſic & in Monaſteriis, aliiſque Eccleſiis Cuſtodes Regij in Abbates, ac Præpoſitos perpetuos tandem non ſint conuerſi.

IN HEIRARDVM ADALARDI Ducis filium.

Interdum Ducis pro Comite nomen promiſcuè vſurpatum.

Pag 79. XCIII. FVITQVE *filius Adalardi Ducis Burgundiæ.*] Adalardum Comitem tantùm dixerunt omnes, quos huc conieci authores præter ſolum Catalogum Abbatum huius Monaſterij, qui Ducem facit Burgundiæ. Sed Ducis appellatione, non perpetua, ac ſumma poſt Regem dignitas, vt aliàs, ſed ductoris tantùm militum, videtur hoc loco expreſ-

expreſſa. Quocirca authores hîc citati non tantùm Duces poſtpoũnt Comitibus, vt Annales Fuldenſes, ſed etiam eos componunt cum Primatibus, vt Aimoinus. Omninò verò eos qui Comites dicebãtur, Duces etiam interdum indifferenter vocatos intelligimus ex celebri illo Gerardo Roſſilionæo, quem Hincmarus apud Flodoardum lib. III. cap. XXV. Comitem appellat, cùm Lupus Ferrarienſis epiſtola CXXII. præcellentiſſimum Ducem vocet. Ordericus Vitalis libro VI. Guillelmi Aquitaniæ Ducis, Hiſtoriam à temporibus Caroli Magni repetens eum indifferenter nunc Ducem, nunc Comitem, nunc Marchiſum nominat. Normannos Robertum, Vvilelmum, Richardum, & alios nomine Ducum ab initio poſſeſsæ Neuſtriæ donare ſolent Hiſtorici Normanni, eoſdem tamen Chronicum S. Benigni non facilè aliter, quàm Comites Normanniæ vocare conſueuit. Diſtinctio certior ac maior his honorum titulis interceſſit in hac Regum poſtrema ſtirpe.

IN DEIDONVM.

De Synodo Vormatienſi, cui adfuit & ſubſcripſit Deidonus.

XCIV. DATVM *in Synodo apud Vormatiam.*] Synodum Vormatiæ Collectam anno Chriſti DCCCXXIX. menſe Auguſto, Ludouico Pio imperante, affirmat author Annalium Fuldenſium. Sed in ea Synodo conceſſum priuilegium S. Remigio Senonenſi, cui ſubſcripſit Deidonus, non facilè aſſenſerit, qui tempora eorum expenderit, cum quibus ille ſubſcripſiſſe reperitur. Nam qui primus nominatur inter ſubſcribentes Aldricus nondum Senonenſi Eccleſiæ videtur tunc præfuiſſe, vtpote quæ eodem anno III. Kal. Iunij paſtore careret, vt docet Præfatio Concilij Sexti Pariſienſis, quod tunc eſt habitum. Ad hæc Ragnerius, vel Raganarius Ambianenſi Eccleſiæ nondũ erat datus Epiſcopus cùm certum ſit eam Eccleſiam Ieſſe Epiſcopũ habuiſſe, vſque ad annũ DCCCXXXI. quo Annales Fuldenſes, & Teganus eum fuiſſe depoſitum tradidere. Itaque poſteriorem quandam Synodum Vormatiæ habitam oportet, cui iſti & intereſſe, & inter Epiſcopos potuerint ſubſcribere. Sanè Annales Fuldenſes anno DCCCXXXIII. ſic habent. Imperator initio Quadrageſimæ Vormatiam venit, & ibi vxore reuocata, atque exercitu congregato, contra filios ſuos ad ſe venire volentes eſt in Aliſatiam profectus. Author vitæ Ludouici plures illic Epiſcopos cum Ludouico fuiſſe commemorat, ibíque eum quid ſibi agendum foret diu deliberaſſe. In hoc Vormatienſi Conuentu conceſſum id priuilegium S. Remigio Senonenſi probabile eſt, tum quia antè non potuit, vt oſtendi; tùm quia poſteà confirmatum eſt à Ludouico anno XXII. Imperij, Indictione XIII. menſe Nouembri, cùm verteretur annus Chriſti DCCCXXXIV. Pag. 81.

IN MODOINVM AVGVSTODVNENSEM Epiſcopum.

Non fuiſſe Modoinum priùs Abbatem, quàm Epiſcopum.

Pag. 81. XCV. MODOINVS *Auguſtodunenſis vrbis Epiſcopus.*] Conſtat id quidem apertiſſimè ex iis, quæ de rebus ab eo geſtis huc contulimus. Erat enim iam Epiſcopus anno Ludouici ſecundo, qui incidit in Chriſti octingenteſimum decimum-quintum, Indictione octauâ, vt ex Præcepto Eccleſiæ Eduenſi illius interuentu conceſſo, quod capite primo horum Excerptorum recitauimus, eſt manifeſtum. At eo anno vel Vigilius, vel Deidonus Reomaenſibus præfuit, nec locus Modoino patere apud eos potuit, niſi poſt octingenteſimum triceſimum-quartum, ad cuius exitum rexiſſe adhuc Deidonum Reomaenſe Cœnobium ſuprà demonſtrauimus. Mihi verò illa quoque in mentem venit ſuſpicio vix factum, vt à Ludouico impetraret Modoinus hanc Præfecturam, cùm vel nulla, vel rata occurrant exempla conceſſæ Clericis, aut Laïcis ab illo Monachorum Præfecturæ; immò è contrà perpetuæ quaſi vigiliæ in Monachis ad veterem diſciplinam, & ſancti Benedicti Regulam reuocandis. Quamobrem niſi ille extremi ſui temporis neceſſitate, ac perturbatione ad exempla id genus adactus fuit, cenſuerim potiùs Moduinum à Carolo Caluo donatū hoc munere ad principatus initia, quod alia ratione Clericos ſe ac Laïcos ſibi obſtringere poſſe non viderētur, qui Ludouico ſucceſſere Reges. Vnde illa tunc fluxit Lupi Ferrarienſis querela epiſt. xxv. Fama, inquit, verſatur inter nos, Clericos Palatij diuerſorum Cœnobiorum ſibi dominium optare, atque poſcere, quibus nulla ſit alia cura, niſi vt ſuæ auaritiæ, oppreſſione ſeruorum Dei ſatisfaciant, vnde in hac parte ſupplicamus veſtram nobis vigilare prudentiam, vt tenuitas noſtra per vos eſſe valeat tuta. Plura aliis epiſtolis quæritur de Cella S. Iodoci ſibi ablata; & Laïcis à Lotario, & mox à Carolo Caluo tunc condonata.

De reſponſo Modoini ad querelas Theodulfi.

Pag. 81. XCVI. *Hoc Modoine tibi Theodulfus dirigit exul.*] Quod querebatur cum primis Theodulfus hoc fuit, dignitatem ſuam diuturno carcere imminutam; nam poſt illa,

Sum Theodulfi Erato veniens de carceris antro
Eius, vbi immenſus hunc tuus vrit amor.

Addit poſt hæc,

Debuit & qui aliis legalia promere iura,

Officij perdit ius ſine iure ſui.
Culpa facit ſanum confeſſa perire latronem,
Non eſt confeſſus Præſul, & ecce perit.

Hanc dignitatis imminutionem Ludouici Pij religioni, ac manſuetudini minimè conſentaneam ratus author Annalium Eccleſiaſticorum, Theodulfum Abbatem eatenùs tantùm fuiſſe eſt ſuſpicatus, nec ante ad Epiſcopatum veniſſe, quàm redintegrata cum Imperatore gratia carcere eſt emiſſus. Verùm, ſi illius temporis ſcriptoribus, vt par eſt, fides tribuatur, ambigi non debet quin longè antè carcerem Epiſcopus eſſet. Nam author vitæ Ludouici, mortuo Carolo Magno, de Ludouico ad capeſſendum Imperium properante, ſic ait. Cùm Aurelianam deueniſſet ad vrbem Theodulfus eiuſdem vrbis Epiſcopus vir vndecunque doctiſſimus, cauſam eius aduentus præſenſit. Hæc contigere anno DCCCXIV. & poſt biennium aduenienti in Gallias Stephano Pontifici narrat idem author miſſos à Ludouico obuiam Hildebaldum Archicapellanum ſacri Palatij, Theodulfum Epiſcopum Aurelianenſem, & Ioannem Arelatenſem. Anno ſubinde DCCCXVII. vt narrant Annales Fuldenſes, conflata eſt Bernardi Italiæ Regis in Ludouicum conſpiratio, atque, vt loquitur author vitæ Ludouici, aliquos Epiſcopos huius temporis procella inuoluit Anſelmum ſcilicet Mediolanenſem, Vuolfoldum Cremonenſem, ſed & Theodulfum Aurelianenſem. Proximus ab hoc annus Theodulfi carceri dedit initiũ. Erat ergo pridem Epiſcopus cùm illũ ſubiit, nec tamen religioni, aut manſuetudini Ludouici vlla hinc nota eſt inurenda. Non enim antè eũ damnauit carcere, quàm Epiſcoporũ legitimo iudicio Epiſcopali eſſet dignitate deiectus, & in ordinẽ redactus. Adde quòd is carcer non publicus, ſed Monaſterij fuit. Annales Fuldẽſes anno DCCCXVIII. Epiſcopi, inquiunt, Synodali Decreto depoſiti Monaſteriis mancipantur. Author vitæ Ludouici. Epiſcopos porrò hac immanitate conſtrictos ab Epiſcopis reliquis depoſitos, Monaſteriis mãcipauit. Queri nihilominùs non ceſſauit Theodulfus, quòd negaret ſe nec conuictum, nec confeſſum deiici de gradu potuiſſe. Sed Teganus contrarium inſinuare videtur. Omnes, inquit, iudicati ſunt ad mortem, præter Epiſcopos, qui poſtmodum depoſiti in confeſſione eorum facti ſunt. Modoinus verò hoc loco præcipuam in eo videtur operam ponere, vt criminis confeſſionem à Theodulfo eliciat. Quæ quia abſque aliqua interpretatione ἀσύςατα ſunt, ego cenſuerim Theodulfum quidem non eſſe crimen confeſſum, ſed eorum, qui fuerant complices confeſſione conuictum, ac damnatum eſſe. Quod autem tantopere confeſſionem illi Modoinus ſuaderet, vt diceret

Nullo alio ſuperare modo puto Principis iram
Poſſe, probes niſi te criminis eſſe reum.

Cauſa, vt opinor, fuit, quòd conceptam ex morte Bernardi ſeueritatis opinionem, hac quoque criminis manifeſtatione vellet Princeps extinguere, aut à ſe in Theodulfum & ſocios amoliri. Perſtitit tamen ille cri-

men negare, & ad Aigulfum Bituricenſem Epiſcopum, hæc aſſeuerare.

Crede meis verbis, frater ſanctiſſime, crede
Obiecti haud quaquam criminis eſſe reum.
Hoc ego clamaui, clamo clamabo per æuum,
Hoc donec anima membra liquor vegetat.

Hæc, vt opinor, cauſa illi fuit longiſſimi carceris: nam hæc atque alia ſcribebat ad Aigulfum Bituricenſem iam Epiſcopum, qui tamen præeſſe non cepit ante annum DCCCXXXVI. quo præceſſor eius Stephanus Aquiſgranenſi Synodo adhuc ſubſcribebat, & Ludouicus Pius triennio tantùm à morte aberat. Itaque pœnas dedit annos minimum decem & octo in illo carcere Monaſtico, & vix ante quadriennium quàm moreretur, illo eſt liberatus.

De Modoino Confeſſore Ebbonis.

Pag. 88. XCVII. *Confeſſores ſuos*, &c. *Modoinum.*] Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtros fuiſſe hos Confeſſores Ebbonis Remenſis Epiſcopi in Synodo apud Theodonis villam perduellionis inſimulati, nonnulla videntur inſinuare: inprimis quòd eam à ſe confeſſionem Ebbo aſſerat inſtitutam, vt remedium quæreret pœnitendi, & ſalutem animæ. Deinde quòd dicat me peccaſſe ſecretò ipſis confeſſus ſum. Secreta enim confeſſio Pœnitentiæ & ſalutis cauſa ſuſcepta videtur ſapere Sacramentum. Nihilo tamen ſeciùs non exiſtimo ambigendum, quin hæc confeſſio multùm abfuerit à Sacramento. Nam ante omnia confeſſio, niſi ad abſolutionem à peccatis ſit inſtituta, Sacramenti rationem non habet. At iſta eò pertinebat, vt Confeſſores ex criminum in confeſſione enunciatorum grauitate perpenderent, eſſétne Ebbo depoſitione dignus. Deinde ſanctio eſt Concilij Tridentini ſeſſione 14. cap. 5. confeſſioni, quæ Sacramentum eſt datum à Chriſto illum modum, vt ſecretò apud ſolum Sacerdotem fieret. At hæc Ebbonis confeſſio apud tres Epiſcopos fuit inſtituta: qui numerus adeò pertinuit ad hanc rem, vt ſi apud vnicum edita fuiſſet, nullam Synodo fidem facere potuiſſet. Longè enim ante hæc Ebbonis tempora ſancitum hoc modo fuerat in Synodo Carthaginenſi ſeptima cap. v. Si quando Epiſcopus dicit aliquem ſibi ſoli proprium crimen fuiſſe confeſſum, atque ille neget, non putet ad iniuriam ſuam Epiſcopus pertinere, quòd illi ſoli non credatur. Denique Confeſſores Ebbonis, vt eſt apud Hincmarum Remenſem in poſteriore opere contra Godeſcalum cap. XXXVI. non tantùm poſcente Ebbone coram tota Synodo teſtificati ſunt, quia tale peccatum eis confeſſus fuerat, pro quo dignus non erat Epiſcopale miniſterium vltrà agere; ſed etiam hoc ipſi teſtes & Confeſſores ſubintulerunt, quia ſi idem peccatum ante ordinationem admiſiſſet, nullo modo Epiſcopus ordinari debuiſſet. Quæ ſanè reuelatio confeſſionis ad faciendam in iudicio fidem, & ex rogatu

confitentis parùm Sacramenti reuerentiæ, & ſubinferẽdo aliquid præter poſtulatũ confitentis parùm religioni fuiſſet conſentanea. Itaq; veriſimilius mihi eſt confeſſionẽ hanc nihil fuiſſe aliud, niſi iudicialẽ proceſſum ſecretò inſtitutũ, quo parceretur, vt ait Flodoardus lib. II. cap. XX. & Ebbonis verecũdiæ, & Eccleſiæ opprobrio, ac inſolenti inſultationi ſæcularium, ne dignitas Sacerdotalis pollueretur, ſi publicè de his, de quibus impetitus, & adhuc impetendus erat confeſſus, aut conuictus foret. Itaque rectè ſcribit, & Hincmarus, & Flodoardus Confeſſores hoſce propriè fuiſſe Iudices, qui in Conciliis Africanis dicti ſunt Electi. Sanè verò non eſt ambiguum, quin Iudices illi ab Africanis Conciliis præſcripti longè alij fuerint ab iis, qui Sacramentum Pœnitentiæ miniſtrabant, cùm ad controuerſias adhiberentur, quibus poterat per appellationem ſubueniri. A Iudicibus, inquit Canon ille, Electis non liceat appellare. Porrò confeſſio illis temporibus ad multa, quæ non attinebant ad Sacramentum ſolita eſt traduci. Nam idem Hincmarus apud Flodoardum libro III. cap. XXIII. ſcribit exhortatoriam Epiſtolam ad Hildebaldum Epiſcopum corporeâ infirmitate detentum, in qua iuxta petitionem litteratum confeſſionis illius, abſoluit eum, reconciliando licet per abſentiam corporalem. Vbi vox confeſſionis non magis intelligenda eſt de Sacramento, quàm in litteris confeſſionis Radberti Cenomanenſis apud Concilia Sirmondi annò Chriſti DCCCLXXII. vbi & peccata generatim tantùm recenſentur, & apud multos ſimul Epiſcopos fit confeſſio, & abſolutio deprecationis formulam habet.

De Modoini Præfectura Aruernenſi.

XCVIII. *Parti, quæ apud Clarum montem agit præſt Modoinus.*] Quo anno Chriſti obtigerit hæc Præfectura Modoino non eſt in promptu definire. Etſi enim ſatis conſtet non antè id factum, quàm Ludouicus Imperator Regnum Aquitaniæ in filium Carolum Caluum transferre ſtatuerit; tamen quia id ille aggreſſus eſt primùm anno DCCCXXXII. quo Pipinum filium Aquitanico Regno abdicauit, deinceps etiam poſt annum DCCCXXXVIII. quo Pipinus iam deceſſerat è viuis, ad hoc, an ad illud tempus pertinuerit hæc Præfectura, non eſt difficile diſcernere. Tota enim Lupi narratio indicat poſt Pipini mortem tributam eſſe hanc Modoino Præfecturam. Nam inprimis de eius Collega ſic loquitur, Gerardus Princeps quondam & carus Pipini Regis: quæ verba indicant deſiiſſe tunc eſſe Pipinum. Deinde id contigiſſe inſinuat cùm Ludouicus Epiſtolare officium in Palatio gereret. At Ludouicus id officij geſſit, Carolo Caluo Aquitania iam potiente poſt patris mortem, vt ex Tabulario Monaſterij S. Dionyſij, aliiſque Caroli chartis agnoſci poteſt. Ad hæc notat huius rei tempus. cùm Rex ab Aquitania ad Cariſiacum veniret octauo Kalendas Septembris; quod accipi non poteſt de Rege Ludouico Pio, qui poſt mortem Pipini Cariſiaci eſſe non potuit menſe Septembri, vt ex authore Pag. 80.

vitæ illius ſtationes, ac itinera ſigillatim ſublegente intelligitur, proinde accipi debet de Carolo Caluo, qui, vt ſcribit Nithardus libro ſecundo Hiſtoriæ, altero à morte patris anno iter accelerans ab Aquitania Cariſiacum venit. Quam ob rem non puto dubitandum eſſe, quin Aruernica hæc Modoini Præfectura referenda ſit ad annum Chriſti DCCCXL. qui Regno Caroli Calui poſt mortem patris initium dedit, atque, vt antè meritò mihi videor ſuſpicatus, eiuſdem Præfecturæ in Monaſterio Reomaenſi, vel primus, vel à primo non valdè remotus fuit.

IN BERNVM, SEV BERNARDVM Auguſtodunenſem item Epiſcopum.

Quando fuerit Epiſcopus.

Pag 90. XCIX. BERNARDVS *Auguſtodunenſis Epiſcopus.*] Berni, ſeu Bernonis nomen idem cum Bernardo fuiſſe ex eo docemur, quòd Bernonem Augienſem Bernardum etiam promiſcuè dictum, & eadem forma Niuonem, Niuardum, atque eodem modo alios videamus. Sed quodnam ſedis tempus habuerit apud Auguſtodunenſes hic Bernus, aut quam illa diu ſit potitus, ſatis ægrè conſtituitur. Sanè Lupus Ferratienſis epiſtola LXXXI. nihil aliud de illius Epiſcopatu profert, niſi Caroli Calui preces ad Amulum Lugdunenſem de conſecratione eius. Sed Catalogus Abbatum Reomaenſium ipſum planè Epiſcopum facit. An igitur Epiſcopus fuit proximè poſt Modoinum, quem vidimus ad annum DCCCXL. perueniſſe? Non opinor. Nam ſi viuebat adhuc anno DCCCLVI. quo eum præfuiſſe Reomaenſibus teſtatur Catalogus Abbatum, non poteſt illi Epiſcopatus obtigiſſe ab anno DCCCXL. cùm certum ſit eo interuallo alium Auguſtoduni Cathedram occupaſſe. Nam apud Claudium Robertum recitatur Præceptum Caroli Calui Alteo Auguſtodunenſi Epiſcopo conceſſum ad annum Chriſti DCCCXLIV. in quo ſit mentio Modoini fato ſuo iam defuncti. Itaque Bernus, qui poſt hunc annum fuit ſuperſtes, nondum Auguſtodunenſibus datus fuerat Epiſcopus, ne eum vel ſimul cum alio præfuiſſe, vel ceſſiſſe Epiſcopatu, quod rarò vel deiectum de gradu fuiſſe, quod non facilè fiebat, fateamur. Omninò ergo dicendum cenſeo Bernum præfuiſſe Auguſtodunenſibus poſt Alteum, qua paret interuallum ab anno octingenteſimo quadrageſimoquarto, ad octingenteſimum quinquageſimum tertium. Quo anno Ionas Auguſtoduni iam præſidebat, vt docent ſubſcriptiones Synodorum, quæ Sueſſioni & Vermeriis eo anno ſunt habitæ. Neque enim poſt ſedē Ionæ reiici poteſt quæ ad annum pertigit octingenteſimū ſexageſimum, cùm hæc epiſtola Lupi doceat eum à Carolo Caluo tunc nominatum

Eduenſibus Epiſcopum, cùm non tantùm illi, ſed etiam Cabilonenſes Epiſcopo carerent. At illam vtriuſque Eccleſiæ vacationem anno octingenteſimo quinquageſimo tertio priorem fuiſſe planè liquet, quandoquidem Godeſaldus, quem Cabilonenſibus Epiſcopum dedit Carolus Caluus, ſubſcriptus reperitur Synodo Sueſſionenſi tunc habitæ. Ex quo ſequitur Bernum quoque eadem epiſtola Amulo Lugdunenſi nominatum ac commendatum fuiſſe ante annum illum, meritóque conici poſſe excidiſſe numeri notam in Catalogo Abbatum Reomaenſium, vt pro DCCCXLVI. poneretur DCCCLVI.

IN LOTARIVM CAROLI CALVI FILIVM.

Lotarius an Monachus Reomaenſis fuerit.

C. LOTARIVM *claudum in Monaſterio ſancti Ioannis Clericum fieri iuſſit.*] Aut nullum, aut hodie ignotum Reomaenſibus fuiſſe Præfectum oportet ab anno Chriſti octingenteſimo quinquageſimo-tertio ad octingenteſimum ſexageſimum-primum, quo, vt teſtatur vetus hoc Chronicum, Carolus Calus filium ſuum Lotarium ipſis præfecit Abbatem. Sed an illum Monaſticæ vitæ ſimul deuouerit, video ambiguum eſſe apud aliquos, cùm nullæ, vt opinor, ſubſint ambiguitatis rationes. Nam disertè inprimis loquitur hoc Chronicum, Clericum fieri iuſſit, de Monacho ſine cauſa taciturum, ſi id quoque factus eſſet. Deinde Ado Viennenſis apertè ſcribit, Deo in Clericali habitu oblatos à Carolo filios duos, Lotarium & Carlomãnum. In quo Clericalem habitum, nec otioſè, nec alia, vt apparet, cauſa commemorat, niſi vt ne quis oblatos Deo audiens, Monaſtico amictos habitu ſuſpicaretur. Denique Carlomannus, cuius hoc loco par cauſa eſt cum Lotario non facilè frequentiori appellatione donatur ab Hiſtoricis, quàm Carlomanni Clerici, vel Diaconi, vel ab Eccleſiaſtica Religione Apoſtatæ. Neque verò vlla ei in Synodo, vel Attiniacenſi, vel Siluanectenſi violati Monaſtici ordinis nota eſt inuſta, ſed gradu tantùm Diaconatus fuit deiectus, laicâ illi communione ſeruatâ. Vnde intelligas Abbates illos regulares non fuiſſe, ſed commendatitio nomine Præfectos. Pag. 93.

Quâ ætate mortuus Lotarius.

CI. *Lotarium annis puerum, mente Philoſophum.*] Non eſt, vt opinor, apud alium authorem tam explicata deſcriptio rerum huius Lotarij, quàm apud Erricum, qui Monaſterij S. Germani Altiſiodorenſis Monachus, litterarum ſcientiâ inter primos illâ ætate floruit, vt opera de- Pag. 95.

vita S. Germani, & homiliæ plures, laudatoréſque eius Sigebertus & Trithemius teſtantur. Is ergo frequẽter in hac ſcriptione Lotarium nominat puerum, & tamen ea ex aduerſo illi tribuit, quæ puero non ſatis conueniunt, vt cùm illum mente Philoſophum, cùm ſolertiæ opibus, & animi indole præ cæteris ſui æui mortalibus precioſum, cùm diuini ingenij, atque erga rerum notitiam ſummè ſtudioſum, cùm propediem futurum in orbe mirabilem dicit. Quæ ſanè omnia inſinuant eum tunc progreſſus in litteris, & virtute feciſſe ſupra ætatem puerilem. Omninò verò annos illum pueritiæ, ac pubertatis exceſſiſſe, & robuſtiorem iam adoleſcentiam iniiſſe, cùm eſt morte præreptus, non ægrè demonſtratur. Etenim de matrimonio Caroli Calui cum Hirmentrude, ex quo procreatus eſt Lotarius, hæc ſcribit Nithardus libro quarto. Nuptiis quidem decimo-nono Kalendas Ianuarij expletis, Natale Domini ad S. Quintinum celebre peregit. *Et mox.* Idem verò partibus Aquitaniæ vnà cum coniuge anno DCCCXLIII. Incarnationis Domini in hyeme iter direxit. Ex quibus conſtat exeunte anno octingenteſimo quadrageſimo-ſecundo ductam à Carolo Caluo Hirmentrudem. Cùm ergo vetus Chronicon à Pipini cœptum temporibus, & Ado Viennenſis mortem Caroli Aquitaniæ Regis, & Lotarij Abbatis conſignent anno octingenteſimo ſexageſimo-ſexto, conficitur ad mortem Lotarij à Caroli inito coniugio annos fluxiſſe quatuor & viginti. Itaque licèt ponamus Lotarium natu minimum inter Hirmentrudis liberos fuiſſe tamen annos viginti natus eſſe potuit, cùm deceſſit. Sanè Carolus eius frater, qui eodem cum ipſo anno interiit, & biennio maior illo eſſe potuit, adeò tunc pollebat viribus, vt teſtetur Regino anno octingenteſimo ſeptuageſimo eum ſibi perniciem accerſiuiſſe, quòd Albuini fortiſſimi eius temporis Equitis ſpolia auferre pugnando ſit conatus. Quamobrem potuit Errici laudibus idonea etiam tunc eſſe ætas Lotarij.

IN HINCMARVM LAVDVNENSEM Epiſcopum.

Cur adminiſtratione interdictus ab Hincmaro Remenſi.

Pag 97. CII. ADMINISTRATIONEM *tibi*, &c. *ex ſacris regulis interdixi.*] Notum eſt adminiſtrationes publicas, quæ δημοσίαι διοικήσεις dicuntur, Epiſcopis, Clericiſque omnibus interdictas Canone Apoſtolorum octogeſimo-primo, & Ῥωμαϊκὴν ἀρχὴν, Præfecturam Romanam Canone octogeſimo-tertio. Sed his regulis nixum Hincmarum Remenſem, vt nepoti ſuo Laudunenſi Hincmaro adminiſtrationem interdiceret non exiſtimo. Scitum eſt enim eo tempore non plures,

quàm

quàm quinquaginta Canones Apoſtolorũ in Latina Eccleſia notos fuiſſe, nec Dionyſiũ Exiguũ his plures in ſuam collectionẽ ex Græco transfudiſse. Itaque veriſimilius eſt reſpexiſse illum ad Calcedonenſis Concilij Canonem tertium, in quo disertè inhibentur Epiſcopis, & Clericis, κοσμικαὶ διοικήσεις, ſæculares adminiſtrationes, aut ad Canonem eiuſdem Concilij ſeptimum, quo vetatur ne viri Eccleſiaſtici accedant, μήτε ἐπὶ στρατείαν μήτε ἀξίαν κοσμικὴν, nec ad militiam, nec ad ſæcularem dignitatem. Quanquam eò quoque conferre potuit Canonem quintum Apoſtolicum, in quo generatim vetitum Clericis, ne ſuſciperent κοσμικὰς φροντίδας, ſæculares curas. Quid tamen ſæcularis adminiſtrationis nomine ſit accipiendum, exemplis magis quàm certâ verborum finitione licet declarare. Itaque Concilium Calcedonenſe adminiſtratorum numero cenſet ἀλλοτρίων κτημάτων μισθωτὰς eos, qui alienas poſseſſiones mercede conducunt, πραγμάτων κοσμικῶν ἐργολάβους, qui negotia ſæcularia tranſigenda ſuſcipiunt, οὐσιῶν χειρισμοὺς, bonorum gubernationes. Collectio verò Synodorum Cartaginenſium, quâ vtuntur Græci addit, ἐκλήπτορας, καὶ φροντιστὰς, actores & procuratores. Pſeudoſynodus Photiana, quæ dicitur prima & ſecunda, eò prætereà annumerat, ἐν οἴκοις τῶν ἀρχόντων κουρατωρείας, in domibus Magnatum curationes, Michaël Patriarcha in Edicto, πρακτορικὰς ἐνεργείας, quæ vertunt aliqui Exactorum munera.

Querelæ Hincmari Remenſis, & qua fuerit.

Abbatia donatus Hincmarus Laudunenſis à Carolo Caluo.

CIII. *Contra Sardicenſes Canones eandem adminiſtrationem cum Abbatia in tertia Prouincia, vltra Remenſem Prouinciam, ſine mea conſcientia obtinuiſti.*] Violatos Canones Sardicenſes ab Hincmaro Laudunenſi compluribus in rebus, non tamen in his omnibus, quæ hîc alter Hincmarus quæritur, conſtare videtur. Quòd enim Principis aulam adiens, ſibi adminiſtrationem parari, id viderit poteſt factum contra Canonem ſeptimum Sardicenſem, quo vetantur Epiſcopi Comitatum adire, vt dignitates ſæculares, & adminiſtrationes, κοσμικὰ ἀξιώματα, καὶ πράξεις, cuipiam comparent. Quod etiam ſine ſua conſcientia quæſitam illam adminiſtrationem aſſerit, in eo quoque violatum Canonem octauum Sardicenſem meritò iudicat. Vetitum quippe illic fuit, ne Comitatui Principis ſuas preces allegaret Epiſcopus, niſi eas priùs ad Metropolitanum mitteret, vt commendatitiis, illius litteris iuuarentur. Ad hæc, quòd ſine ſua licentia ad Abbatiam extra Prouinciam quoties placuit illum perrexiſſe, & quandiu placuit illic hæſiſſe queritur, fuit id quoq; Sardicenſi Concilio contrariũ, quod & Canone tertio vetabat, ne Epiſcopus de Prouincia in Prouinciã tranſiret, niſi inuitatus, & Canone Pag. 98.

vndecimo abeſſe illum ab Eccleſia ſua pluſquam tribus hebdomadis non ſinebat. At verò, nec Sardicenſibus, opinor, nec aliis Canonibus aduerſum erat, quòd Abbatiam in aliena Prouincia à Rege nactus eſſet. Erat enim per hæc tempora res exempli vulgati, vt vnius Prouinciæ Clerici, ac Monachi obtinerent in aliis Monaſteria. Sic Lupus Ferrarienſis Senonum Prouincialis, Monaſterium S. Iodoci in Belgica, Modoinus, & Bernus Eduenſes Monaſterium, vt diximus, Reomaenſe, in Epiſcopatu Lingonico, aliúque alia eiuſdem generis poſſedere. Sed enim quo ſenſu dixerit Hincmarus Remenſis obtinuiſſe nepotem ſuum Abbatiam in tertia Prouincia, vltra Remenſem, difficile eſſet intelligere abſque Catalogo veteri Abbatum Reomaenſium, in quo diſertè ponitur Hincmarum Lugdunenſem ei Monaſterio his temporibus Caroli Calui præfuiſſe. Nam præter Hincmarum Remenſem nullus eo tempore Hincmarus Epiſcopus vixit, niſi qui Lauduno, ſeu Lugduno Clauato præſidebat. Itaque ambigendum non eſt, quin tertia Prouincia poſt Remenſem intelligatur ea, in qua ſitum eſt Reomaenſe Monaſterium, ſcilicet Lugdunenſis prima. Ea verò, vt opinor, dicta eſt hoc loco tertia, reſpectu Remenſis, non ſanè dignitatis ordine, quo illi erat ſi non prior, certè non poſterior; ſed ordine itineris à Lugduno Clauato, ſeu Ciuitate Remenſi ad Monaſterium Reomaenſe. Rectum enim iter erat, vt Remenſi primo, Senonenſi ſecundo, ac Lugdunenſi tertio loco tranſiretur. Quamobrem propriè dixit Hincmarus Prouinciam tertiam, non poſt Remenſem, ſed vltra Remenſem.

Quando & quibus ex cauſis Præfectura Reomaenſi deiectus Hincmarus Lugdunenſis.

Pag. 98. CIV. *Vt & adminiſtrationem Palatinam & ipſam Abbatiam tibi auferret.*] Duos intra quadriennium moleſtiſſimos Abbates pertulit Reomaenſe Monaſterium, Hincmarum, & Carlomannum. Nam cùm Lotarius eſſe deſierit anno DCCCLXV. eúmque exceperit Hincmarus, & hunc Carlomannus, qui teſte Aimoino pulſus eſt Præfectura anno DCCCLXX. non poteſt his duobus Lotarij ſucceſſoribus pluſquam quinquennium Præfecturæ attribui, quòd ſi æquis portionibus inter vtrumque diſtribuerimus, puto, nec ab Hincmari Remenſis, nec ab Aimoini narrationibus erimus alieni. Cur verò Hincmaro tam citò, támque ſine venia abrogata fuerit Præfectura, cauſas prodit alter Hincmarus ſanè grauiſſimas, quòd in Regis offenſionem incurrerit, ob inſignem animi peruicaciam, quòd excommunicationem Regi, ac Primoribus aliquot, qui ipſi non eſſent ſubditi intentarit, quòd à Rege vocatus ad Comitatum venire neglexerit, quòd à Rege duci in carcerem ad breue tempus iuſſus in vltionẽ iniuriæ ſuæ totã Diœceſim ſuam non ſacramentis tantùm aliis, ſed etiam Baptiſmo, quamuis vrgeret mortis periculum, inter-

dixerit, mortuóſque ſepultura prohibuerit, quòd res proprietatis Regiæ inuaſerit, quòd virum quendam Normannum nomine armatâ manu bonis eiecerit, quæ Regis iuſſu, & ipſius conceſſu poſſidebat; quòd ſuos ſubditos beneficiis ritè priùs attributis nulla ex culpa deturbarit; quòd iuramenta Regi data violarit. Hæc & ſimilia recitat Hincmarus ſenior in volumine contra hunc iuniorem Hincmarum, apud Flodoardum libro III. cap. XXI.

Quis poſt hanc deiectionem Hincmari finis.

CV. *Tranſmiſſus ſum in exilium.*] Exulceratis ſemel Caroli Regis, & Hincmari Laudunenſis animis nulla fuit quies, niſi per Hincmari perniciem. Itaque anno DCCCLXIX. qui proximus fuit, vt opinor, ab eius deiectione, cùm de iis quæ ſuprà dixi, accuſaretur in Synodo apud Vermeriã appellauit ad Pontificem, & Hincmaro Remenſi Archiepiſcopo ſuo ſe deinceps obedire non poſſe eſt proteſtatus. Tum anno DCCCLXX. in altera Synodo apud Attiniacum, vt refert Aimoinus, Regi ſimul, & patruo reconciliatus ſcripto eſt profeſſus velle ſe ei ſubeſſe, vt Epiſcopum par eſt ſuo Archiepiſcopo eſſe obſequentem. Sed recrudeſcente ſubinde diſſidio inter ipſum & Regem, atque Archiepiſcopum habita eſt apud Duziacum Synodus anno DCCCLXXI. in qua Epiſcoporum ſententiis eſt depoſitus, mox carcere ad biennium concluſus, & ad extremum fuit excæcatus. Diſplicuit Adriano Pontifici ea depoſitio, qui vetuit alium illi ſubrogari, donec iudicium Synodi Romæ retractaretur. Atque viguit hoc interdictum vſque ad annum DCCCLXXVI. quo Carolus Caluus imperio potitus obtinuit, vt eius in locum conſecrare liceret Lauduni Hedenulfum Ioanne octauo præceſſoris interdictum abrogante. Venit deinceps idem Pontifex in Galliam, Synodúmque celeberrimam Tricaſſibus coegit, in qua auditus Hincmarus cæcus, iuſſus eſt anno DCCCLXXVIII. reſtitui poſtliminio in partem facultatum Epiſcopatus Laudunenſis, Hedenulfo nihilo ſeciùs parte altera potiente. Fuit hic rerum Hincmari ſtatus circiter triennium, quo exacto conceſſit in fata Ludouico, & Carlomanno Franciæ Regnum obtinentibus, vt Hincmarus patruus, qui illi fuit ſuperſtes, ad Hugonem Abbatem ſcribit apud Flodoardum, quod incidere debuit in annum DCCCLXXXI. vel ſequentem. Nam Ludouicus eo tantùm biennio rerum eſt potitus. Pag. 101.

IN CARLOMANVM CAROLI Calui filium.

De Carlomani Clericatu & Præfectura Reomaenſi.

Pag. 103. CVI. CVM *adhuc eſſet puerulus, iuſſu Patris attonſus.*] Condunt authores huc congeſti elogium non commendationis; ſed condemnationis, ſiue præpoſteræ in Carolo Caluo violentiæ, ſiue præfractæ in Carlomanno filio deſperationis: nam & ille dum grandioribus natu filiis ſtudet, imprudenter atque iniuſtè minorem ad Clericatum adegit, & iſte paternam violentiam deſperatiſſimâ nequitiâ vlciſci vſque ad mortem contendit. Sed non ante hanc furoris ſui tragœdiam videtur exorſus, quàm fratres ſuos Carolum & Lotarium vita functos vidit. Nam anno octingenteſimo quadrageſimo-quinto vel ſexto genitus, vt ex Nitardo colligitur], attonſus ſubinde fuit puerulus circa ſeptimum, vt probabile eſt, ætatis annum, aut omninò ante pubertatem, vt de iis, qui in infantia Clerici fiebant Siricius, & Zozimus anteà ſanxerant. Progreſſu temporis factus eſt Diaconus, ſed vt Regino ſcribit, inuitus, & paternâ præſentiâ coactus in prouincia quidem Senonenſi, vt teſtatur Aimoinus lib. v. cap. xxvi. ſed in Eccleſia Meldenſi, vt declarat annunciatio Caroli patris, ad Synodum Siluanectenſem ordinante eum Hildegario Epiſcopo Meldenſi, vt eſt apud Flodoardum lib. III. capite XXVI. Factum id, vt arbitror, ante annum DCCCLXIX. quo donatus videtur Præfectura Reomaenſi, Hincmaro iam, vt diximus, inde expulſo. Nam ànno conſequente inſidiarum in patrem ſuſpectus, eâ Præfecturâ deiectus eſt in Synodo apud Attiniacum, quo tempore vulgò ab Hiſtoricis Diaconus iam appellatur. Fluxerat tunc à morte fratrum quinquennium, à qua morte, cùm altiores ſumpſiſſet ſpiritus, ac dignitates, vitámque Eccleſiaſticam deſpiceret, ad omne ſibi facinus viam apetuit. Inſidiatus enim patri, ac detectus eo, quo dixi anno, Præfecturis Monaſteriorum, ac libertate priuatus Siluanecti cuſtoditus eſt. Inde Legatorum Adriani Pontificis interuentu libertati reſtitutus, & à patris latere abſcedere vetitus, tamen eodem anno in Belgicam fugit, totámque regionem latrociniis, ac deprædationibus eſt populatus.

De exitu Carlomanni.

Pag 105. CVII. *Carolus autem iudicium quærens.*] Anno octingenteſimo ſeptuageſimo-primo queſtus Carolus apud Epiſcopos Belgij de iis, qui filio ſuo perduellionis authores, & adiutores fuerant, obtinuit, vt excom-

municarentur, & litteris Epiſcoporum Encyclicis eorum damnatio vulgaretur. Contra Carlomannum nihil obtinuit, quòd non in Belgica, ſed in Senonenſi Prouincia Clericus eſſet. Hinc admonitus eſt Carlomannus inſtrui contra ſe accuſationem à patre apud Epiſcopos ſuæ Prouinciæ, quæ res illum compulit, vt ad Pontificem confugeret. Hic verò, neſcio vnde Carolo Caluo haud ſatis æquus anno iam dicto III. Idus Iulij, Indictione IV. tres in Galliam litteras dedit, vnas ad Carolum ipſum Regem, quibus eum vehementiſſimè increpat ob filij inſectationem, alteras ad Regni Proceres, quibus excommunicationem & anathema comminatur, ſi arma aduerſus Carlomannum acceperint: tertias quibus interdicit Epiſcopis, ne Carlomanno excommunicationem intentent, donec cauſa eius Romæ expendatur, ſi ſecus fecerint nullius eam roboris fore decernit. Nihilo tamen ſeciùs anno octingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, cùm rebus humanis ceſſiſſet Adrianus, & Ioannes octauus Carolo Caluo addictior Romana Sede potiretur, Carlomannus, poſt longum Hincmari Remenſis tractatum de ineunda cum patre cōciliatione, cùm nec illi, nec patri dicto audiens eſſet, nec à Regni vaſtitate ceſſaret, vt ſcribit Flodoardus lib. III. cap. XVIII. comprehenſus eſt, & Siluanectum reductus in cuſtodiam. Tum anno octingenteſimo ſeptuageſimo tertio congregata Siluanecti, vbi Carlomannus erat, Synodus Epiſcoporum totius Regni, vt ait Flodoardus, depoſuit eum ab omni gradu Eccleſiaſtico, laïcâ illi communione ſeruatâ, vt Aimoinus & alij aſſeuerant. Eodem anno in ſæculari iudicio, ob atrocia crimina mortis reus iudicatus, patre ſententiam mitigante, oculis eſt orbatus, vt idem Aimoinus & alij tradunt. Inde in Corbeienſe Monaſterium relegatus, ab iis qui criminum eius fuerant participes, conſpirantibus Monachis duobus, abductus eſt ad Ludouicum Germaniæ Regem, qui mox coactus ad bellum contra Vinidos proficiſci, eum Luitberto Archiepiſcopo alendum in Monaſterio S. Albani Moguntiæ tradidit. Quandiu illic ſit moratus non liquet, illud tantùm ex Reginone ſcitum eſt Ludouicum illi poſteà donaſſe Monaſterium Epternacum. Quod factum oportuit ante annum DCCCLXXVI. cùm eo anno defierit eſſe Ludouicus, vt ſcribit Aimoinus libro V. cap. XXXIV. Non multò poſt Monaſterij donationem mortuum ac ſepultum Epternaci Carlomannum, addit Regino; ſed Bruſchius in Monaſteriis, Germaniæ ſeptem annis eum præfuiſſe illi Monaſterio, eiúmque Præfecturam anno DCCCLXXI. affirmauit; quod ſtare non poſſe perſpicuum eſt, cùm eo anno nec eſſet damnatus adhuc, nec cæcatus, nec ad Ludouicum profectus.

IN SANCTVM MAIOLVM.

De ortu eius.

Pag. 113 CVIII. REGIONIS *quæ Prouincia nuncupatur.*] Vnus eſt eorũ, qui de S. Maioli natali ſolo diſſeruerunt conſenſus ortu illum fuiſſe Gallum, qua parte deuexæ ab Italia Alpes in ſecundam Narbonenſem Prouinciam tenduntur. Id enim ſignificat S. Odilo in appendice ad eius vitam. Sed quænam illius tractus ciuitas, aut oppidum illius fuerit natalibus illuſtratum, ambiguum fecit authoris non antiqui opinio. Is eſt Franciſcus de Riuo, qui haud multò ante noſtram memoriam Cluniacenſe Chronicum eſt molitus, ac S. Maiolum nullo, quod ſciam, antiquiore nixus monimento Valentiola ſecundæ Narbonenſis oppidulo ortum ſcribit, eâ, vt opinor, ductus coniecturâ, quòd ditione Cluniacenſis Monaſterij id oppidum hactenùs habeatur. Sed nemo eſt, qui non plus eſſe fidei cenſeat antiquo Siluiniacenſis Monaſterij, in quo S. Maiolus iacet, ſcriptori, quamuis anonymo, quàm ei, qui tanto pòſt interuallo res eius ex coniectura, aut pereunte memoria collegit. Is enim ſcriptor antiquus eum oppidanorum Auennicorum alumnum fuiſſe teſtatur. Quanquam illud quoque fieri potuiſſe video, vt alibi genitus Auenione munitiſſimâ vrbe, ob Sarracenorum, de qua mox dicam, incurſionem, ſit alitus. Vteúnque autem habuerit hic ortus eius, illud planè liquet ſtirpem illi fuiſſe nobiliſſimam. Nam quod ſanctus Odilo dixit præclaro illum ſtemmate ortum, ac nobililibus parentibus, id explicatiùs aſſerit authot anonymus his verbis. Gallicanâ generoſitate conſpicuus, patre Fulcherio procreatus nobilis parentelæ, germen eluxit nobilius. Vbi eius nobilitas dicitur, vt opinor, Gallicana, vt à Francica diſtinguatur, quaſi inſinuetur Romanis olim honoribus illuſtres fuiſſe illius Maiores. Quæ erat tunc in Gallia nobilitatis ratio ſuprema.

De incurſu Sarracenorum, quo S. Maiolus Matiſconem pulſus.

Pag. 114. CIX. *Gens enim Sarracenorum ſuis finibus exiliens Prouinciam præoccupauit.*] Non alius videtur huc pertinere poſſe Sarracenorum incurſus, quàm qui cepit anno Chriſti DCCCXCI. vt Luitprandus, Sigebertus, & alij tradunt, atque ad octoginta deinceps & ampliùs annos eſt propagatus. Eius initia ſic enarrat Luitprandus lib. 1. cap. 1. Occulto, inquit, & quia ſecus eſſe non poteſt, iuſto Dei iudicio viginti tantùm Sarraceni lintre parua ex Hiſpania egreſſi nolentes iſtuc (id eſt Fraxinetum, quod in Italicorum, Prouincialiũmque confinio ſtare manifeſtum eſt) vento de-

lati ſunt. Qui Piratæ noctu egreſſi, villámque clam ingreſſi Chriſticolas, proh dolor, iugulant, locúmque ſibi proprium vendicant, montémque Maurum villulæ cohærentem contra vicinas gentes refugium parant, ſpineam ſiluam hoc pacto maiorem, & ſpiſſiorem ſua pro tuitione facientes, vt ſi quis ex ea, vel ramum incideret mucronis percuſſione hominem exiret: ſicque factum eſt, vt omnis præterquam vnius anguſtiſſimæ viæ aditus, demeretur. Loci igitur aſperitate confiſi vicinas gentes circunquaque perluſtrant, accerſitum complures in Hiſpaniam nuncios dirigunt, locum laudant, vicináſque gentes nihili ſe habere promittunt, centum denique tantummodò Sarracenos ſecum mox reducunt, qui veram rei huius caperent aſſertionem. Intereà Prouincialium, qui illic conſederant vicinorum inuidia cepit intra ſe diſſidere, alius alium iugulare, ſubſtantiam rapere, & quidquid mali excogitari poterat facere. Sed quia pars partem, vt inuidia & dolor poſtularant, ſatis ſibi ſubigere non poterant, hos quos prædiximus Sarracenos, non minùs callidos, quàm perfidos, in auxilium rogant; cúmque his ſibi proximum quiſque conterit, nec iuuat ſolummodò proximum trucidare, verùm etiam terram fructiferam in ſolitudinem reddere. Hæc recito paulò fuſiùs, tum vt Sarracenici huius incurſus cognitio ſit apertior, tum vt ratio appareat, cur S. Maiolus, fundis paternis relictis, vt aſſerit hic author, Burgundiam ingreſſus Mariſconenſem applicuerit vrbem. Vaſtitatem enim illis fundis intuliſſe oportuit Sarracenorum viciniam, cùm Fraxinetum eſſet in Alpibus ſitum, vt ſcribit Luitprandus lib. III. cap. XI. & Glaber lib. I. capite IV. eæque Alpes aut maritimæ eſſent, aut illis confines. Etenim vt eò perueniſſe nauigio Sarracenos aſſeruit ſuprà Luitprandus Ita lib. V. cap. VI. tradit Hugonem Imperatorem claſſem Sarracenicam ope Græcarum nauium concremaſſe, ne obſeſſo Fraxineto commeatum inferret. Vt non abſurda videatur Sigonij coniectura. qui illud in extremis Alpibus Cottiis, qua maritimis iungnntur, collocat, quo loco hodiéque eſt oppidulum Fraxinum haud multùm à mari diſſitum. Itaque ex hac quaſi arce imperij in vicina excurrentes Sarraceni cladem fundis & domibus tum aliorum, tum S. Maioli intulerunt, quæ illum alio commigrare, & quam in patria ægrè tutabatur Matiſcone, & Cluniaci ſalutem conſtituere coegerit. Rependit tamen poſteà & Sarracenis vicem, & toti illi Prouinciæ tractui ſecuritatem. Nam cùm Sarraceni diffusâ latiùs dominatione cuncta occupaſſent vſque ad Alpes Peninas, vt S Odilo tradit, in vita Maioli, eſſétque iam formidabilis, ac vicinis omnibus pernicioſa eorum potentia, egit S. Maiolus apud Guillelmum Rectorem Prouinciæ, & Comitem Arelarenſem, vt Sarracenos eo tractu pelleret, ac præſidia, perfugiáque eorum funditùs euerteret. Id excidium cùm facilè perſuaſum Guillelmo eſſet, deſiit Sarracenorum illa vexatio, vt Glaber ſcribit, ad mortem Ottonis magni, quæ contigit anno DCCCCLXXIII. cùm annis ferè octogenis graſſata eſſet.

De Lugdunenſibus ſtudiis ſancti Maioli.

Pag 115. CX. *Auditâ cuiuſdam Antonij opinione, qui Lugdunenſes ſcholas regebat.* Sapienter cenſuit ſanctus Maiolus miſeram eſſe viri Canonici; qualem Epiſcopus eum conſtituerat, vitam quæ ſine literis eſſet, ideóque magiſtrum ſibi Philoſophiæ expetiit Antonium Lugdunenſium Scholarum Rectorem, ratus non poſſe illum non eminere ſcientiâ, qui Scholis & antiquiſſimis & celeberrimis Præfectus eſſet. Apud hanc vrbem, inquit S. Odilo, Philoſophiæ nutricem, & quæ totius Galliæ ex antiquo more & Eccleſiaſtico iure non immeritò retineret arcem Antonium virum eruditum, & prudentem in liberalibus ſtudiis habere voluit Præceptorem. Lugdunum Philoſophiæ matrem, cur vocet obſcurum eſſe cuipiam poſſit, niſi lucem mutuetur ex Erico Autiſiodorenſi lib. 1. Miraculorum S. Germani, quem habeo ſcriptum manu. Sic enim diſſerit in Prologo de temporibus Conſtantij Lugdunenſis, qui ſancti Patientis Archiepiſcopi iuſſu vitam S. Germani conſcripſit. Eâ, inquit, tempeſtate Lugdunenſium ciuitas prima, ac præcipua Galliarum profeſſione quoque ſcientiæ, artiúmque diſciplina inter omnes extulerat caput. Offenſa namque ſapientia, quæ propter ſeipſam tantùm appetenda eſt, quorundam lucris turpibus, multorum indiſciplinatâ vitâ, omnium poſtremo tepidè ſe appetentium inhoneſtâ deſidiâ, præceptorum inopiâ intercedente, priorúmque ſtudiis penè collapſis, huius noſtræ exitialiter peroſa regionis, Lugduni ſibi aliquandiu familiare conſiſtorium collocauit. Ibi, quas dicunt, liberalium diſciplinarum peritia, quáſque ordine currere hoc tempore fabula tantùm eſt, eò vſque conualuit, vt quantum ad Scholas publicum appellaretur citramarini orbis Gymnaſium. Et vt aliquid rationis afferre videar, eo id argumento colligimus, quòd quiſquis artium profitendarum afficeretur ſtudio, non antè Profeſſis inſcribi merebatur, quàm hinc exploratâ diligentiâ examinatus abiret. Ex his puto eſt manifeſtum Lugdunenſes illas Scholas immeritò à nonnullis municipales appellatas, cùm Vniuerſitatum, ſeu generalium ſtudiorum formam nullæ olim habuerint expreſſiorem, meritóque dici poſſit ex eis deriuatam, quàm nunc in aliis videmus diſciplinam. Sanè quòd Ericus hic aſſerit non ante quemquam aſcribi inter Profeſſos meruiſſe, quàm Lugduni eſſet examinatus, id ſuam adhuc vim retinebat anno Chriſti cIↄcccxc. quo litem inter Archiepiſcopum, & Canonicos motam vtri Doctoribus, facultatem interpretandi publicè iuris dare deberent, refert ex vetuſtis Actis Andreas du Cheſne in notis Bibliothecæ Cluniacenſis. Cúmque ſit vulgò in confeſſo Lugdunenſium Scholarum iura ad Bituricenſes Regiâ conceſſione tranſlata circa annum cIↄcccclxiii. non alia illa eſſe oportuit, quàm fuere deinceps Bituricenſium, niſi quòd horum recentior origo, illorum memoria à longinqua antiquitate fuerit repetita.

Quan-

Quandiu præfuerit S. Maiolus Cluniacenſibus & Reomaenſibus.

CXI. *Ad meliorem ſtatum reducta.*] Multa à ſancto Maiolo de nouo
condita Monaſteria tradunt authores, ſed plura meliùs conſtituta, in qui- Pag. 116.
bus præter Cluniacenſe, cui præcipuè incubuit, fuere etiam Turonenſe,
Foſſatenſe, Benignianum, Reomaenſe, & alia. De cæteris nihil attinet
hoc loco dicere. De Cluniacenſi, & Reomaenſi illud tantùm libet diſcu-
tere, quam diuturna illorum potitus ſit Præfectura. Non eſt enim inpri-
mis ſatis conſtitutum de Cluniacenſi, ob diuerſiſſimas authorum tradi-
tiones: nam apud Sigebertum Præfecturam Cluniacenſem iniit Maio-
lus anno DCCCCXLIII. & apud Lambertum Schaſnaburgenſem deceſſit
vita & Præfectura anno DCCCCXCV. ex quibus eſſet conſequens geſſiſſe il-
lum Præfecturam annis duobus & quinquaginta. E contra verò Chro-
nicum Cluniacenſe breuius, initia Præfecturæ Maioli collocat ad annum
DCCCCLIV. finem autem ad DCCCCXCIV. interiecto annorum tantùm qua-
draginta interuallo. Sed facilè doceri poteſt S. Maiolum anno nongen-
teſimo quinquageſimo ſecundo ſuſcepiſſe Præfecturam Cluniacenſem,
eámque ad annum DCCCCXCII. prorogaſſe. Nam inprimis extat Præce-
ptum Regis Ludouici, qui dictus eſt Tranſmarinus, datum Aymarò præ-
ceſſori ſancti Maioli anno decimo-quinto Regni ipſius, qui ex Chronico
Flodoardi incidit in Chriſti nongenteſimum quinquageſimum-primum.
Cùm itaque S. Maiolus eo anno nondum eſſet Abbas Cluniaci, perſpi-
cuum eſt Sigebertum eius initia annis minimùm octo anteuertiſſe. Ad
hæc cùm Flodoardus ibidem tradat Odonem Aimari præceſſorem vita
ceſſiſſe anno DCCCCXLII. & ex Chronico Cluniacenſi, aliiſque Authoribus
conſtet Aimarum decennio præfuiſſe, perſpicuum eſt initia Maioli, qui
illum excepit, conuenire cum anno nongenteſimo quinquageſimo-ſe-
cundo: ideóque ea biennio tardiùs quàm par erat, in Chronico Clunia-
cenſi collocata fuiſſe. Iam ſi eò addas annos quadraginta, quibus fatetur
id Chronicum illum præfuiſſe, ſequitur finem illi aſſignandum nongen-
teſimo nonageſimo-ſecundo. Sanè Petrus Damiani huic calculo egregiè
aſtipulatur. Nam de morte Odilonis hæc tradit. Anno Dominicæ Incar-
nationis CIↃXLVIII. ætatis autem ſuæ octogeſimo ſeptimo, ordinationis
etiam quinquageſimo ſexto eâ nocte, quæ Dominicæ Circunciſionis ſo-
lemnia præcedebat ſalutaris Euchariſtiæ Sacramenta percepit, ſicque
beatum Deo ſpiritum reddidit. In his ratiocinatio docet S. Maioli mor-
tem contigiſſe anno nongenteſimo nonageſimo-ſecundo. Nam ſi Odilo
excepit S. Maiolum, vt ſanè excepit, & anno pòſt quinquageſimo-ſexto
quàm illum exceperat functus eſt vita, vertente milleſimo quadrageſimo
octauo, perſpicuũ eſt S. Maiolum præceſſorẽ anno DCCCCXCII deceſſiſſe.
Iam Reomaenſem eius Præfecturam non fuiſſe diuturnam facilis eſt de-
monſtrationis. Non enim illam adiit ante ſuſceptum à Brunone Epiſco-
patum, nec Bruno eum ſuſcepit, niſi anno DCCCCLXXXI. ſed nec ſtatim ab

Epiſcopatu Brunonis illam adire potuit, cùm conſtet ex Chronico ſancti Benigni triennium inde fluxiſſe, vt minimum antequam Maiolo tribueret Bruno reſtaurandum S. Benigni Monaſterium, nec illum de reſtauratione cæterorum priùs egiſſe, quàm reflorentem iam apud Benignianum diſciplinam vidiſſet. Itaque coniicere licet vix ante nongenteſimum octogeſimum tertium, aut quartum Maiolo fuiſſe attributum Reomaenſe Monaſteriũ, eóque illum potiri potuiſſe vſque ad DCCCCXCII. qui illi fuit extremus.

IN GVILLELMI I. RERVM GESTARVM Librum primum.

De Authore libri primi.

Pag. 121. CXII. MONACHORVM *infimus Rodulfus.*] Docent hæc verba authorem huius operis fuiſſe Rodulfum, idque poſteà monuit Hugo Abbas Flauiniacenſis in Chronico. Eo, inquit, tempore præerat Eccleſiæ Diuionenſi Abbatis officio eximius Pater Vvillelmus, cuius geſta, qui ſcire voluerit, in libro vitæ eius à Rodulfo Monacho edito legere poteſt. Sed ne liceret ambigere quiſnam è multis eſſet hic Rodulfus Monachus operam dedit ipſe Author, qui in Hiſtoria Glabro Rodulfo inſcripta ſeipſum huius libelli authorem appellat. Sic enim lib. IV. cap. IV. Prænominatus Pater Monachorum, fundatórque Cœnobiorum eximius Vvillelmus, de quo etiam perplura forent dicenda vtilia, niſi quòd in libello, quem de vita & virtutibus illius edidimus prolata dudum fuiſſe noſcuntur. Deſcripſit hunc libellum Pater Iacobus Sirmondus ex veteri Codice Monaſterij Diuionenſis, nobíſque primùm euulgandum dedit.

De genere paterno Vvilelmi.

Pag. 121. CXIII. *Auus tamen eius Vibo nomine.*] Vvillelmum patre Italo, ſed auo Sueuo ortum tradit hoc loco Glaber, ex quo illud liquidò conficitur propinquitatem eius cum Otone Guillelmo Diuionenſi Comite, quæ his verbis notatur in Chronico S. Benigni, Otoni Guillelmo propinquitate coniunctus, non paternam fuiſſe, ſed maternam. Teſtatur enim Glaber lib. III. Hiſtoriæ cap. II. Otonem Guillelmum Adalberti Longobardorum Ducis filium fuiſſe, Adalbertum autem non à Sueuis, ſed à Longobardis antiquam duxiſſe generis ſeriem mox oſtendam. Itaque Vvilelmo auus paternus fuit Vibo Sueuus, quæ vox per hæc ſæcula nihil aliud indicabat, niſi Alamannum. Nam cùm olim fuſa latiſſimè eſſet Sueuorum

appellatio, tum aliquot ſæculis ante Vuillelmi ætatem arctata erat ad Alamannos ab Italia non plus diſſitos, quàm Rhetorum interiectu. Paulus Diaconus lib. II. cap. XV. Inter Liguriam, inquit, & Suauiam, hoc eſt Alamannorum patriam, quæ verſus Septentrionem eſt poſita, duæ Prouinciæ Rhetia prima & Rhetia ſecunda inter Alpes conſiſtunt. Et lib. III. cap. XVIII. Ex Sueuorum, inquit, hoc eſt Alamannorum genere oriundus. Itaq; ex iis gentibus prodierat Vibo, quæ tractu Conſtantienſi hodie aut continentur, aut attinentur. Vnum illi filium Robertum tribuit hoc loco Glaber, & huic quatuor cap. XIV. ſed Chronicum S. Benigni tres tantùm, quòd eorum vnus eo fortè tempore deceſſiſſet. Nomina trium vtroque loco hæc feruntur, Nitardus Comes, Gotefredus miles, Vuillelmus Monachus, quarti nomen nuſquam eſt, quod hactenùs ſcierim proditum.

De genere materno Vuillelmi.

CXIV. *Vxorem ex nobilioribus Longobardorum Perinzam nomine.*] Pag. 121.
Roberti qui Vuillelmum genuit coniugem Perinzam è nobilibus Longobardis deriuat hoc loco Glaber, nec eius genus, aut nobilitatem explicatiùs ediſſerit. Sed Chronicum S. Benigni nonnihil illi lucis affundit, dum Vuillelmum Otonis Comitis Diuionenſis propinquum facit. Hæc enim propinquitas conficere videtur matrem Vuillelmi eiuſdem cum Otone gentis cenſendam, cùm paterna non fuerit, ſed materna, vt docuimus. Itaque ſi perſpectum fuerit Otonis genus nulla ſupererit de Perinzæ genere dubitatio. Porrò Otonem Adalberti Longobardorum Ducis fuiſſe filium Glaber in Hiſtoria eſt teſtatus. Adalbertos autem per ea tempora plures commemorant Hiſtoriæ in Italia. Vnus fuit Tuſciæ Marchio, qui nec genere, nec dominatu erat Longobardus. Duo autem fuere Eporediæ, vel Marchiones, vel ab iis prognati, qui Longobardi erant dominatu, vtpote Eporedia potientes, atque, vt arbitror, etiam origine. Vnum eorum Anſcarij Marchionis Eporediæ filium facit Luitprandus, libro II. cap. X. cui filij fuere Berengarius ex Giſila Berengarij ſenioris filia, & Anſcarius ex Ermengarda Adalberti Tuſciæ Marchionis, vt idem tradit lib. V. cap. II. Rurſùm Berengario, qui Rex Italiæ, aut Dux authoritate Regiâ erat, alter Adalbertus ex Villa filia Boſonis Marchionis Tuſciæ filius fuit, qui Italiam cum Patre rexit, fortunâ admodum variâ. Sanè vnius ex his duobus filium eſſe oportuit Otonem Guillelmum Diuionenſem, cùm Longobardos huius nominis Duces, per ea tempora, plures non liceat inuenire. Ac temporis ratio poſtulat, vt poſterioris Adalberti filium potiùs dicamus fuiſſe, quàm prioris. Gerbergam Henrici primi Burgundiæ Ducis ſecundo matrimonio coniugem, Otonem ex Adalberto primo coniugio ſuſcepiſſe ſignificat Glaber his verbis lib. III. cap. II. Guillelmus, inquit, Henrici Ducis priuignus Adalberti Longo-

bardorum Ducis filius eidem Regi Roberto aliquando rebellis extitit. *Et mox.* Qui licet aduena, puer etiam furtiuè ſublatus è Longobardorum patria, matríque non mediocriter aſtutè per quendam Monachum redditus, in Burgundia in tantum conualuit, vt in diuitiis & in militia non inueniretur ſecundus in patria. Fragmentum Floriacenſe hanc ob cauſam nominat Gullelmum Captiuum Comitem Tranſagonanum. Sed Chronicum ſancti Benigni ſcrupuli quidpiam videtur iniicere, dum ſic loquitur. Dedit idem ipſe Comes Oto ſancto Benigno poteſtatem Viuarienſis Villæ pro anima Henrici Ducis, qui eum loco filij adoptauit, & pro anima genitricis ſuæ adoptiuæ Gerbergæ vxoris prædicti Ducis. Inſinuant enim hæc verba Otonem perinde filium factum Gerbergæ per adoptionem atque Henrico. Quod ſi eſt verum, alia ei mater quærenda erit, quàm Gerberga, quæ hactenùs non eſt ſatis comperta. Vtcunque autem res habeat, illud ex dictis liquidò conſtat Vvillelmum Abbatem maternâ ſtirpe fuiſſe nobiliſſimâ, quæ videlicet attineret ad Marchiones Eporediæ totius Italiæ Regno potitos, ſiue ſoror eorum fuerit, ſiue neptis, ſeu aliter cognata, quod non ſatis liquet.

Quo loco obſeſſus fuerit ab Otone I. Imperatore Robertus Vvillelmi pater, & Vvillelmus natus.

Pag. 112. CXV. *In loco vrbis Nouariæ.*] Narrat hic Glaber obſidionem Villæ vxoris Berengarij Regis Italiæ, ex qua orſus eſt Oto Magnus Imperator, Berengarium Regno expellere. Sed mirum eſt quòd ſcribit eam confugiſſe in quoddam caſtrum in loco vrbis Nouariæ, ibíque ab Otone obſeſſam. Non eſt enim apertus ſenſus illorum verborum, *in loco vrbis Nouariæ.* Et alioqui authores eius temporis ſcribunt eam ſe recepiſſe in inſulam S. Iulij, quæ medio in lacu ſita erat. Sic enim habet Regino anno DCCCCLXII. Villa in lacu maiori in quadam inſula, quæ dicitur ad S. Iulium ſe incluſit. Quæ perſpicuè docent legendum apud Glabrum in lacu vrbis Nouariæ, non in loco vrbis Nouariæ. Quis verò eſſet is lacus explicuit Regino, maiorem Lacum appellans, quod nomen hodiéque tribuitur lacui Verbano, quem Ticinus fluuius permeat. Cæterùm illius inſulæ S. Iulij (in cuius caſtro villa erat, & Robertus Vvillelmi Abbatis pater præſidio præerat, atque obſidenti Otoni, non tantùm armis, ſed multò magis fide erga Regem ſuum obſiſtebat) ſitus ac poſitio declaratur in Præcepto eiuſdem Otonis Nouarienſi Eccleſiæ poſt caſtri expugnationem conceſſo, quod ſic concluditur. Actum in villa Horta propè lacum eiuſdem S. Iulij feliciter. Cùm ergo villa Horta nomen dederit minori lacui ad ſiniſtrum latus maioris ſito, conſequens eſſe videtur inſulam & caſtellum S. Iulij, quæ propè ab illa abfuere eodem etiam latere collocanda. Quæ cauſa fuit, vt lacus etiam maior eo latere, lacus ſancti Iulij diceretur, quod vides in verbis citatis. Sed quid eſt quod Gla-

ber lacum etiam vrbis Nouariæ nominat? nempe quia & in Diœceſi, & in dominatu Eccleſiæ Nouarienſis erat, tam caſtellum, quàm inſula ſancti Iulij. Oto id teſtatur in Præcepto ſuo. Quoddam, inquit, caſtellum, videlicet ad inſulam S. Iulij iamdudum per Berengarium Regem ab Epiſcopatu Nouarienſi ſublatam, & ſibi vſurpatam, necnon contra nos in rebellionem poſitam. Hoc fuit natale Vuillelmo Abbati Reomaenſi ſolùm, in quo ille vidit lucem anno DCCCLXII. inter menſem Iunium & Augustum. Natus enim eſt dum obſeſſum eſſet caſtrum, & obſidio, vt ait Regino, non plenis duobus menſibus durauit, finitáque eſt, vt præceptum Otonis citatum teſtatur, ante IV. Kalendas Auguſti.

Vuillelmus ſuſceptore Otone fit catechumenus, mox ſuſceptrice Adelaide baptizatur.

CXVI. *Catechumenum fieri per manum Imperialem præciperet.*] Expreſſa hîc habes veſtigia veterum rituum, quos etiamnum illo æuo in puerorum Baptiſmo retinebat ex antiquitate Eccleſia, quamuis eos iuſtis poſteà ex cauſis prætermiſſos eſſe voluerit. Primò enim quòd audis Robertum Vuillelmi patrem ſuggeſſiſſe Otoni, vt filium ſuum Catechumenum fieri per manum Imperialem præciperet, id videlicet ex more antiquo manabat, quo vel adulti ſibi ipſis, vel parentes pueris ſuſceptores Catechiſmi cauſa ambiebant. Quem morem inſinuat S. Dionyſius Eccleſiaſticæ Hierarchiæ cap. II. πείθει μὲν αὐτὸν ἡγήσασθαι αὐτῷ τῆς ἐπὶ τὸν ἱεράρχην ὁδοῦ, perſuadet ipſi, vt ducat illum in viam, quâ itur ad Pontificem. Illa enim perſuaſio eius, qui baptizandus erat ductori ſuo adhibita, hæc ipſa ſuggeſtio eſt, quâ hoc loco vſus Robertus. S. Maximus in Scholiis eius capitis hanc ob cauſam ſic deſcribit ſuſceptorem Catechumeni, τὸν αἰτηθέντα ἀναδέξασθαι, eum qui rogatus eſt, vt ſuſcipiat, & Paraphraſis Pachymeræ ſic inquit, ζητήσας ἀνάδοχον καὶ εὑρὼν πείθει αὐτὸν, quærens ſuſceptorem, & inueniens perſuadet illi. Secundò, quòd audis Catechumeno faciendo ſuſceptorem adeſſe, id etiam ab antiquitate defluxit. Nam in ordine Romano denunciationis ſcrutinij hebdomada tertia Quadrageſimæ, dum Catechumeni inſtituuntur, adſunt illis perpetuò ſuſceptores. Quartâ, inquit, feriâ, horâ tertiâ ſcribantur nomina infantum, vel eorum qui eos ſuſcepturi ſunt, & Diaconus clamet dicens, *Catechumeni procedant.* Et infrà, *Signent*, inquit, *infantes Patrini & Matrinæ cum pollicibus ſuis.* Qui ritus ad omnes ferè actiones, quibus ſubinde ſacrantur Catechumeni, repeti iubetur. Sed perſpicuum eſt cum primis Canon ſeu Igini, ſeu Eugenij Papæ ad Gratianum de conſecratione diſtinct. IV. cap. centeſimo. In Catechiſmo, inquit, & in Baptiſmo, & in Confirmatione vnus poteſt patrinus fieri, ſi neceſſitas cogit. Non eſt tamen conſuetudo Romana, ſed per ſingulos ſinguli ſuſcipiunt. Tertiò, quòd audis Otonem propriâ dextrâ puerum ſuſtuliſſe, moris id quoque anti- Pag. 122.

qui fuit. Ordo Romanus Sabbati ſancti. Ordinantur, inquit, per ordinem, ſicut ſcripti ſunt in circuitu. Et infantes quidem in brachiis dextris tenentur, maiores verò pedem ponunt ſuper pedem patrini ſui. Quartò, quòd Vuillelmi nomen ei ab Ottone impoſitum, dum catechumenis eſſet accenſendus, fuit olim etiam in vſu. Iubebantur enim inſcribi tabulis publicis nomina, non ſolùm ſuſceptorum, ſed etiam infantium, qua primùm die offerebantur Epiſcopis, aut Presbyteris, vt ad Baptiſmum pararentur. S. Dionyſius capite II. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, id vocat ἀπογραφὴν, & ordo Romanus iam citatus quarta feria tertiæ hebdomadæ id fieri iubet, Siricius ad Himerium quadrageſimo die ante Baptiſmum. Non poterant autem inſcribi nomina, niſi fuiſſent priùs impoſita, vt hoc loco vides, à ſuſceptoribus. Quintò, quòd Regina Adelais poſtmodum Vuillelmum ex fonte Baptiſmatis ſuſceperit, id Romani vſus fuit, vt iam notatum eſt. Alius enim Romæ Catechiſmi, alius Baptiſmi ſuſceptor erat.

De Guillelmi deuotione à parentibus.

Pag. 123. CXVII. *Vouerunt illum in eius domo aſſiduè ſeruiturum.*] Prima hæc Guillelmo fuere diuini cultus auſpicia, religioſi veſtitus, & inſtituti ex voto parentum ſuſceptio. Frequentis enim olim moris fuit, vt quemadmodum alia vitæ inſtituta, ſic & vita Monaſtica tenellis pueris parentum voluntate ac voto præſcriberetur. Exemplum ſcilicet Annæ parentis Samuelis huic conſuetudini obtendebant. Quamobrem S. Baſilius Regularum κατὰ πλάτος interrog. xv. pueros in Monaſteria admitti poſſe ſancit, ἀπὸ πρώτης ἡλικίας, ab ipſa prima ætate; ſed eo diſcrimine, vt qui parentibus ſunt deſtituti, ſolo admittentium arbitrio, qui verò parentum cura reguntur, παρ' αὐτῶν ἐκείνων προσαγόμενα, ab ipſis parentibus oblati coram multis teſtibus accederent. Ac initio quidem certum fuiſſe deſignatum ætatis annum, ante quem Monaſterio tradi non poſſent, ſatis compertum non eſt. Definitus tamen eſt poſteà annus decimus, aut duódecimus in S. Aureliani Arelatenſis Regula cap. XVII. Minori, inquit, ætate in Monaſterio non excipiantur, niſi ab annis decem, aut duodecim, qui & nutriri non egeant, & cauere nouerint culpas. Quanquam mos demum fuit apud Benedictinos, vt etiam à ſeptimo & octauo anno exciperentur, vt vides hoc loco factum in Guillelmo, & in eo de quo Nicolaus 20. q. 3. c. 4. Sed à decimo, aut duodecimo, aut alio ad decimum-quartum tantùm pertinuit hæc parentum poteſtas, vt liquere poteſt ex capite VI. Concilij X. Toletani, quod ſic habet. Parentibus ſanè filios ſuos religioni contradere non ampliùs quàm vſque ad quartum decimum eorum ætatis annum licentia poterit eſſe. Cæterùm traditione illa in Monaſteria, ſeu parentum voto obſtrictos non fuiſſe pueros, ſi poſt annum decimum-quartum, aut verbo, aut veſtitus religioſi publico vſu parentum

voluntati aſſenſi non eſſent, docent vetuſti authores. Nam S. Baſilius loco citato ſic ſcribit, *τοῦ λόγου προσγινομένου καὶ τῆς διακριτικῆς ἕξεως προσελθούσης*, cùm vſus rationis acceſſerit, & diſcretionis habilitas aduenerit, *τότε καὶ τὴν ὁμολογίαν τῆς παρθενίας προσίεσθαι δεῖ, ὡς ἤδη βεβαίαν, καὶ ἀπὸ γνώμης οἰκείας*, tunc profeſſionē virginitatis emitti oportet, vt iam ratam, & ex propria ſententia. Diſcretionis porrò tempus poſt annum decimumquartum ſtatuit Concilium Toletanum citatum, provt explicuit Clemens III. Pontifex de Regular. cap. XII. & Cœleſtinus III. cap. XIV. & Alexander III. cap. VIII.

Quæ fuerit dignitas capitalis ſcholæ Guillelmo collata Luciaci.

CXVIII. *Diuini officij aſſiduus cuſtos, ac ſcholæ capitalis illius loci.*] Pag. 124.
Scholæ nomen latiſſimè fuderunt veteres in locos omnes, quo artificij cuiuſlibet, aut ſcientiæ addiſcendæ, exercendæve cauſa coibant. Itaque in antiquis monumentis mentio eſt ſcholæ Tignuariorum marmoribus, atque imaginibus exornatæ; Scholæ item Speculatorum legionis primæ & ſecundæ, & Scholæ Vexillariorum. Hinc factum vt cœtus ipſi hominum qui ea in loca conueniebant, Scholæ etiam nomine donarentur. Nam eiſdem in monumentis nominatur Tabularius Scholæ Medicorum, in notitia Oriētalis Imperij, Schola Notariorum, in Codice Theodoſiano Schola agentium in rebus, ſed multò expreſſiſſimè Scholæ militum Imperatorij lateris protectorum, de quibus frequentiſſima eſt mentio in Codice Iuſtinianæo lib. 25. de Aduocatis diuerſorum Iudicum, & toto titulo de priuilegiis Scholarium, & in Codice Theodoſiano lib. 6. tit. de Domeſticis, & Protectoribus. Hinc verò duxit exemplum Eccleſia Latina, vt Cantorum Eccleſiaſticorum cœtum Scholæ nomine donaret. Nam in Ordine Romano cap. de Proceſſione ad Miſſam. Inuitante, inquit, ad Regiam Secretarij præfato Subdiacono Scholam, quartus Scholæ, qui ſemper nunciat Pontifici de Cantoribus, aſtans ante faciem Pontificis, & nutum eius ad pſallendum expectans ſtatim dum innuit ei, egreditur ante fores Secretarij. Exponitur hæc Subdiaconi inuitatio cap. Qualiter Miſſa celebretur, his verbis. Subdiaconus, inquit, Regionarius exiens ad Regiam Secretarij dicit, Vbi eſt quartus Scholæ? Reſpondet, Adſum. Et ille. Quis pſallit? Reſpondet, Ille & ille, &c. Neque verò Clericorum tantùm, ſed Monachorum etiam fuit hic Scholæ vſus. Nam in eodem Romano Ordine cap. de ordine ad faciendum Monachum. Prior, inquit, Scholæ ad nutum Abbatis imponit Antiphonam. Nomini verò cauſam proximè, vt dixi, tribuit locus meditationi aut exercitationi idoneus; ſed loco ipſi nomen dedit, vt arbitror, aſſiduitas ac lentæ moræ, quibus tyrones indigent, vt addiſcant. Sanè Agathias libro VI. Scholarum militarium Etymon iſtud videtur innuiſſe, *οἳ εἰς τὸ διημερεύειν τε διανυκτερεύειν ἐν τῇ αὐλῇ ἀποκεκριμένοις δὴ σχολαρίοις ἀποκαλοῦσι*. Qui:

vt dies, noctéſque in aula degant decernuntur, quos etiam Scholares vocant. Qua fortè ex cauſa Præſentales vocantur à Iuſtiniano l. Reſtituenda Cod. de Aduocatis diuerſorum Iudicum. Et à Corippo Excubitus Palatij, locum Scholæ, & exercitium eius ſic deſcribente lib. 3.

Ingens excubitus diuina palatia ſeruans,
Porticibus longis porta condenſus ab ipſa
Murorum in morem dextra, læuáque tegebat.

Vide autem an non huius etiam Imperatorij apparatus imaginem, vt in multis rebus aliis, ita in Scholarum ſuarum diſpoſitu æmulatus ſit Pontifex Romanus, de quo ſic traditur in Ordine citato. Statuuntur per ordinem acies duæ, & Paraphoniſtæ quatuor à foris hinc inde, ſed & infantes infra per ordinem ex vtroque latere. *Et infrà.* Ille quartus Scholæ perueniens in Presbyterium, vbi Chorus in quatuor, vt dictum eſt, ordinatus aſſiſtit reuerendâ diſpoſitione, poſtquam dixerit inclinato capite ad Priorem Scholæ, vel Secundum, ſiue Tertium, Domini iubete, mox Antiphonam ad Introitũ incipit Prior Scholæ. Cæterùm is quem hîc audis Priorem Scholæ nominari ipſe eſt, qui in hac Guillelmi Hiſtoria vocatur capitalis Scholæ, ad quem diuini Officij cuſtodia pertineret. Videmus enim hodiéque eos qui id muneris gerunt, non in Italia minùs, quàm in Arelatenſi, ac Narbonenſi Prouincia corruptè dici *Capiſchols*. Pleræque Eccleſiæ tam Clericorum, quàm Monachorum nunc Præcentores, nunc Cantores, nunc Magiſtros Chori, nunc alio id genus nomine vocitant. Græci poſteriores extra aulam πρωτοψάλτην, in aula δομέστικον ψαλτῶν nominarunt. Itaque vt in Ordine Romano mentio eſt facta Prioris Scholæ, qui toti præeſſet, & Secundi Scholæ, ac Tertij Scholæ, quorum vnus dextrum, alter ſiniſtrum Chorum regeret; ita Codinus officia Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ pentade VII. hæc habet, ὁ πρωτοψάλτης, οἱ δύο δομεστικοὶ τοῦ πρώτου, καὶ τοῦ δευτέρου χοροῦ. Protopſaltes, duo Domeſtici, primi & ſecundi Chori.

Cur futurus Diaconus fidelitatem Epiſcopo iurare recuſarit.

Pag. 125. CXIX. *Aſſertione iurandi promitteret ſeruaturum fidelitatem Epiſcopo.*] Quid hoc loco refugeret Guillelmus, an iuratoriam aſſertionem, an obligationem fidelitatis, an quid aliud non eſt ex his verbis compertum. Ac videri quidem poſſet recuſaſſe abſolutè iuramentum, quod non ſatis religioſum videretur iuramenta facilè deferri ab Epiſcopis, vel Clericis ſuis, vel Monachis. Quamobrem haud diu poſt Guillelmi tempora ita ſanciſſe dicitur Vrbanus II. Nullus Epiſcopus Clericos ſuos, niſi fortè quibus Eccleſiaſticarum rerum diſpenſatio commiſſa fuerit, ſibi iurare compellat. Ita 22. q. 5. c. 23. Quamquam illud quoque huc accedere poterat, quòd S. Benedicti Regula cap. IV. imperet non iurare omninò. Vnde viſum Monachis quibuſdam iuramentum à ſe vſurpari, etiam ad

tutanda Monaſterij bona, non poſſe, niſi Pontificia interceſſiſſet diſpenſatio, vt videre eſt cap. Etſi Chriſtus. de iureiurando. Quòd ſi iuratoriam aſſertionem minùs verebatur Guillelmus, tamen videri potuit refugiſſe obligationem fidelitatis, qua ſe Epiſcopis obſtringi non facilè tulere viri religioſi. Erat enim fidelitatis obligatio eiuſmodi, vt ſtatui religioſo non adeò eſſe videretur conſentanea, quod & ſeruitutis ſpeciem haberet, & multiplicem curam bonorum Domini ei, qui fidelitatis nexu teneretur, imponeret, vt intelligi poteſt ex Fulberto Carnotenſi, quem refert Canon De forma 22. q 5. Quapropter Gregorius IX. inter Epiſcoporum exceſſus numerat, quòd fidelitatem iuramento firmatam à Præfectis Religioſorum exigerent. De exceſſib. Prælat. c. nimis praua. Et ante illum Lucius III. hanc iuris regulam præſcripſerat. Indignum eſt, & à Romanæ Eccleſiæ conſuetudine alienum, vt pro ſpiritualibus facere quis homagium compellatur De Reg. iuris cap. vltimo. Homagium autem, aut nihil, aut parum aberat à fidelitatis iuramento. Verùm illud potiùs vetitum dixerim Guillelmum in iuramento illo fidelitatis, ne quid intercederet labis Simoniacæ. Cùm enim promiſſio fidelitatis ab iis qui ſacris Ordinibus initiabantur, nullo certo iure deberetur, ſed praua, vt Glaber hîc loquitur, conſuetudine eſſet inuecta timuit videlicet meritiſſimo, ne Ordinationis ſacræ quoddam quaſi pretium eſſet, fidelitatis obligatio Ideóque tutabatur ſe eâ exceptione, vt addit Glaber, quòd non ſatis perpenderet, quomodo pro iis quæ Dei imperio gratis præſtari debent, ſeruandæ fidei aſſertio miniſtro exhiberetur. Sanè aliud eſt quod iure alicui debitum eſt, aliud quod extortum. Ac licèt nulla ſit vmbra ſimoniæ, quòd quis fidelitatem ſibi iure debitam ab eo, cui ſacra impertit, depoſcat vt præclarè diſputat Paſchalis Pontifex cap Significaſti. de Electione, quia tunc fidelitas non rei ſacræ, ſed iuri poſtulantis rependitur. Cùm enim, inquit, à Sede Apoſtolica veſtræ inſignia dignitatis (id eſt Pallium) exigitis quæ à B. Petri tantùm corpore aſſumuntur, iuſtum eſt, vt vos quoque Sedi Apoſtolicæ ſubiectionis debitæ ſigna ſoluatis, nempe iuramentum fidelitatis, & obedientiæ de quo agit. Nihilo tamen ſeciùs ambiguum, vt opinor. nunquam fuit, quin ſimoniæ crimen eſſet, indebitam fidelitatis promiſſionem extorquere, vt ſacra obtinerentur. Nam cùm id Alexander III ſanxerit cap. ex diligenti de Simonia; tum iam olim erat indicatum à Gaufrido Vindocinenſi lib 2. epiſt 7. Non enim, inquit, gratis impenditur, per quod homo homini ſubiectus efficitur.

De Guillelmi exceptione Cluniaci.

CXX. *Denuncians fratribus, vt obuiam ei ex more ornati procederent.*] Hinc puto liquet non hodierni tantùm, ſed vetuſti etiam fuiſſe moris, vt Abbates, qui dignitate quaſi Epiſcopali apud ſuos eminerent, eiſdem quibus Epiſcopi honoribus afficerentur à ſuis. Eſt enim hodiéque Pag. 127.

receptum, vt aduentantibus è longinquo itinere Epiſcopis, obuiam Clerici prodeanr eo, quem inter ſacra officia vſurpant ornatu. Aliud quiddam videtur fuiſſe vſurpatum erga eos Abbates, qui ſubeſſent Epiſcopis, vt inſinuare videtur antiquum hoc monumentum ex libro Ordinis ſancti Victoris Pariſienſis. Si aliquando Abbas extra Monaſterium per duos menſes aut ampliùs moram fecerit, reuerſus hoc modo ſuſcipi debet. Priùs fratribus aduentum nunciare debet; tunc autem in Eccleſiam pariter conuenire debent, & ibi ſedentes præſtolabuntur eum. Ipſe autem per portam ſuperiorem Eccleſiam ingreſſus, cùm ante introitum Chori peruenerit, ibi omnibus aſſurgentibus, Prior aquam benedictam & aſperſorium ei offerat, deinde tranſeunti per medium hinc inde inclinabunt. Procedens autem ad gradus proſternet ſe, vel inclinabit, & dicetur Pſalmus, *Ecce quàm bonum*. Quo finito cum *Gloria*, & *Kyrie eleyſon*, dicetur *Pater noſter*. Deinde Prior dicet, *Et ne nos*, *Conuertere Domine*, *Ecce quàm bonum*, *Beati qui habitant*, *Domine exaudi*, *Dominus vobiſcum*, Oratio, *Quæſumus omnipotens Deus, vt huic famulo tuo*, &c. Poſthæc Abbas accedet ad Sedem ſuam; deinde fratres ibunt in Capitulum, & ibi dicto *Benedicite*, oſculabitur fratres per ordinem. Primùm Prior veniet ad eum, & inclinans oſculabitur eum; deinde iterùm inclinans reuertetur in locum; & poſteà Subprior, & poſt eum omnes de dextro Choro per ordinem; deinde omnes de ſiniſtro Choro à maiore vſque ad minimum. Poſteà reſidens indicabit fratribus de itinere ſuo, quæ dicenda ſunt.

Bruno Lingonenſis Epiſcopus Guillelmum S. Benigni Abbatem conſecratum inſigniter iuuit.

Pag. 119. CXXI. *Honorificè exceptus à Præſule Brunone, Monachorum Pater eſt ex more conſecratus.*] Tempus ac modum huiuſce exceptionis & conſecrationis, egregióſque Brunonis mores ex ſancti Benigni Chronico excerpere hoc loco fuit conſilium, vt plena his verbis lux affulgeret. Sic enim ſcribit. Anno ab Incarnatione Domini DCCCCLXXX. Indictione VIII. Regni Lotharij Regis XXVI. dedit idem Rex Brunoni Remenſis Eccleſiæ Clerico ſuo vero parenti propinquitate conſanguinitatis exiſtenti Lingonicæ ciuitatis Epiſcopatum. Ordinatus eſt autem idem Bruno Epiſcopus per manus Burchardi Lugdunenſis Archiepiſcopi in Eccleſia S. Stephani viginti-quatuor gerens annos ætatis, & eodem anno aſcriptus eſt, atque ſuſceptus à Clero Lingonicæ vrbis, ab Incarnatione videlicet Chriſti DCCCCLXXXI. Hic aſſequutus Epiſcopatum, omni quo potuit niſu ſequi ſtuduit exemplum boni Paſtoris. Monaſteria igitur ipſius ad Diœceſim ſpectantia in ſpiritualibus religione, in temporalibus neceſſaria penè annullata gubernatione conſiderans, cepit quærere quatenus Dei diſpenſante nutu, ſuum in ſtatum collapſa omnia reuocaret. Amouens ergo

Manaſſem Abbatem huius loci à dominatione, qua non benè vtebatur, inſtituit in locum eius Abbatem quendam ex Monaſterio Deruenſi Aſſonê nomine. Erat hic Aquitanicus genere ornatus bonis moribus, & religioſa conuerſatione. Hic duobus annis in regimine peractis, repedauit ad ſuum Monaſterium, dimiſsâ huius loci gubernatione, atque iterùm Manaſſes Abbas ſuum recepit officium. Videns igitur Dominus Epiſcopus Bruno ſtatum loci in ambiguo poſitum ſupplex adiit Dominum Maiolum Cluniacenſis Monaſterij Abbatem, multáque prece popoſcit, quatenus eius auxilio poſſet perdita reparare in melius, interiùs Religionem, & exteriùs poſſeſſiones. Cuius precibus flexus Reuerendus Abbas Maiolus dedit ei duodecim Monachos ex omni congregatione ſelectos, diſciplinis ſanctæ religionis inſtructos, diuina & humana ſapientia doctos, nobilitate carnali claros. Quibus aduenientibus ita ordinauit Dominus Epiſcopus, vt die Trãſlationis S. Benigni Monachis cum ſibi ſubiectis Clericis ante ſepulchrum ſæpè fati Martyris in crypta nocturnale officium peragentibus, ipſi in ſuperiori Choro ante principale S. Mauritij Altare matutinalem inciperent ſynaxin. Quod vtique conueniente actum eſt, vt qui lumen Religionis oſtenſuri venerant, intrarent luce diei appropinquante. Proinde illis ſic à luce pergentibus, illi in loco degentes ceperunt ſanctâ conuerſatione reſplendere, vt locus qui anteà prauis actibus, & ineffabili negligentia à cunctis videbatur confuſus, nunc felici exercitatione virtutum omnium videretur eſſe floridus. *Et infrà.* Fuit Bruno in eleemoſynis largus, in vigiliis ſedulus, in orationibus deuotus, in charitate perfectus, in humanitate profuſus, in ſermone paratus, in conuerſatione ſanctiſſimus. Erat irreuerentibus terribilis aſpectu, reuerendus inceſſu, metuendus ſeueritate, venerandus benignitate. Cenſuram authoritatis temperabat manſuetudo humilitatis, non perſonam potentium, ſed morum elegantiam attendebat in ſingulis, & tanto eminentius vnumquemque honorabat, quanto ſanctiùs viuere didiciſſet. Clericorum ac Monachorum, Sanctimonialium quoque, necnon viduarum ac pupillorum pater erat atque inter diuites & pauperes ita medius, vt pauperes illum quaſi patrem aſpicerent, diuites verò quaſi ſuperiorem ſibi diuitem timerent.

De Monaſteriis quibus diſciplinam Guillelmus reſtituit.

CXXII. *Monaſterium Verziaci caſtri.*] Plus cæteris Cluniacenſibus laboraſſe in reſtituenda religione Vvillelmum affirmat S. Odilo in vita S. Maioli: idque doceri liquidò poteſt ex numero Monaſteriorum, quibus illam præbuit operam Nam I. Benignianum, vt dixi, in magna poſuit claritate. II. cẽſent aliqui Vizeliacenſe; ſed vereor ne ab eis vicinitate nominis aberratum ſit, cùm ſcribi debuerit Virziacenſe, vt habet hoc loco Glaber, nec de Vizeliacenſi Guillelmo concredito antiquus, Pag. 130.

quod ſciam, vllus author meminerit. III. fuit, vt puto, S. Petri ad fontem Beſuæ, vt Glaber hîc ſcribit. IV. S. Ioannis Reomaenſis. V. ſancti Michaëlis Tornodorenſis. VI. Melundenſe in agro Tornodorenſi. Attribuit hæc Guillelmo omnia Bruno Lingonenſis, præter Virziacenſe, quod cætera Lingonenſi tractu continerentur: Virziacenſe autem Heduenſis eſſet Diœceſis. Itaque Henricum Burgundiæ Ducem iſtud authoritate, vt puto, politica reliquis addidiſſe ſcribit Chronicum S. Benigni. VII. Vlpianum, ſeu Fructuarienſe, quod in agro paterno Eporediæ de nouo conſtituit. VIII. Fiſcanenſe quod à Duce Normannorum Ricardo primo reædificatum, & Clericis attributum, cùm olim Virginum ſacrarum fuiſſet domicilium, Ricardus ſecundus pulſis Clericis Monachorum, quos Vvillelmus eò adduxerat curæ ſummiſit, anno poſtquam Benignianis ille præeſſe ceperat vndecimo. IX. Metenſe ſancti Arnulphi, quod tamen ab illo ſuſceptum ante Fiſcanenſe inſinuat Chronicum S. Benigni. X. Gemmeticenſe, quod à Ricardo ſecundo Normanniæ Duce habuit. XI. S. Audoeni Rotomagenſe. XII. S. Michaëlis in periculo maris. XIII. Tullenſe S. Apri. XIV. Monaſterium Virginum ſacratum apud Inſubros eius induſtria conditum. XV. Patiſienſe S. Germani, quod à Roberto Rege reſtituendum accepit. XVI. Melodunenſe S. Pharonis ab Odone Comite aſſignatum. XVI. Gorzienſe à Theodorico Metenſi Epiſcopo commendatum. Sex poſtrema commemorat Chronicum S. Benigni ſolùm, priora refert etiam Glaber.

Scholas cur in Monaſteriis inſtituerit iis quoque qui non eſſent Monachi.

Pag. 131. CXXIII. *Clericis inſtituit Scholas ſacri miniſterij.*] Duas eius inſtitutionis cauſas inſinuat Glaber charitatem, & Monaſtici Ordinis propagationem. Charitatis enim fuit, quòd plebeis Clericis Magiſtros dedit, quibus non in ea tantùm Prouincia, ſed tota etiam Gallia erant propè deſtituti. Propagationis autem Monaſtici Ordinis, quod in iis Scholis plantarit quædam quaſi ſeminaria, vnde plurimos ad Religioſi inſtituti hortos transferret. Erat enim moris antiqui geminas in Monaſteriis vulgò Scholas conſtituere, interiores, quas ſoli frequentarent Monachi, & exteriores, quæ omnibus paterent Clericis. Ekkeardus libro de caſibus Monaſterij S. Galli cap. I. Traduntur, inquit, poſt tempus Marcello Scholæ Clauſtri cum Notkero poſteà cognomine Balbulo, & cæteris Monachici habitus pueris. Exteriores autem, id eſt Canonicæ Iſoni cum Salomone, & eius comparibus. Canonicas vocat, in quibus Canonici, ſeu Clerici, qui non eſſent Monachi, docebantur, vt Salomonis illius exemplum conficit, qui eo tempore Clericus tantùm erat, vt paulò antè indicat Ekkeardus. Idem cap. III. Quod Ratpertus in Scholis hoc ipſe in clauſtro præter verbera omni charitatis egit cenſura. Et cap. VI. Erant

diſciplinæ loci vt ſemper & tunc ſeueræ non modò in Clauſtro, ſed & in Scholis exteriùs. Cap. x. cùm apud ſuum Gallum ambas Scholas ſuas teneret, nemo præter exiles puſiones quidquam alteri, niſi Latinè auſus eſt proloqui. Elucet eadem Scholarum in Monaſteriis diſtinctio apud alios authores. Nam in Concilio Turonenſi II. cap XIV. aperta videtur eſſe mentio Scholarum interiorum. Schola, inquit, labore communi conſtruatur, vbi omnes iaceant, aut Abbate, aut Præpoſito gubernante, vt dum duo, vel tres viciſſim legant & excubent, alij conſolentur. Scholarum autem exteriorum inſtitutio præcepta videtur à Carolo Magno in Capitulari Aquiſgranenſi cap. LXXII. Vt Scholæ, inquit, legentium puerorum fiát vbi Pſalmos, Notas, Cantus, Compotum, Grammaticam per ſingula Monaſteria, vel Epiſcopia diſcant. Theodulfus Aurelianenſis ad Presbyteros ſuos cap. XIX. de iiſdem accipiendus eſt cùm ſcribit. Si quis à Presbyteris voluerit nepotem ſuum, aut aliquem conſanguineum ad Scholam mittere, in Eccleſia Sanctæ Crucis, aut in Monaſterio ſancti Aniani, aut ſancti Benedicti, aut ſancti Liſardi, aut in cæteris de iis cœnobiis, quæ nobis ad regendum conceſſa ſunt, ei licentiam id faciendi concedimus.

De Monaſterij Fructuarienſis conditu & Arduino Rege.

CXXIV. *Locum ſolitarium cognomento Fructuarienſem.*] Conditores huius Monaſterij Glaber hîc recenſet Gotefredum, & Nitardum Guillelmi fratres. Sed Chronicum S. Benigni inuerſo ordine Nitardum præmittit Gotefredo, illúmque Comitem, hunc militem tantùm appellat. Pag. 134.
Spoponderant ambo ſe militiæ renunciaturos, vt ait Glaber, quòd verò fidem præſtiterint ex Chronico liquet. Cæterùm, quòd præſente Arduino Rege dedicatam Fructuarienſem Eccleſiam ambo tradunt, id nobis occaſio erit de hoc Arduino diſquirendi, cuius nomen ita ſcribunt manuſcripti omnes, quos vidimus libri, tum Glabri, tum Chronici. Baronius poſt Ditmarum Harduigum vocat. Sed Sigonius Ardoinum ex monumentis effert. Erat is Marchio Eporediæ Guidoni, & Adalberto, vt ſanguine, ita ambitione cognatus, qui Ottone tertio Imperatore, humanis rebus ſubducto, abſque liberis Regnum Longobardicum Italis reſtituere laborauit, & lectus ipſe in Regem in Conuentu Italicorum Principum apud Papiam imaginem imperij pluſquam decennio circumtulit. Sed mox ab electione acerrimum paſſus eſt aduerſarium Arnulfum Mediolani Epiſcopum, qui ſui atque Epiſcoporum ſuorum iuris eſſe Longobardis Regem legere aſſeuerans, Henricum Germaniæ Regem coactâ Synodo Longobardiæ Regem dixit. Henricus electione admiſsâ triplicem diuerſis temporibus expeditionem in Italiam ſuſcepit, primam breui poſteà per Ottonem Legatum, qui ab Arduino ad Cluſas eſt profligatus; ſecundam ductu ſuo ad annum CIↃV. vt ſcribit Ditmarus lib. VI. in

qua Veronæ, Papiæ, Mediolani aliíſque vrbibus Longobardicis aliquot exceptu ſine pugna, per Rhetos in Germaniam redut: tertiam à Sigonio cum ſecu da confuſam ductu item ſuo ſuſcepit anno CIↃXIII. vt Ditmarus initio libri VII. deſcribit, atque in ea Imperator à Benedicto VIII. Pontifice Romæ inunct is Germaniam Arduino intacto repetiit Is verò Henrici abſceſſu factus audacior, occupatis Vercellis Longobardicas ciuitates bello atrociter vexare eſt exorſus, ſed ab Epiſcopo Mediolanenſi inſigni apud A dam clade affectus animum regnandi abiecit, abdicatiſq; ie omnibus Imperij inſignibus, in Fructuarienſe Monaſterium ſe condidit circa annum CIↃXV. Priore aliquo anno fuiſſe conſ ecratam Fructuarienſem Eccleſiam, Arduino ad id accito, Chronicum Benignianum notauit Illud autem, opinor, ſatis conſtat eum non longè poſthæc ſuperſtitem fuiſſe, cù n diu ante Henricum Imperatorem eſſe deſierit vt colligitur ex Glabro, & Henricus decimo demum anno poſt Aſtenſem victoriam obierit.

In Librum II.

De rebus geſtis Vuillelmi.

Quoties Italiam ex Gallia reuiſerit Vuillelmus.

Pag. 190. CXXV. ANNO *ſexto ordinationis eius.*] Perplexa videtur nonnihil Glabri & Chronici S. Benigni narratio, ob itinerum Guillelmi in Italiam nonnullam perturbationem, quæ hoc loco mihi eſt diſtinguenda. Primus enim eius in Italiam regreſſus is eſt, qui à Chronico annectitur anno ſexto poſt ſuſceptam ab eo Monaſterij Benigniani Præfecturam, & conſecrationem à Brunone Epiſcopo, qui fuit Chriſti DCCCCXCVI. Quòd ille iter ſanctorum locorum Romæque viſendæ gratiâ, cùm miſſet ad montem vſque Garganum promouit, atque in reditu morbo conflictatus de ſolita ſeueritate multum remittere à D Gregorio in ſomnis eſt iuſſus. Secundus poſterior fuit aliquanto anno Chriſti CIↃI. Nam eo anno Diuione fundabat Eccleſiam S. Benigni magna ex parte dirutam, vt teſtatur Chronicum hoc libro cap. XII Præcedente verò cepta ab eo fuerat reſtitutio Monaſterij Fiſcanenſis, vt tradit Glaber cap. XII. Sequuta eſt reparatio diſciplinæ in Monaſterio S. Arnulfi Metenſi, eique reparationi ſtatim ſucceſſit reditus eius in Italiam, vt Glaber habet cap. XIII. Itaque per annos CIↃI. & CIↃII. peregrinatus eſt in Italia, Romam inuiſit, & Vercellas æger repetens adductus eſt à fratribus ſuis, vt Monaſterium Fructuarienſe conderet. Nihilóque ſecius anno CIↃIII. Diuionem eſt reuerſus, vt intelligitur ex donatione Heudrici militis præ-

ſenti Vvillelmo facta eo anno Diuione, & altera Comitis Gotberti in Normannia, quas idem Chronicum refert. Tertius ei regreſſus in Italiam ab his authoribus tribuitur tertio antequam vita excederet anno, vt Monaſteria ſuæ commiſſa prouiſioni inſpiceret. Quo tempore narrat Glaber eum in Italia duobus annis hæſiſſe, dum mortem præſentiſceret imminentem, quæ tamen illum tertio tantùm ab eo regreſſu anno in Normannia oppreſſit. An aliud prætereà inter ſecundum & tertium iter in Italiam ab eo fuerit inſtitutum, nulla ſatis coniectura poſſumus aſſequi. Nametſi Chronicum memorat plures vel donationes, vel commutationes, vel tranſactiones eo in Galliis præſente peractas ab anno CIↃIV. ad CIↃVII. tamen ab eo anno ad CIↃXII. nihil occurrit, quod diſſuadeat eum in Italia fuiſſe. Ad hæc licèt anno CIↃXII. & CIↃXIII. & CIↃXVI. & CIↃXX. in Galliis fuerit, vt aliæ docent tabulæ in eodem Chronico, tamen vtrùm deinceps, vel per horum interualla annorum Italiam adierit, non liquet.

De Chriſmali Reomaenſi quo extinctum incendium.

CXXVI. *Chriſmale conto impoſitum eleuauerunt contra incendij flammas.*] Chriſmale genus fuiſſe lintei, cuius eſſet vſus ad Chriſma ſacrum, & Glabri narratio, & vis vocis ſignificant. Sed inter plura id genus lintea quodnam hoc loco ſit capiendum, operæ pretium eſt aperire. Primò enim linteum quoddam inuoluendo Chriſmatis vaſculo, dum à Presbyteris referretur, ad ciuitatem vſurpatum, docet Synodus Autiſiodorenſis Can. VI. Vt à media, inquit, Quadrageſima Presbyteri Chriſma petant, & ſi quis infirmitate detentus venire non potuerit, ad Archidiaconum ſuum, vel Archiſubdiaconum tranſmittat, ſed cum Chriſmario, & linteo, ſicut Reliquiæ Sanctorum deportari ſolent. Secundò, vſus erat lintei ſtatim à Baptiſmo Neophytorum, cùm ſacro Chriſmate illorum vertex inungeretur. Ne enim ſacer liquor veſtibus hauriretur, velari linteo ſolebant eorum capita, quod rerum Eccleſiaſticarum Interpretes ad multiplex traxere ſignificatum. Alcuinus lib. de Officiis cap. de Sabbato ſancti Paſchæ. Tunc, inquit, ſacro Chriſmate caput perungitur, & myſtico tegitur velamine, vt intelligat ſe diadema Regni, & Sacerdotij dignitatem portare. Conſentaneus huic eſt Rabanus lib. I. de Inſtitutione Clericorum cap. XXIX. Tegitur, inquit, poſt ſacram vnctionem eius caput velamine myſtico. Eadem habet Iuo ſermone de Sacramentis Neophytorum. Lineum porrò fuiſſe hoc capitis velamen intelligitur ex epiſtola Alcuini apud Henricum Caniſium cap. de tegumento capitis. Tegitur, inquit, poſteà linteo, & hoc de Veteri Teſtamento. Græci etſi hodie moris iſtius nulla retinent veſtigia in Euchologiis, quæ inter eorum, qui baptizantur veſtes meminerunt tantùm τῆ σαβάνου καὶ τῆς ζώνης, tamen olim velamen lineum capiti imponebant, non vt Chriſma combi- Pag. 153.

beret, quo illi non vngunt verticem, ſed ſignificationis cuiuſdam, vt puto, cauſa. Nicephorus enim Calliſti lib. III. cap. XXXVII. de pueris Baptiſmum imitantibus ſic ſcribit: *τὸ ἐκ λίνου ἔσχατον ὕφασμα εἰς μέρη διαιρόμενοι συμβόλαια τῆς περὶ τὰ τοιαῦτα ἐπιπολαίου ἀναβολῆς, καὶ ὑπὲρ κεφαλῆς τὸ μυστικὸν κράνος εὖ μάλα ἐτύπουν*, lacinias veſtis lineæ diuidentes in partes ſimulacra amictus, qui in talibus vſurpatur, faciebant, & ſuper caput myſticam galeam præclarè efformabant. Erant hæc quidem linteorum genera, tum ad myſticam ſignificationem, tum ad ſacri Chriſmatis honorem deſtinata; ſed vereor ne ad Chriſmal Reomaenſe non pertineant, cùm non ſatis liquidò poſſit doceri ea aliquando Chriſmalium nomine fuiſſe donata. Tertiò proinde huc magis videri poteſt pertinere lintei genus illud, quo hodiéque frontes cinguntur eorum, qui Confirmationis Sacramentum percipiunt. Hoc enim Chriſmale nominat Ordo Romanus Sabbathi ſancti, vbi ante Confirmationem. Deportantur, inquit, ipſi infantes ante Pontificem, & dat ſingulis ſtolam candidam, & Chriſmale, & decem ſiliquas. Non fuit hoc loco Chriſmale id linteum, quo vertices baptizatorum velabantur. Nam iſtud, vt vides, à Pontificibus datur, illud à Presbyteris, quod diſcrimen olim obſeruarat Alcuinus. Sed inſigniter apparet hæc appellatio in hac annotatione libri Pontificalis Eccleſiæ Bituricenſis manuſcripti. Expeditâ, inquit, confirmatione Pontifex annunciet Confirmatis, ſiue Chriſmatis, quòd in honorem Sanctæ Trinitatis triduo Chriſmalia in frontibus portent, & die tertia Sacerdos lauabit eorum frontes, & comburet Chriſmalia ſuper fontes, vel ex Chriſmalibus fiant candelæ ad vſum Altaris. Quartò, nihilominùs videtur veriſimilius Chriſmale hoc Reomaenſe accipiendum de Pala Altaris, in qua Euchariſtiæ Sacramentum conficitur. Nam huic quoque Palæ Chriſmalis nomen eſt in Pœnitentiali veteri manuſcripto Collegij Pariſienſis Societatis noſtræ. Qui perdiderit, inquit, ſuum Chriſmale, aut ſolum ſacrificium in regione qualibet, vt non inueniatur, tres Quadrageſimas, vel annum. *Et poſt pauca*. Qui mergit ſacrificium continuò bibat aquam, quæ in Chriſmali fuerit, ſumat ſacrificium, & emendet per decem dies culpam. Eodem ſenſu dixit Beda in Pœnitentiali cap. XIII. Qui in plebem ſuum Chriſmale perdiderit, & non inuenerit, XL. dies pœniteat. Aſſentior huic Chriſmalis notioni potiùs quàm ſuperioribus, quòd duæ priores non ſatis videantur expreſsè linteum ſacri Chriſmatis nominare Chriſmale; tertia autem huic hiſtoriæ non admodum congruit, cùm conſtet ex dictis Chriſmalia Confirmationis tertio poſt eam die aut combuſta, aut diſſipata fuiſſe. Supereſt igitur vt Chriſmale de quo narratur hæc hiſtoria fuerit palla Altaris, cui id nominis ſit datum quod vel eodem linteo Chriſmarium ſimul, & thecam Sacramenti Euchariſtiæ obuoluerent, vel ex vno ad aliud nomen deriuarent.

De

De Pœnitentia Monachorum Reomaenſium, ob lapſum ſacri Calicis.

CXXVII. *Tribus è ſuis Monachis huius delicti culpam pœnitere precepit.*] Duo mihi hoc loco lucem videntur poſtulare, alterum quòd genus pœnitentiæ luere oportuerit Monachos hoſce tres, ob ſacri ſanguinis effuſionem in terram, alterum an rectè impoſita ſit illis pœna, quæ alterius culpæ debebatur. Sanè primum illud non eandem ſemper in Eccleſia legem videtur habuiſſe Gratianus diſt. 11. Can. Si per negligentiam, decretum Pij primi Pontificis fuiſſe refert, vt Presbyter, qui per negligentiam de Chriſti ſanguine quidpiam in terram fudiſſet dierum XL. ſubiret pœnitentiam. Hoc decretum ſic habet in Pœnitentiali Romano titulo de crapula, cap. X. Si verò per negligentiam de Calice aliquid ſtillauerit in terram lingnabitur, tabula radetur, ſi non fuerit tabula, vt non conculcetur, locus conradetur, & igne conſumetur, & cinis intra Altare recondetur, & Sacerdos XL. dies pœniteat. Nonnulla in hoc Canone aliter effert antiquus liber Pœnitentialis manuſcriptus. Si verò, inquit, per negligentiam de Calice aliquid ſtillauerit in terra, lingua bibatur, tabula radatur, ſi non fuerit tabula, mittat vt non conculcetur, igne conſumatur, vt ſuprà, & ſacerdos L. dies pœniteat. Conſenſus tamen eſt maximus aliorum librorum in XL. dies pœnitentiæ. Sed quid egerint, aut paſſi ſint, qui diebus illis pœnitentiam agerent, colligendum eſt ex vetuſtis hiſce libris Pœnitentialibus. Etſi enim vox pœnitentiæ interdum pro publica vſurpetur, quæ ſegregationem ab Eccleſia, per dies aliquot, veſtitus mutationem, abſtinentiámque à cibis, & voluptatibus inueheret, tamen cùm de priuata accipitur ieiunium, iis in libris inſinuat. Pœnitentiale Romanum tit. 1. cap. 16. Duodecim annis pœniteat, quatuor ex his in pane & aqua. Theodorus Cantuarienſis ibidem tit. IV. cap. IV. Si quis, inquit, per neceſſitatem furatus fuerit cibaria, vel veſtem, vel pecus, per famem, aut per nuditatem, pœniteat hebdomadas tres, ſi reddiderit, non cogatur ieiunare. Vbi vides vocem *pœnitendi*, exponi per ieiunium. Sed nihil eſt hac in re clarius, quàm quod pœnitentiæ in eiuſmodi libris impoſitæ ex benignitate Eccleſiæ commutari ſolerent, vel in eleemoſynas, vel in orationes, vt appareret pœnitentiam abſolutè poſitam pro eo ſolo genere boni operis, quod præter iſta communiter vſurpabatur, id eſt pro ieiunio. Ibidem tit. IX. cap. XXX. Theodorus ſic ſtatuit. Qui non poteſt ſic agere pœnitentiam, vt ſuperiùs diximus, faciat ſic. Si tres annos continuos ieiunare debet, & non poteſt, eroget in eleemoſynam ſolidos viginti-ſex; in ſecundo eroget in eleemoſynam ſolidos viginti &c. *Et infrà.* Qui ieiunare non poteſt, & non habet vnde redimat, & Pſalmos nouit, pro vno die quem ieiunare debet in pane & aqua, tribus vicibus *Beati immaculati* decantet, & ſexies

Pag. 154.

Miſerere mei Deus, & ſeptuagies proſternat ſe in terra, & per ſingulas genuflexiones *Pater noſter* decantet. Ex his liquet, vt puto, pœnitentiam dierum quadraginta, quam tribus Monachis Reomaenſibus impoſuit Vvillelmus, nihil aliud fuiſſe, niſi totidem dierum ieiunium. Verùm quòd Presbytero peccante impoſuerit pœnitentiam Monachis, fuit id quoque veteris inſtituti, cùm vel nollet, vel non poſſet pro dignitate id præſtare qui peccarat. Pœnitentiale manuſcriptum cap. de modis pœnitentiæ, & qualitate. Qui ita, inquit, implere aut non vult, aut non poteſt, ſicut in Pœnitentiali eſt ſcriptum, & qui de Pſalmis hoc quod ſuperiùs diximus implere non poteſt, eligat iuſtum, qui pro illo hoc impleat, & de ſuo pretio, aut labore hoc redimat.

Quomodo Præfectura Reomaenſi deiectus Vvillelmus.

Pag. 157. CXXVIII. *Vvillelmo tulit Abbatiam Monaſterij ſancti Joannis.*] Quo id anno egerit Rex Robertus ſtatuere certò non poſſum; illud mihi videor ex Chronico Benigniano aſſequi abiiſſe annum CIↃXVI. ante hanc abdicationem. Inculcat enim aliquoties Regem Robertum, viuo Brunone Lingonenſi Epiſcopo, nihil in Burgundia potuiſſe promouere. At ſimile vero eſt non ante eum potuiſſe Abbatē deiicere, quam ea parte Burgundiæ potiretur, in qua ille Abbas fuit. Itaque ſi Brunone ſuperſtite nihil in ea promouit, ne Abbatem quidem ante eius mortem deiecit. Porrò de anno mortis Brunonis ita ſcribit. Ipſo anno, qui fuit ab Incarnatione Domini CIↃXVI. Dominus Epiſcopus Bruno obiit II. Cal. Februarij peractis in Epiſcopatu annis XXXV. Sanè Aimoinus, aut eius Continuator lib. V. cap. XLVII. refert in annum CIↃXV. expeditionem Regis Roberti, & Victoriam Senonenſem, ſecundùm quam partim armis, partim affinitatibus tractum illum Burgundiæ ſibi ſubiecit. Circa hæc igitur tempora fieri potuit, vt Vvillelmum, & paulò ante Brunoni, & tunc Ottoni Guillelmo propter affinitatem addictum Præfecturâ Reomaenſi depelleret Robertus. Quòd enim Monaſterium Regiæ eſſet fundationis ſuo id ſibi iure vendicare poſſe videbatur, quod Concilium Toletanum IX cap. II. ac Pontificiæ Conſtitutiones 16. qu. 17. concedunt fundatoribus.

De Conſtantinopolitanis ambientibus nomen Oecumenici.

Pag. 163. CXXIX. *Eccleſiam Conſtantinopolitanam in ſuo orbe ſicut Romanam in vniuerſo vniuerſalem dici.*] Non eſt difficile decernere quiſnam hic fuerit Conſtantinopolitanus Epiſcopus, qui Pontificium conſenſum in nominis Oecumenici cum Conſtantinopolitano participationem pretio mercari eſt conatus. Duas enim habet Glaber notas temporis, quæ ipſum prodant. Altera eſt anni Chriſti CIↃXXIV. Altera Baſilij Imperij.

Conſtat enim ex Zonara anno antè octauo, quàm hic Chriſti annus verteretur, ſedere cæpiſſe in Conſtantinopolitano Throno Euſtathium, nec dignitate abiiſſe, niſi cùm fato eſt interceptus anno cIↃxxv. paucis ante Baſilij mortē diebus. Illū igitur oportet Oecumenici nomen quòd tanto antè præceſſores eius reclamantibus Romanis Pontificibus inuaſerant, à Ioanne XIX. ingenti munerum oblatione licitatum eſſe. Iſtæ videlicet fuere ſemper Græcorum artes, vt à Pontificibus vita famâque minùs integris aliquid ſuffurari priuilegij malis artibus conarentur. Laborarat electio huius Ioannis XIX. aut XX. vt alij numerant, nonnulla nundinationis infamia, vt notat Glaber lib. IV. Hiſtor. cap. I. Ideóque viſus eſt Græcis idoneus, qui pecunia pertentaretur, an dignitatis conſortem pati poſſet. Eadem ex cauſa narrat Luitprandus in ſua legatione alterum Ioannem XI. ab eiſdem nonaginta ante annis permotum pretio fuiſſe, vt Pallium Theophylacto Patriarchæ, ac vulgò aliis Græcis Epiſcopis abſque Romani Pontificis peculiari conceſſu, vſurpare ſineret.

De anno obitus Vvillelmi.

CXXX. *Anno ab Incarnatione Domini* cIↃxxxI.] Vvillelmi obitum Pag. 169
plures annotarunt Scriptores, ſed tempore admodum diuerſo. Nam Glaber occaſionem Baronio ſuggeſſit nonnulla orationis ſuæ obſcuritate, vt traderet abiiſſe Vvillelmum è viuis anno cIↃxxxIII. ab Incarnatione, & cIↃ. à Paſſione. Aimoini autem Continuator lib. V. cap. XLVII. deceſſiſſe eum ſcribit anno Domini cIↃxxx. Sed nihil verius eſt, quàm quod ſcribit Chronicum ſancti Benigni annum illi poſtremum fuiſſe cIↃxxxI. octauo à Natiuitate Chriſti die. Quod vt ſtabiliatur, expendendæ ſunt inprimis notæ temporum, quæ ſententias oppoſitas fulciſſe videntur. Nam Baronium verbis Glabri obſcurioribus deluſum eſſe ſatis liquidò conſtat. Sic enim ſcripſit ille lib. IV. Hiſtoriæ cap. IV. Imminente igitur anno incarnati Chriſti cIↃxxxIII. qui eſt à Paſſione eiuſdem Saluatoris cIↃ. religionis ſigniferi Benedictus videlicet Papa vniuerſalis, ac Rex Francorum, vt iam diximus, Robertus, Fulbertus quoque Carnoti Præſul incomparabilis, vir ſapientiſſimus, necnon prænominatus Pater Monachorum, fundatórque Cœnobiorum eximius Vvillelmus. Ex his verbis collegit Baronius Vvillelmum anno à Glabro notato defunctum eſſe; ſed parùm, vt mihi quidem videtur, merito, cùm nulla ſit apud eum, ac ne verè quidem eſſe poſſit mortis mentio. Certè Benedictus Papa eo anno mortuus dici non poteſt, cùm Benedictus octauus decimo antè anno eſſe deſierit, & Benedictus nonus hoc primùm anno creatus Pontifex, anno tantùm poſt hunc vndecimo vita ceſſerit. Fulbertus item Carnotenſis ante hunc annum fato functus erat, vtpote qui anno cIↃvII. vt Baronius ipſe agnoſcit, conſecratus Epiſcopus, anno ſubinde viceſimo-primo, & menſe ſexto decurſo, vitam poſuerit, vt hi verſus Epitaphij illius teſtantur.

Bis denos annos atque vnum dimidiúmque
Virgo Maria tuæ præfuit Eccleſiæ.

Itaque non triceſimo-tertio, ſed viceſimo-nono poſt milleſimum Fulbertus interiit. Robertus Rex mortuus à quibuſdam ponitur hoc anno, ſed ab aliis ſuperiore. Igitur verba Glabri non conficiunt Vvillelmum hoc anno mortuum, ſed cùm dicant imminente anno cIↃxxxIII. religionis ſigniferos fuiſſe Benedictum Robertum, Fulbertum, Vvillelmum, non id quod eo præcisè anno, ſed quòd circa eum factum eſt tradunt. Iam Aimoini Continuator dicere abſque lapſu potuit Vvillelmum anno cIↃxxx. deceſſiſſe, cùm ea illi nox extrema fuerit, quæ xxx. cum xxxI. copulabat. Quamobrem ſtatuendum, arbitror, eſt Vvillelmi mortem incidiſſe in annum cIↃxxxI. cùm id diſertè aſſerant Chronicon ſancti Benigni hoc loco, & Glaber extremo capite vitæ illius, & præclarè conſpirent characteres mortis eius omnes ab authoribus hiſce adiecti. Nam vertebatur tunc Indictio xIV. quam Glaber notat, & regnabant in Germania Conradus, in Gallia Robertus, vt idem aſſerit, & Natale Chriſti ac Circuncisio in feriam ſextam incidebant, vt adiicit ibidem.

IN HELDRICVM.

De rebus Heldrici ante Præfecturam.

Pag. 171. CXXXI. FRATER *qui eum comitabatur Heldricus.*] Fuit Heldricus è primoribus Cluniacenſis Monaſterij incolis, ſiue ætatem ſpectes, ſiue merita, vt mirum ſit illum à Trithemio prætermiſſum, qui non ſuos tantùm, ſed etiam alienos Ordini ſuo corrogare non ceſſat. Cauſa, opinor, fuit nominis eius corruptela, quòd in libris editis eſt interdum Heldricus, vt apud Robertum S. Mariani Monachum, interdum Hildricus, vt in Glabro, interdum Holdricus, vt in vita ſancti Maioli. Libri tamen ſcripti manu Reomaenſes, & alij Heldricum conſtanter vocant. De eius ante Præfecturam rebus nihil extat aliud, niſi Italicum iter cum Maiolo, quod ante annum Chriſti DCCCCLIV. poſt conditum Cluniacum XLIV. contigiſſe oportet. Nam hoc primùm anno creatus eſt Maiolus Abbas Cluniacenſis. Iter autem Italicum Heldrico comite nondum Abbas peregit, ac ſi quid licet coniecturæ indulgere quæſiuit, vt ſuſpicor, id priuilegium, quo Agapetus II. Pontifex Monaſterium Cluniacenſe Epiſcoporum poteſtati exemit; & complurium Eccleſiarum attributionem, ei Monaſterio ab Epiſcopis factam ſanciuit, ſuáque illud tutela communiuit. Sanè non eſt de nihilo quod hoc loco ſcribit Monachus Siluiniacenſis, Legatum Romam cum Hildrico Maiolum pro Monaſterij vtilitate, quódque nulla alia Monaſterij

vtilitas ſub Ademaro Abbate, qui Maiolum legauit, Romæ accurata in Tabulario Cluniacenſi reperiatur, niſi hoc Anacleti priuilegium. Porrò ſi illius impetrandi gratia miſſus eſt Romam Maiolus, certò nobis conſtabit huius itineris Italici tempus, cùm priuilegium à Pontifice Anacleto, Indictione VII. ſit conceſſum, qui fuit annus Chriſti DCCCCXLIX.

De Præfecturis Monaſticis Heldrici.

CXXXII. *Præſidens tribus Monaſteriis vno & eodem tempore.*] Non equidem quòd eorum Præfecturas eodem tempore adierit, aut eas ſimul geſſerit tota vita, ſed quòd aliquot annis omnium ſimul curam ſuſtinuerit. Ac primo quidem illi Præfectura videtur attributa Monaſterij Autiſiodorenſis circa annum Chriſti DCCCCLXXXIII. vt colligitur ex Chronico Roberti Monachi S. Mariani. Nam eo ferè anno ſanctus Maiolus ab Henrico Duce Burgundiæ Hugonis Capeti fratre, & ab Heriberto Autiſiodorenſi Epiſcopo Henrici fratre notho, Monaſterium S. Germani magnopere prolapſum ab antiquis moribus ſuſcepit reſtituendum, eámque in rem illi Heldricum præfecit. Secundo loco Flauigniacenſis Monaſterij apud Eduos reſtitutioni incumbere orſus eſt ante annum DCCCCXCIII. quod teſtantur tabulæ Valterij Epiſcopi Eduenſis à nobis hîc editæ, quæ etiam ſuſpicionem ingerunt Heldricum ab eo Epiſcopo acceſſitum, vt quam Autiſiodori, eam Flauigniaci præberet operam. Tertio denique loco Præfectus eſt Reomaenſibus circa annum Chriſti CIƆIII. vt ex Catalogo veteri Abbatum eius Monaſterij habemus. Viuebat adhuc Vvillelmus, qui aliquot ante annis à Brunone Epiſcopo Lingonenſi datus erat ei Monaſterio Præſes, ſed interceſſere cauſæ, ob quas Heldricum virum probatiſſimum ſibi quaſi Vicarium, aut coadiutorem ſubſtitui vellet. Inprimis quòd aliis in Monaſteriis præter Diuionenſe, ad quod primùm fuerat conſecratus, id facere ſolitus eſſet, ne ex ipſius abſentia quidpiam ſentirent detrimenti, vt Chronicum ſancti Benigni de Metenſi, Tullenſi, Fructuarienſi, & aliis notat. Deinde quòd inter ipſum ac Regem Robertum nonnullæ incidiſſent offenſiones, ob Brunonis Epiſcopi, & Ottonis, qui Vvillelmum cognatione attingebat, diſceptationem de Burgundiæ Imperio, cuius partem eam, quæ Monaſterio Reomaenſi adiacebat Robertus bello petebat. Quare ſuccreſcentibus poſt annos circiter duodenos offenſionibus non ipſe minùs, quàm Heldricus Præfectura Reomaenſi eſt pulſus. Denique fieri etiam potuit, vt Vvillelmus Heldrico cederet Reomaenſi Præfectura, quòd eiectus eſſet Autiſiodorenſi. Nam hoc ipſo anno CIƆIII. contigit id, quod Glaber lib. II. hiſt. cap. VIII. narrat, vt à Roberto Rege abire iuberetur Heldricus Altiſiodoro. Pag. 174.

De decimis Capellarum Flauiniacenſium Heldrico datis.

Pag. 172. CXXXIII. *Decimas ex Capellis quarum beneficium eſt ex ipſa Abbatia.*] Eccleſias, Oratoria, Capellas nonnihil iam olim habuiſſe diſcriminis auihores non obſcurè inſinuant. Etſi enim interdum Eccleſias hæc omnia promiſcuè nominent, certis tamen etiam vſibus ea interdum diſcernunt. Nam Eccleſias eſſe inſinuant, in quibus ius eſſet ſacra populo omnia adminiſtrandi; Oratoria quæ ad ſolam domeſticam precationem. Capellas quæ etiam in agris ad ſacrificandum paterent. Sanè clarè *εὐκτηρίους*, ſeu Oratoria ſecernit ab Eccleſiis eo quem dixi modo. Iuſtinianus Nouella Conſtitutione LVIII vbi cùm iuſſiſſet ſacra in Eccleſiis publicè fieri, interdicit ſubinde in priuatis domibus *ἔχειν τινὰς ἔνδον εὐκτηρίους οἴκους, καὶ ἐν τούτοις τὴν ἱερὰν ἐπιτελεῖν μυσταγωγίαν*, habere quemquam Oratorias, ædes, & in eis ſacra perficere myſteria, addit id per ſe licere *εὐχῆς δὲ καὶ μόνης χάριν*, precarionis ſolius gratiâ. Tranſlara videtur huius Conſtitutionis ſententia in Capitularia Caroli Magni lib. VI. cap. CI. Qui, inquit, in domo ſua Oratorium habuerit, orare ibidem poteſt, Miſſas tamen in eo celebrare non audeat. Similia ſunt iſtis quæ Trullana Synodus ſubinde ſanxit can. XXXI. Sed Leo Philoſophus Imperator Conſtit. IV. legi huic, ac Canoni derogauit, vbi & egregiè diſtinxit non ſolùm Oratoria ab Eccleſiis, ſed etiam Sacerdores Oratoriorum à Sacerdotibus Eccleſiarum. Definimus, inquit, non tantùm *τοὺς ἑκάστης καθολικῆς ἐκκλησίας ἱερεῖς, ἀλλὰ καὶ τοὺς οἰκείους τῶν ἱερέων ἑκάστης οἰκίας*, Sacerdotes cuiuſlibet Eccleſiæ Catholicæ, ſed etiam eos qui familiæ cuiuſque proprij ſunt, poteſtatem habere in omnibus domibus ſacra faciendi, ſi à domino domus electi, & accerſiti fuerint, atque in ſacra Oratoria *ἱεροὺς εὐκτηρίους* introducti. Non tamen huic Leonis Conſtitutioni delatum diu à Græcis argumento eſt, quòd Synodo Photiana ac Nomocanone Canon Trullanæ Synodi eſt in vſum iterùm reuocatus. Iam Capellas quoque ab Eccleſiis, & Oratoriis domeſticis diuerſas fuiſſe, quòd ſacrificiis æquè ac precibus, & agris æquè ac domibus vſui eſſent, in Latina Eccleſia, crebræ ſunt authorum aſſertiones. Concilium enim Agathenſe Oratorium nominans, quod ſequiore ſæculo Capella fuit, ſic ſancit Can. XXI. Si quis etiam extra Parochias, in quibus legitimus eſt, ordinariúſque Conuentus; Oratorium in agro habere voluerit reliquis feſtiuitatibus, vt ibi Miſſas audiat, propter fatigationem familiæ, iuſtâ ordinatione permittimus. Capellæ nomen pro Oratorio Pipini & Caroli Magni temporibus antiquius fuiſſe doceri, vt opinor, vix poteſt. Valfridus Strabo eorum propè temporum ſcriptor cap. vltimo de rebus Eccleſiaſticis nomen factum ſcribit Capellanis à Capa S. Martini, quam Reges Francorum inter bella cum aliis Sanctorum Reliquiis Sacerdotibus geſtandam, ac cuſtodiendam darent. Capam porrò illam interdum etiam Capellam dictam ca-

pite xxxviii. lib. 1. Marculfi obſeruauit vir illuſtris Hieronymus Bignonius. Sic enim habet Marculfi formula. Apud tres & alios tres ſua manu ſeptima tunc in Palatio noſtro ſuper Capellàm Domini Martini, vbi reliqua Sacramenta percurrunt, debeat coniurare. Sed id nomen techam tunc Reliquiarum, non Oratorium expreſſit, videtúrque iis demùm, quæ dixi temporibus ad illud deſignandum ita accommodatum, vt non domeſticum, ſed publicum Oratorium à Parochiana Eccleſia diſtinctum, in quo non preces tantùm, ſed & ſacrificia offerrentur, exprimeret. Nam in Liptinenſi Concilio cap. 11. Carlomanno Principe Capellani Epiſcoporum, qui videlicet ſacra priuatim coram eis facerent, nominantur. Et Carolo Magno rerum potiente tabulæ, quibus Taſſiloni venia datur, in Capella Palatij conduntur, Concilij Francofordienſis cap. iii. & Clerici in Capella Regis habitare dicuntur cap. xxxviii. Quæ accipi de alio non poſſunt, quàm de Oratorio. Iam Capellas non domeſticas tunc fuiſſe, ſed in villis, aut agris Eccleſiis Parœcianis ſubditas, diſcimus ex Capitulari Hincmari cap. viii. Nemo, inquit, veſtrûm Capellam alicui in domo ſua habere permittat, & Concilio Metenſi Can. iii. Vnuſquiſque, inquit, Presbyter vnam ſolummodò habeat Eccleſiam, niſi fortaſſe antiquitùs habuerit Capellam, vel membrum aliquod adiacens ſibi, quod nõ expedit ſeparari Huiuſmodi videlicet erãt Capellæ, quarũ Valterus Eduenſis Epiſcopus quòd ad Flauiniacenſis Monaſterij beneficium pertinerent, decimas Heldrico donat in his tabulis. Qua in donatione alterum è duobus neceſſariò intelligitur, aut quartam decimarum partem, quæ ex Pariſienſi vi. Concilio Can. xxxi. & Nannetenſi Can. x Epiſcoporum erat; aut totas Capellarum decimas, quas ſibi Epiſcopi priùs vendicaſſent, Monaſterio attributas. Non enim Eccleſiis tantùm Parœcianis ius decimarum fuiſſe, ſed etiam Capellis fidem facit Meldenſe Concilium Can. lxxiii. Si Capellas, inquit, veſtras Presbyteris, aut viris Eccleſiaſticis dederitis, & Dominicas decimas acceperint, ſarta tecta Eccleſiæ, & luminaria competenter inde prouideant, & Presbyteri Parochianas decimas accipiant.

Præſtaria Heldrici quâ lege [illegible]

CXXXIV. *Vt autem hæc Præſt[illegible]*] Præſtaria Precariæ conſectaria, Pag. 173.
nomen inuenerat, quòd præſtarentur per eam, quæ aliquis petiiſſet per Precariam. Itaque vt Precariæ author erat, qui rem Eccleſiæ immobilem ſibi vtendam depoſcebat, ita Preſtariæ, qui concedebat. Contigit tamen interdum promiſcuus harum vocum abuſus, vt tabulas ſuas vocaret Precariam iis qui concedebat, & Præſtariam, qui poſcebat Nam in Sangallenſibus charta lxxiv. lxxv. lxxvi. aliæque plures dicuntur Precariæ, cùm ſint Preſtariæ, & charta lxviii. dicitur Præſtaria, cùm ſit Precaria. Porrò pro ætatis diuerſitate leges quoque Præſtariis fuere

diuerſæ. Nam primò nulla erat alia lex Præſtariis, niſi vt res donata Eccleſiæ iis, qui donarant concederetur, dum aduiuerent, reuerſura poſt eorum obitum ad Eccleſiam. Exemplum extat lib. II. Marculfi cap. XL. & cap. XLII. formularum veterum, & lib. I. cap. I. & II. Fuldenſium, aliiſque non paucis. Secundò, adiecta fuit ea lex, vt quamuis quis rem ſuam donaſſet gratuitò, tamen dum eam reciperet per Præſtariam ab Eccleſia, cenſum ad vitam annuum illi rependeret. Ita habet Præſtaria inter formulas veteres cap. XXVIII. & cap. LXVIII. inter Sangallenſes & hæc Heldrici. Tertiò, ſi quis dona Eccleſiæ oblata, ſibíque per Præſtariam reſtituta, ſubducere, rurſúmque vendicare conaretur, multam in Precaria adiectam fiſco, & Eccleſiæ inferre cogeretur, centenûm interdum aureorum, aut ſimilem. Formulæ veteres cap. XXVII. Sangallenſes tabulæ cap. LVIII. Fuldenſes lib. I. cap. II. & aliis. Quartò, ne res data per Præſtariam longinquitate temporis, quaſi propria, haberetur ſancitum eſt, tum vt nulla hîc præſcriptio locum haberet, Concilij Epaunenſis Can. XVIII. tum vt Præſtariæ renouarentur. In Capitulari Caroli Magni anno Regni. XI. Præcariæ vbi modò ſunt renouentur, & lib. VII. cap. CIV. tum vt de quinquennio in quinquennium fieret ea renouatio, Concil. Meldenſis cap. XXII. Denique vſus obtinuit, vt Precariis hæc clauſula in eum finem adiiceretur. Ac ſi per quinquennium fuerit renouata, iſta Precaria obtineat firmitatem, vt videre eſt apud formulas veteres cap. XXVII. Quintò, cui dabatur Præſtaria is, ſi quid de ſuo daret Eccleſiæ, tantundem, aut duplo atque interdum triplo plus de Eccleſiaſtico vtendum ad vitam accipiebat, ne viderentur hoc contractu alienæ hæreditates captari ab Eccleſia. Concil. Turonenſ. III. cap. LI. & Meldenſe cap. XXII. Exemplum habes in hac Præſtaria, in qua ad duos manſos à Gerardo Monaſterio datos de hæreditate propria, adduntur plura Monaſterij prædia ſub annuo cenſu poſſidenda, cui ſimiles ſunt Præſtariæ Fuldenſes lib. I. cap. CV. & lib. II. cap. XXIX. Porrò duplum de rebus Eccleſiaſticis adiiciebatur ad Præſtariam, cùm quis ſua ſimul, & Eccleſiaſtica miſſis, [illegible] tantùm ſuam, non ſuorum retinebat: triplum verò cum ſuis dimiſſis [illegible]ſtica tantùm obtinebat, vt eſt in Concilio Meldenſi. Eſt autem veriſimile [illegible] vitam etiam poſterorum [illegible]dem refuſum, quantum accipiebatur, cùm ad [illegible]debatur Præſtaria. Sextò, licuit extendere vſum bonorum, quæ per Præſta[illegible] obtinebantur ad aliquot ex hæredibus, in quo ſimilitudo quædam fuit Præ[illegible], & ἐμφυτεύσεως à Græcis Imperatoribus in res Eccleſiaſticas inuectæ. Quanquam enim eò differrent, quòd ἐμφύτευσις bona tantùm totidem Eccleſiaſtica concederet, quot habuiſſet propria τῶν ἐμφυτευσῶν, vt conſtat ex Nouella CXX. Præſtaria autem plura ſæpè concederet Eccleſiaſtica, quàm acciperet propria; tamen in tranſmittendo iure vſufructuario, ad poſteros diſcrimen non erat. Niſi quòd Emphytheuſi trium ſibi ſuccedentium fuit præſcriptus numerus, vltra quem non concederetur. Præſtaria autem ad plures quan-

quandoque pertingerent. Nam Sangallenſis LXXIII. admittit quinque ſibi in eiſdem bonis ſuccedentes. Et LXXI. ad totam poſteritatem legitimam eius, cui conceditur, deriuatur. Omninò autem Concilium Turonenſe III. non alium numerum definit, quàm qui inter dantem & accipientem conuenerit. Septimò, Præſtariæ perinde atque Emphyteuſes perpetuæ eſſe non poterant. Quæ enim donabantur iure perpetuo, aut Beneficia dicebantur, aut Feuda. Itaque ad tempus tantùm conceſſas intelligimus ex Concilio Epaunenſi.

IN GVIDONEM I.

Vulferi Monachi Reomaenſis ſub Guidone ætas.

CXXXV. ERAT *eo tempore Frater quidam Vulferius nomine.*] Pag. 176. Fuiſſe Vulferij ætatem anno Chriſti CIↃIII. poſteriorem aſſeuerat Glaber in hac hiſtoria, ſed quanto fuerit poſterior colligi aliunde non poteſt, quàm ex aliquot eorum, quæ hîc narrantur circunſtantiis. Nam primò erant cùm hæc contigêre, inuectæ iam Cluniacenſium conſuetudines in Monaſterium Reomaenſe, cùm viſio huic Vulferio obiecta fuerit, quo tempore expletis Matutinis cæteri Fratres ad pauſam, ſeu ſomnum reuerterant, ipſo in Eccleſiæ vacante orationi. Hæc enim pauſa poſt Laudes Matutinas non moris Reomaenſis, ſed Cluniacenſis erat. Præſcribebat quippe Macarij Regula cap. X. non pauſam, ſed meditationem eo tempore. Matutino, inquit, dicto ita meditationem habeant Fratres. At S. Benedictus cap. VIII. ante Matutinum poſt vigilias nocturnas meditationem inſerit, vnde factus eſt locus conſuetudini Cluniacenſi repetendi ſomnum poſt Matutinum, quod intelligitur ex vita ſancti Maioli, vbi ſcribitur. Poſt Matutinas Laudes, cùm ſe ſopori dediſſet, &c. Enimuerò Vvillelmum, qui Cluniacenſis Monachus non erat, conſuetudines Cluniacenſes inuexiſſe in Monaſteria, quæ reſtituebat veteri diſciplinæ S. Benedicti, nullis ſatis planè docetur argumentis, Hildrico potiùs, qui nulla niſi Cluniacẽſi in diſciplina vixerat, id meritò tribuatur, cuius Præfectura cùm Reomai fuerit breuiſſima, veriſimile eſt ad tempus ſucceſſoris Guidonis I. referendam Vulferij viſionem & ætatem. Secundò, his characteribus Principum Hiſpanorum deſignauit Glaber cædem eorum Sacerdotum, qui in Reomaenſi Eccleſia Vulferio per viſum obiecti fuere. Cùm Almuror, inquit, Rex Sarracenorum Hiſpaniam, vſque ad Auſtrales Galliarum fines occupauit, reſiſtente illi Vvillelmo Duce Nauarræ cognomento Sancto. Quibus in verbis plura ineſſe menda, non eſt dubium, cùm nulla hiſtoria, aut Almuror Regem Sarracenorum, aut Guillelmum Ducem Nauarræ cognomento Sanctum

commemoret. Itaque non eſt dubium quin Almanzor pro Almuror, & Guillelmus Dux, & Rex Nauarræ cognomento Sancij, pro vnico Guillelmo ſint ſubſtituendi. Nam Rodericus Tolet. lib. v. cap. xiv. ſcribit Almanzori Regis Cordubenſis Alghibo, qui omnia pro Rege gerebat, totámque latè Hiſpaniam Barcinonem vſque populabatur (vbi fortè Glaber Auſtrales Galliarum fines collocat) egregiè reſtitiſſe Guillelmum Conſaluum Comitem Galæciæ, & Garſiam Sancij, ſeu Tremulum Regem Nauarræ. Qui duo apud Glabrum Librarij vitio ſunt in vnum confuſi, ac pro his verbis Guillelmus Dux, & Rex Nauarræ cognomento Sancij, ſcriptum eſt Guillelmus Dux Nauarræ, qui nullus fuit. Cæterùm poſt Almanzorem deuictum anno, vt Mariana notat, DCCCCXCVIII. & confugium Sarracenorum in Africam, affirmat hoc loco Glaber obiectam Vulferio viſionem, quam refert. At neque belli illius finis, nec Sarracenorum regreſſus, & pax Hiſpaniæ contigit, antequam Almanzoris filius, qui & ipſe, vt Vaſæus ait, Almanzor eſt dictus, eſſe deſineret, atque ciuili tumultu diſſidentibus Sarracenis, Rex eorum Hiſemus in Africam confugeret, quòd anno CIƆXVIII. poſterius fuit. Quo anno Hildricus Monaſterio Reomaenſi præeſſe deſierat, & Guidoni vacuam reliquerat Præfecturam. Tertiò, ſi Hildricus Reomaenſi, & Autiſiodorenſi Monaſterio etiam tum præfuiſſet, Glaber, qui Autiſiodori tunc viuebat, non loqueretur hunc in modum. Sui Abbatis imperio perrexit Autiſiodorum, ſed potiùs, noſtri Abbatis imperio. Hæc ergo verba inſinuant alium ab Hildrico Reomaenſibus tunc præfuiſſe, qui omninò fuit Guido I.

De officio ſanctæ Trinitatis à Reomaenſibus celebrato.

Pag. 177. CXXXVI. *Mos eſt pſallere reſponſoria deificæ Trinitati condigna.*] Nondum legis erat Eccleſiaſticæ, ſed moris ſeſe ſenſim ad plures fundentis, vt ad diem octauum poſt Pentecoſten ſanctæ Trinitatis Officium celebraretur. Cùm enim haud multò ante annum Chriſti DCCCCXX. Stephanus Leodienſis Epiſcopus id Officium concinnaſſet, & duodecimo poſt anno Richarius eius ſucceſſor illud in Eccleſiæ Leodienſis mores induxiſſet, ſenſim ad alias, vt ex hoc loco patet, dimanauit. Ac licèt eum vſum multi initio improbarent, quòd ab ea die octaua Officium Pentecoſtes expungeret, tamen ad extremum pro Officio ſanctæ Trinitatis plures ſtetere. Berno Augienſis circa annum CIƆX. pugnabat vehementer contra hunc vſum libro de Miſſa cap. III. immò & Alexander II. Pontifex declarauit ad annum CIƆLXV. id Officium non eſſe Romanæ conſuetudinis, vt refertur cap. 2. de Feriis. Eam enim conſtitutionem Alexandro II. cenſeo tribuendam non tertio, vt hodie habet editio Decretalium, quia citata reperitur apud authorem Micrologi, qui Alexandro ſecundo coæuus fuit, & ad tertium non peruenit. Porrò is author acerrimè ob-

nititur huic vſui Officij ſanctæ Trinitatis cap. LX. ſed omnia obſtinatè euicit Eccleſiarum iudicium. Nam poſt annum CIↃCXIX. Rupertus libro XI. de Officiis diuinis cap. I. legèm iam Eccleſiæ communem eſſe cenſebat, eius Officij ad illam diem celebrationem. Honorius autem Auguſtodunenſis centum circiter poſt annis, licèt Romanum vſum eatenùs refragatum dicat, tamen eum in aliis Eccleſiis viguiſſe ſcribit ſuâ ætate. Denique Rodolfus de Riuo annis poſt Honorium minùs paulò ducentis libro de Canonum obſeruantia, propoſitione XVI. non tantùm Gallicam, ſed etiam Romanam, ac ferè Germanicam Eccleſiam in eius Officij celebrationem ætate ſua ſcribit conſpiraſſe. Quæ res Sanctorum Hiſpaniæ Sacerdotum, qui illud tantò antè mirificè probarant, iudicium vehementer commendat.

IN GODEFREDVM.

De Godefredi ætate, & moribus.

CXXXVII. PRÆFICITVR *Eccleſiæ ſancti Joannis Dominus Godefredus.*] Cùm in obſcuro reliquerit Bezuenſe Chronicum, fuerítne Godefredus Reomaenſis Monachus, an ſecus, fateatúrque tantùm non fuiſſe Bezuenſem, ſed inde aſſumptum, vt Reomaenſibus præficeretur, non poſſumus liquidò affirmare cui Monaſterio ſit attribuendus. Sed qui illius, ac ſuperioris æui mores meminerit, ſuſpicari nihilominùs poterit fuiſſe Reomaenſem. Erat enim vſus non infrequentis, vt qui Monaſteriorum Præfecturis cenſebantur idonei, ij ad alia Monaſteria, in quibus vigeret diſciplina, priùs mitterentur inſtituendi, vt de Theodoleno Abbate S. Sequani narrat Hiſtoria S. Frodoberti, & de aliis alij. Quidni ergo coniiciat quis Godefredum Bezuenſi tunc nominatiſſimæ diſciplinæ, vel ab Epiſcopo, vel ab Abbate ſuo traditum, & ad Præfecturam Monaſterij ſui ſubinde reuocatum. Annum porrò Præfecturæ eius notat Catalogus Abbatũ Reomaenſium antiquus CIↃXCVIII. qui cùm decennio tantùm poſterior fuerit eo anno, quo Bezuenſe Monaſterium ab Stephano Abbate priſtinum recepit ſplendorem, conſequens eſt haud diuturnam in eo moram feciſſe Godefredum. Neque verò multò diuturnior illi fuit Præfectura, cùm idem Catalogus ſucceſſoris eius initia collocet ad annum CIↃCIX. Quo interuallo vitam ab eo commodè, ac tranquillè actam indicant tabulæ Monaſterij funerariæ, quæ eius obitum his verbis notant menſe Februario. Godefredus Abbas pacis amicus iacet in Capitulo. Pag. 182.

IN BERNARDVM II.

Quæ familia Montisbarri, & quis Abbas S. Ioannis de Prato.

Pag. 183. CXXXVIII. RAINARDVS *de Montebarro.*] Familiam per hæc tempora Hugonis II. Ducis in Burgundia fuiſſe, cui vrbs Montisbarri, aut Montisbardi nomen dediſſet, non tantùm ex hac hiſtoria, ſed etiam ex quadam tabularum Reomaenſium ſubſcriptione liquet. Nam anno cIↃCL. ſubſcripſit litteris Godefridi Epiſcopi Lingonenſis, quibus continetur tranſactio Reomaenſium cum Lucia de Anceio, Andreas de Montebarro. Fuiſſe verò in ea familia Comitatum, ac dominium eius vrbis veriſimile facit hæc hiſtoria, in qua vides mentionem litis inter Comitem Montisbardi, & Clarembaudum de Capis. Sed deſiiſſe haud multò poſteà, vel familiam, vel eius in vrbe Comitatum intelligimus, tum ex aliis tabulis Reomaenſibus ſcriptis anno cIↃCCXXXV. quibus conſtat Hugonem IV. Burgundiæ Ducem Montisbarri iuriſdictione tunc potitum, eámque per Præpoſitos exercuiſſe: tum ex eiuſdem Hugonis teſtamento, quo vni ex ſuis liberis Montembarrum hæreditario iure tranſcribit. Cæterùm, quòd Bernardus dicitur hoc loco Abbas ſancti Ioannis de Prato, aliàs eſt S. Ioannis de Pratis, vt in tabulis Godefridi Lingonenſis Epiſcopi anni cIↃCXLI. Controuerſia, inquit, inter Eccleſiam S. Ioannis de Pratis, & Eccleſiam S. Mariæ Rubeimontis de Parochia Aſiaci agitata eſt. Nullum verò diſcrimen eſſe inter hoc nomen, & Abbatis Reomaenſis cernitur in hac hiſtoria, cùm promiſcuè nunc vnum vſurpetur, nunc aliud. Ac neſcio an hoc nomen Monaſterio obuenerit, ob pratorum copiam, quæ ad collis Reomaenſis radices latè funduntur.

Quis exitus fuerit litis Bernardi de Eccleſia Ritiaci.

Pag 184. CXXXIX. *Apud Caſtrilocum conuentu habito.*] Ter ſibi cenſuit conteſtandam litem de Eccleſia Ritiaci contra Bernardum Reomaenſem, Arnaudus Abbas S. Petri viui apud Senonas, primùm in Synodo Lingonenſi; vbi eſt ab Epiſcopo repulſus. Deinde in Conuentu ex parte politico Principum virorúmque nobilium Burgundiæ, vbi etſi dies dicta fuit Bernardo, tamen deſertum eſt vadimonium: denique apud Legatum Pontificium, & mox apud ipſum Pontificem Calliſtum II. à quibus nihil obtinuit aliud, niſi vt Lingonenſis Epiſcopus iuberetur ius illi dicere. quòd an ille præſtandum ſibi non duxerit, an ſecundùm Bernardum pronunciarit, non ſatis eſt compertum. Illud non eſt obſcurum Eccle-

ſiam Ritiacenſem in Reomaenſium poteſtate deinceps permanſiſſe: nam Guillencus, qui Iocerannum Lingonenſem Epiſcopum excepit, eam Reomaenſibus à præceſſore datam nouis poſt hæc eis addixit tabulis. Aliis inde tabulis aſtipulatus eſt Godefridus item Lingonenſis Epiſcopus, & ſubinde Romani Pontifices, Eugenius III. Alexander III. Innocentius III. Ac licèt de Ritiaco non pauca variis temporibus tam cum Monachis S. Petri viui, quàm cum aliis ſint actitata; tamen nullæ cuiquam vindiciæ contra Reomaenſes datæ memorantur. Nam anno poſt hanc litem ſeptuageſimo-quarto Andreas de Montebarro vnus è Rainaldi qui Ritiacum in hac lite repetebat, poſteris cenſum ſuum Ritiacenſem inter Monachos Reomaenſes, & S. Petri viui partitus eſt, abſque vlla vindiciarum mentione, vt in tabulis illius anni infrà videbis. Quin & anno CIↃCCXXXV. cùm inter Iterium de Brocia, & Reomaenſes de Ritiacenſibus prouentibus tranſigeretur, Eccleſia Reomaenſibus, velut antiqua poſſeſſio eſt adiudicata, atque in eorũ manu ad hãc diem permanſit.

An impreſsio ſigilli apud Burgundos recentis moris.

CXL *Secundum antiquam terræ conſuetudinem inſtrumenta abſque impreſſione ſigilli compoſita.*] Hæc videlicet cauſa fuiſſe videtur, cur Pag. 186. Eccleſia Ritiacenſis Monaſterio S. Petri viui abiudicata, atque ab Epiſcopo Lingonenſi vendicata Bernardo Reomaenſi addicta fuerit, quòd tabulæ S. Petri viui non ſatis certa fide niterentur, nullius, vt ipſi apud Pontificem faſſi ſunt, Epiſcopi Lingonenſis, in cuius Diœceſi Eccleſia erat, ſigillo munitæ. In quo dum illi ſe ea exceptione tutarentur, quòd ſigilli impreſſio de antiqua terræ conſuetudine non eſſet, à Ioceranno Epiſcopo non ſunt auditi. Enimuerò etſi ex antiquis Burgundionum legibus non ſigilla, ſed ſubſcriptiones tabulis publicis fidem adderent, vt conſtat ex additamento primæ legis Burgundicæ cap. XII. tamen longè ante id tempus, à quo Ritiacenſem Eccleſiam ſibi volebant aſſerere Monachi ſancti Petri viui, id eſt ante annum Chriſti CIↃXIX, vulgata erat apud Epiſcopos ſigilli in actis publicis firmandis impreſſio, nec ad huius litis annum CIↃCXIX. vnquam ceſſauit. Nam Seuinus Senonenſis Epiſcopus ad annum Hugonis Regis quintum, qui fuit Chriſti DCCCCXCII. actis Synodalibus, quæ prompta ſunt ex Tabulario S. Petri viui apud Annales Aurelianenſes cap. LXXXVIII. ſic ſubſcribit. Seuinus peccator, & Archiepiſcopus firmo, & ſigillo meo munio. Vbi dignum eſt obſeruatu, nullius ſigillum tabulis appoſitum, niſi eius, qui cæteris ſubſcribentibus præcellebat. Haud multò poſteà Prouinciæ Senonenſis Epiſcopi, præſente Roberto Rege, & Leterico Archiepiſcopo Synodum apud Monaſterium S. Dionyſij celebrauere, cuius Decreto hæc eſt addita clauſula. Hanc authoritatem iudicio Epiſcoporum, qui interfuerunt, ſubterſigna-

Synodi præcellentiſſimus, anno Regni 1. Chriſti DCCCCXCVIII. ex tabulario S. Dionyſij. Similis Synodus extat ex eodem tabulario apud Calam, ab eodem Rege, poſt annum Regni VI. ſic annotata. Nomina Epiſcoporum Synodi ſubter aſcribi iuſſimus, & annulli noſtri impreſſione ſigillari. Henricus Roberti filius, ac ſucceſſor, Gilduino Senonenſi Eccleſiæ præſidente, Synodum eiuſdem modi apud Senonas habuit anno CIↃXLVIII. cuius Decreto in fauorem Collenſis Monaſterij edito hoc additur firmamentum. Sigilli noſtri impreſſione hanc chartam adſignari præcepimus. Ita antiquitatum Trecenſium Promptuarium. Philippus Henrici filius, Richerio Senonenſe Archiepiſcopo, adfuit eiuſdem Prouinciæ Synodo apud Senonas, & facto in eiuſdem Monaſterij fauorem decreto hæc addi iuſſit. Hoc priuilegium ſigilli noſtri impreſſione adſignari præcepimus, anno CIↃLXXI. Dumbertus Senonenſis Archiepiſcopus ad annum Chriſti CIↃCXIV. & Girbertus Pariſienſis ad annũ CIↃCXIX. ſigilli ſui impreſſione priuilegia haud abſimilia corroborant de Clericorum, aut Capitulorum aſſenſu. Denique Ludouicus Craſſus anno CIↃCXXIX. in Philippi filij inunctione Synodum habuit apud S. Germanum de Pratis, cui intererant Lugdunenſes, Remenſes, & Senonenſes Epiſcopi, eámque Epiſcoporum conſilio de ſigillo ſuo iuſſit inſigniri. Tam crebra ac ſolemnia exempla appoſiti ſigilli iis maximè tabulis, quibus Eccleſiæ Monaſteriis donabantur, qualeſq; fuere, quas hîc ferè attulimus, ſatis omninò eſſe poterant Ioceranno, vt S. Petri viui tabulas non admitteret, quæ hoc temporis interuallo ſcriptæ dicebantur, quo nec Eccleſiæ ſine Synodis aut Prouincialibus aut Epiſcopalibus, aut ſiue Capitulorum conſenſu, Monaſteriis donabantur, nec tabulæ tam publicæ ſine ſigillis ſubſcribebantur. Scio nonnullas hodiéque oſtendi illius temporis ſine ſigilli mentione: ſed obſeruatũ eſt eas, vel pertinere ad donationes, aut actiones priuatas, vel non caruiſſe olim ſigillo, etiamſi nulla eius mentio fiat, vt conſtat ex aliquibus Dionyſianis, vel ſigillum metaphora quapiam in eis explicatum, vt cùm inter diplomata Belgica Manaſſes Cameracenſis anno CIↃXCVI. ſic ait. Sigilli noſtri imaginatione firmata eſt. Et inter tabulas Dionyſianas Nicolaus Cameracenſis anno CIↃCXLIV. Canonica ſubſcriptione, noſtra quoque ſubimaginatione huius noſtri priuilegij Decretum confirmamus. Quæ loquutio ex eo videtur nata, quòd ferè imago eius, ad quem pertinebat ſigillum, exprimeretur in illo. Neſcio verò an aliqua eſſent ſigilla, in quibus ſolum nomen expreſſum eſſet, vt ferè in Bullis Pontificum. Nam Bartolomæus Laudunenſis inter Dionyſianas tabulas anno CIↃCXXV. ſic ait. Sigillo noſtri nominis imprimi curauimus.

De ſocietatibus inter Reomaenſe Monaſterium, & alia.

Pag. 186. CXLI. *Statuit cum Eccleſia Tullenſi, quæ ſub patrocinio beati Manſueti fundata eſt, ſocietatem eiuſmodi.*] Frequentiſſimæ fuit inde ab hoc

ævo conſuetudinis, vt Monaſteria Benedictini Inſtituti, quæ nullus à fundatione nexus copulaſſet, pias inter ſe ſocietates coirent, quibus ſua ſibi inuicem bona ita communicarent, vt fieret illud, *Frater qui adiuuatur à fratre quaſi ciuitas firma.* Leges enim iis ſocietatibus non parùm vtiles hunc ferè in modum maximè apud Reomaenſes dictæ. Prima, vti Refectorium, Dormitorium, Capitulum vtriuſque Monaſterij commune eſſet. Cuius legis ſenſus eſſe non potuit, vt nihil vno in Monaſterio rerum gereretur, ſine aſſenſu Capituli alterius Monaſterij, quod fuiſſet Canonibus parùm conſentaneum. Sed vt ne ab vnius Monaſterij Capitulo, aliíſque locis Monachi alterius, cùm eò aduenifſent, excluderentur. Secunda, vti vnum Monaſterium Monachis alterius, ſi quid apud ſuos moleſtiæ timerent, pro aſilo eſſet ac perfugio, atque vnius Monachi ita pro alterius perfuga conciliatores interuenirent, vt planè eſſent ſine noxa. Sed in Reomaenſibus interdum excipitur reus furti; in Dionyſianis verò is, qui ſaluâ pace, & authoritate Abbatis reuerti non poſſet. Sangallenſis ſocietas cum Augienſibus ſic exprimit hanc legem. Si quis prædictorum Monaſteriorum frater inordinatus, in gratia Abbatis ſui, & fratrum offenderit, & ad alterum locum deuenerit, & ſi de lapſu quo correptus fuerat, emendationem promiſerit, & fecerit, per ipſius loci Abbatem & ſeniores pro eo intercedentes loco ſuo, & ordini reſtituatur. Tertia, vti Abbas vnius Monaſterij, ſi ad alterum venerit, præſit eius Capitulo, veniámque reis impertiat. Ita Reomaenſis cum Cellenſibus Trecatum, ſed Dionyſiana cum Fiſcanenſibus ſic habet. Abbas vnius in alterius Capitulo vices geret Abbatis, ſoluens quod ligatum eſt, ſaluo rigore Ordinis. Quarta, ſi ex alterutro Monaſterio allatus ad alterum fuerit nuncius de priuato Monacho fato defuncto, hæc animæ illius ſubſidia impendentur. Si nuncius manè aduenerit, Miſſa ſolemnis & Officium pro mortuo illicò recitabuntur, & æs campanum pulſabitur ſolemniter. Sangallenſis non Sacerdotibus etiam Pſalterium adiicit, iubétque Sacerdotes ab Hymno Miſſæ Seraphico ad *Agnus Dei*, in faciem proſtratos gemebundóſque procumbere: ſin aduenerit nuncius veſperè, Officium & æris pulſatio illicò fiet, ſacrificium poſtridie. Quinta, diebus triginta diarium Monachi vnius pauperibus extra ordinem diſtribuetur eius gratia: Sangallenſis ita eam legem effert. Ab illo etiam die annona, ſicut vni è fratribus datur, pro illo quoque ex integro per totos triginta dies pauperibus tribuatur. Sexta, Sacerdotes ſinguli ſeptem ſacrificia, ſeptémque Officia pro eo offerant Deo. Ita Reomaenſes hæ tabulæ, ſed Cellenſes cuique Sacerdoti Miſſam vnam, cuique Diacono, Subdiacono, Acolytho, Pſalterium vnum, Conuerſis vt *Miſerere*, vel Orationem Dominicam centies pronunciarent, imperarunt. Sangallenſes quinquaginta Pſalmos iis, qui non eſſent in ordine Sacerdotij, iniungunt die ab obitu triceſimo, die autem ſeptimo triginta, cæteris nihil. Septima, dies in anno vnus deſtinetur pro eorum, qui anno eo obierint,

Prouer. 18. ver. 19.

anniuerſariis iuſtis, quæ Sandionyſianæ tabulæ volunt eſſe Miſſarum
tricenarum, Sangallenſes ternarum in ſingulos Sacerdotes, & vnius
Pſalterij in non Sacerdotes. Octaua, Abbate vnius Monaſterij obeunte,
tricena in vtroque ſacrificia pro eo offerantur. Nona, Patroni vnius Mo-
naſterij celebritas in altero æquè ac in ſuo inſtituatur. Decima, ſociorum
nomina poſt mortem vtriuſque Monaſterij Calendario inſcribantur.
Sangallenſis ipſas ſocietatis tabulas illic iubet aſcribi. Placuit, inquit, no-
bis, vt in libello Regulæ noſtræ litteris commendetur, & frequentiùs in
conuentu congregationis recenſeatur, non quòd publicè legeretur, ſed,
vt mox addit, quatenus dum codex iſte frequentiùs legitur & videtur,
memoria ſtrictiùs teneatur. Hæc libuit huc conferre, vt vetuſta Mona-
chorum erga viuos functóſque ſocios pietas nota eſſet. Nam inter has
tabulas, Sangallenſes inde ab anno DCCC. ſunt repertæ.

Cur Guillencus Epiſcopus priuilegium ſuum vocet teſtamentum.

Pag. 188. CXLII. *Teſtamentum ex parte mea conſtituo, conſcribo, & confir-
mo.] Non extremæ tantùm voluntatis tabulæ, ſed quælibet etiam aliæ
teſtium ſubſcriptionibus firmatæ teſtamenti nomen apud nationes, quæ
Romanum Imperium inuaſerant habuere. Quocirca in Codice legum
antiquarum formula 101. tabulæ manumiſſionis dicuntur teſtamenta.
Manumiſſio, inquit, ſub libertatis teſtamento ſolemniter roboretur. In
lege Ripuariorum tit. LXI. venditionis tabulis nomen teſtamenti datur.
Si emptor, inquit, teſtamentum accipere voluerit venditionis, in mallo
hoc facere debet, & pretium in præſente tradat, & rem accipiat, & te-
ſtamentum publicè conſcribatur, quòd ſi parua res fuerit, ſeptem teſtibus
firmetur, ſi autem magna duodecim roboretur. Veteres Romanorum le-
ges teſtata & teſtationes dixere, quæ iſti teſtamenta, libro VI. Pandecta-
rum tit. VIII. l. 1. Rectè autem facient, & hæres, & legatarius, qualis
res ſit, cùm frui incipit legatarius, ſi in teſtatum redegerint. Et lib. XXIII.
tit. 1. l. VII. In Sponſalibus nihil intereſt vtrùm teſtatio interponatur, an
aliquis ſine ſcriptura ſpondeat. Græci Iuriſconſulti διαθήκην eodem mo-
do transferunt ad tabulas teſtibus communitas, & ſi non ſint τῶν θνησκόν-
των διατάξεις. Veteres enim iuris Gloſſæ ſic appellant συνωμοσίαν ἐπὶ διαλλα-
γῇ πολεμίων, pacta coniurata ad hoſtium reconciliationem, & Ariſtopha-
nes apud Suidam quodlibet pactum hac voce exprimit. Sic & Gloſſæ
Iſidori teſtamentum exponunt pactum, & voluntatis confirmationem.

*An Sigoaldus Lingonenſis Epiſcopus exemerit Reomaenſes à iuriſ-
dictione ſucceſſorum ſuorum in eligendo Abbate.*

Pag. 188. CXLIII. *Priuilegium Sigoaldi Epiſcopi de conſecratione Abbatis.*] Se-
debat Lingonenſi in throno Sigoaldus anno paulò plus quàm centeſi-
mo

mo à morte S. Ioannis Reomaenſis, ac ferè ducenteſimo à Monaſterij conditu. Succeſſit enim Bertoaldo, qui ex ſignatoribus Concilij Cabilonenſis primi vnus fuit, ad annum Chriſti DCL. Itaque eius tempore præerat Monaſterio vel Bobo extremus è diſcipulis S. Ioannis, vel Hunna primus S. Columbani. Quominùs mirum eſt, quod hoc loco narratur conceſſum à Sigoaldo priuilegium de conſecratione Abbatis, id eſt de Abbatis, quem Monachi abſque interuentu Epiſcopi elegiſſent conſecratione non recuſanda, vt ex aliis id genus priuilegiis intelligitur; & de charitatiua fratrum correctione & emendatione. Cùm enim S. Benedicti regula nondum eſſet in Monaſterij iſtius mores inducta, electio Abbatum, & caſtigatio delinquentium, quas in poteſtate Monachorum eſſe vult ea regula, hærebant eatenùs in manibus Epiſcoporum. Vt enim hanc rem paulò accerſamus altiùs; cùm ſimpliciùs olim ac liberiùs agentes cum Epiſcopis Monachos, atque humilitate magis, quàm neceſſitate eis ſummiſſos, vt ex S. Hieronymo conſtat, ſubeſſe illis omninò voluiſſet Concilium Calcedonenſe Canone IV. animaduerſum eſt lapſu temporis in Monaſteriorum perniciem vergere tam abſolutam Epiſcoporum in illa poteſtatem. Vrgente enim vel auaritia, vel rerum ſuarum anguſtia rapiebant ad ſe quidam Epiſcopi eas facultates, quas populi pietas Monachorum ſanctitati ac religioni impendebat, fiebántque quod ait Concilium Toletanum IV. Can L. Cœnobia, Epiſcoporum poſſeſſiones. Hinc prima nata eſt exemptionum origo, dum Pontifices & Concilia huic Monaſteriorum ruinæ obuiam eundum cenſerent. Itaque S. Gregorius Magnus Concilio Lateranenſi eam in rem conuocato, Epiſcopos ex Concilij ſententia omni Monaſticarum facultatum contrectatione interdixit; cui aſtipulatum circa Sigoaldi Lingonenſis tempora Concilium Toletanum IV. tria tamen reſtare declarauit, in quibus Monaſteria Epiſcopis ſubeſſe oporteret. Hoc tantùm, inquit, ſibi in Monaſterio vendicent Sacerdotes, quod præcipiunt Canones, id eſt Monachos ad conuerſationem ſanctam præmonere, Abbates aliáque officia inſtituere, atque extra Regulam facta corrigere. Quæ tria etſi foriè locum eatenùs habebant in Hiſpania, tamen duo poſtrema iampridem, aut peculiari priuilegio, aut communi lege fuerant emendata. Nam inprimis Abbatis eligendi à Monachis ſolis conceſſa fuerat poteſtas Lerinenſibus ab Arelatenſi IV. Synodo ad annum Chriſti CCCCLV. cui priuilegio non fuiſſe diſpar id, quo Agaunenſes fruebantur, teſtis eſt Marculfus lib. I. formula I. S. Germanus Pariſienſis Epiſcopus Monachis ſuis, non tantùm electionem Abbatis de propria congregatione conceſſit, ſed etiam omnem eo interuentum ſucceſſorum Epiſcoporum præcluſit in priuilegio anni DLXVI. Monaſterio S. Marcelli Cabillonenſi, nec multò poſteà Luxouienſi idem tributum aſſerit Marculfus citatus. Verùm vt latiùs funderetur id bonum S. Gregorius Magnus anno DCI. habito apud Lateranum Concilio, quod Romanum III. vocant, omnibus Epiſcopis ita electio-

nem Abbatum interdixit, vt conſecrationem tamen gratuitam, ſuorum cuique Abbatum permitteret. Iam verò quòd Toletanum IV. extra Regulam facta ad Epiſcopi animaduerſionem pertinuiſſe aſſerit, id quomodo habuerit ſeorſim eſt expendendum.

An Sigoaldus Reomaenſes exemerit correctione Epiſcopi.

Pag. 188 CXLIV. *De charitatiua fratrum caſtigatione & emendatione.*] Cauerat S. Macarij Regula, vt fratrum delinquentium caſtigatio in Abbatis ac Monachorum poteſtate eſſet. Sed Concilia, aut conſuetudines Galliæ ad Epiſcoporum cognitionem eam caſtigationem multis ex cauſis adduxerant. Vt neceſſe fuerit iis, quæ inde naſcebantur incommodis, per Pontificum aut Conciliorum priuilegia obuiam ire. Itaque ante Sigoaldi tempora S. Gregorius in priuilegio Monaſterij S. Medardi Sueſſionenſis. Nullus, inquit, eorum extranearum perſonarum cenſura plectatur. Quòd ſi culpa principalis vitij deliquerit, priuatim intra clauſtrum eiuſdem Monaſterij, ſecundùm Canonicam inſtitutionem emendetur. Ita aiunt ſcriptum anno DXCIV. in quo vitium allatum huic priuilegio nulla eſt cauſa ſuſpicandi, quidquid alibi nutet. Sed indubitata ſunt; quæ aliquot pòſt annis concedebantur priuilegia iuxta formulam Marculfi lib. I. cap. I. Si aliquid ipſi Monachi de eorum religione tepidi, aut ſecùs egerint, ſecundùm eorum Regulam ab eorum Abbate, ſi prævalet corrigantur; ſin autem Pontifex de ipſa Ciuitate coërcere debet. Eodem propè tempore, id eſt ad annum DCLXIV. Bertefridus Ambianenſis hoc Corbeienſibus ferebat priuilegium. Si aliquis, inquit, de ipſis Monachis contumax fuerit, ab Abbate prædicti Monaſterij ſecundùm Canonicam inſtitutionem emendetur. Haud multò ante hæc, vt opinor, tempora ſuum Reomaenſibus priuilegium condebat Sigoaldus, quod proinde ab iſtorum ſenſu diuerſum non fuiſſe ex eo conſtare videtur, quòd in communem formulam, vt patet ex Marculfo, res iam tranſiſſet. Itaque Adeodatus Pontifex ad annum DCLXX. non dubitauit huic formulæ ſubſcribere, confirmans priuilegium à Crotberto Epiſcopo Turonenſi conceſſum Monaſterio S. Martini. Conuerſationem, inquit, Monachorum exquirere religioſo Abbati, eiúſque Præpoſito, vel qui probatiſſimi in eodem Monaſterio fuerint, quod etiam præfati Præſules conſona ſenrent a definierunt, decernimus. Atque hæc quidem de priuatis tunc Monachis ſunt ſancita; ſed multò ſeriùs extenſum eſt priuilegium, tum ad Monachas fœminas, tum ad Abbates Monaſteriorum. Nam inprimis fœminæ etſi ſunt iam olim ſubductæ Epiſcoporum iuriſdictioni in facultatum diſpenſatione & Præfectarum electione, tamen de coërcendi iure ſic ſtatuit S. Gregorius Magnus, in priuilegio Reſpectæ S. Caſſiani Maſſilienſis Abbatiſſæ conceſſo lib. VI. epiſt. XII. Epiſcopo ſecundùm Dei timorem ſolicitudinem ſtatuimus adhibere, vt ſi ali-

quem de illic habitantibus exigente culpa oporuerit vltioni ſubmitti, ipſe iuxta ſacrorum Canonum vigorem modis omnibus debeat vindicare. Prætereà Abbatum, qui aliis non ſuberant coercitio, diutiſſimè in Epiſcoporum manſit poteſtate. Nam cùm in Aurelianenſi primo Concilio, regnante Clodoueo, ſic ſancitum eſſet Canone XIX. Abbates ſi quid extra Regulam fecerint, ab Epiſcopis corrigantur, variæ quidem moderationes huic Canoni ſubinde allatæ, ſed tardè ab eo diſceſſum. Nam in Epaunenſi Can. XIX. additum, vt ad Metropolitanum Abbati liceret prouocare. In Turonenſi Can. VII. vt ſine omnium Abbatum, qui in Diœceſi eſſent conſilio, non poſſet loco moueri. In decretis S. Gregorij lib. XII. epiſt. XII. vt non niſi ex graui crimine, & aſcito ſex Epiſcoporum conſilio. In Vernenſi Concilio Can. V. vt ab Epiſcopis & Archiepiſcopis ad legitimam Synodum illi prouocatio eſſet. Denique tamen à Romanis Pontificibus eſt impetratum, vt Abbatum, qui aliis non ſubeſſent cauſæ Pontificum tantùm cognitionis eſſent. Ac neſcio an antiquius hac de re extet priuilegium, quàm quod Fulradus S. Dionyſij Abbas regnante Pipino impetrauit ab Stephano II. his verbis. Omnes cauſas tuas, vel Cœnobij tui per Sedem ſacratiſſimam Apoſtolicam reclamare licentiam habeas. *Et mox.* Et interim nullus recondemnet. Sed id exemplum latiſſimè poſteà fuit ad multos, & Abbates, & Ordines propagatum.

Virginum Monaſteria Reomaenſi Abbati, qua lege ſubeſſe voluerit Guillencus.

CXLV. *De duabus verò Abbatiis illis ſanctimonialium.*] Duo Virginum Monaſteria Putei Orbiaci, & Rubei Montis iam olim ſubetant aliqua ratione Abbati Reomaenſi, illud iure ciuili, quòd in agro Monaſterij conditum, iſtud iure Eccleſiaſtico, quòd in Parochia eius eſſet. Quæ iura ita Guillencus hoc loco auget, vt apud vtrumque Monaſterium Abbati & ſuis honorem debitum, & reuerentiam eſſe, aliiſque omnibus Monachis aditum intercluſum velit. Quod ſanè videtur pertinere ad curam atque adminiſtrationem Monaſteriorum muliebrium, quam aliquot antè ſæculis Epiſcopi abs ſe in Monachos ceperant transferre. Nam Concilium Hiſpalenſe II. cap. XI. duplici ex cauſa Monaſteria Religioſis viris committenda ſanxit, vt earum inſtitutioni, & facultatum procurationi ſeruiretur. De priore ſic diſſerit. Monaſteria Virginum in Prouincia Betica Monachorum adminiſtratione, ac præſidio gubernentur. Tunc enim ſalubria Chriſto dicatis Virginibus prouidemus, quando eis patres ſpirituales eligimus, quorum non ſolùm gubernaculis tueri, ſed etiam doctrinis ædificari poſſint. De poſteriore autem ſic ait. Eorum tantùm eas gubernaculis deputamus conſtituentes, vt vnus Monachorum probatiſſimus eligatur, cuius curæ ſit prædiis earum ruſticis, vel vrbanis Pag 189.

intendere, fabricas extruere, & ſi quid aliud eſt ad neceſſitatem Monaſterij prouidere, vt Chriſti famulæ pro animæ ſuæ tãtùm vtilitate ſolicitæ ſolis diuinis cultibus viuant, operibúſque ſuis inſeruiant. Verùm ne quid inde labis vel Monachis, vel Virginibus inueheretur, cauent illic patres non pauca. Primùm, vt remoti ab earum familiaritate, nec vſque ad veſtibulum habeant accedendi familiare per miſſum. Deinde ne Abbati, vel ei qui præficitur extra eam, quæ præeſt loqui Virginibus Chriſti aliquid; quod ad inſtitutionem morum non pertineat, ſit licitum. Ad hæc ne cum ea quidem, quæ præeſt frequenter loqui liceat; ſed ſub teſtimonio duarum vel trium Sororum, ita vt rara ſit acceſſio, & breuis omninò locutio. Denique, vt is, qui ab Abbate præponitur, iudicio ſui Epiſcopi comprobetur. Hæc tam ſapienter ſancita regulam poſteà præſtituiſſe eiuſcemodi commendationibus Monaſteriorum Virgineorum veriſimile eſt. Nam longè poſt id tempus perſeueraſſe morem, vt viris Religioſis eorum inſtitutio, atque adminiſtratio crederetur, non hoc tantùm Guillenci exemplum docet, ſed etiam Concilium Aquiſgranenſe II. cap. 11. Can. XII. quo eorum emendatio, quæ diſciplinam Religioſam dilabi paſſa eſſent, viris Religioſis attribuitur.

Confirmatio Tabularum Guillenci per tactum manus quænam fuerit.

Pag. 189. CXLVI. *Manus propriæ tactu & ſubſcriptione confirmamus.*] Qui tabularum donationis, alteriúſve diſpoſitionis author erat, quique illi rei geſtæ præbebant teſtimonium, ij per hæc Guilenci tempora, non ſolùm tabulis ſubſcribebant, vt hodie, ſed etiam tactu aliquo manus authoritatem, aut conſenſum ſe præbere ſignificabant. Ac videri quidem alicui poſſet tactum illum, vt fit hodiéque iuramenti præſtiti ſignum fuiſſe. Scitum eſt enim iuramenta olim contactu Altarium, Capſarum, vaſorum, quibus inerant Sacramenta, ac librorum ſacrorum firmata fuiſſe; quo opinor deinde factum, vt etiam contractuum tabulæ, quibus ſanctiſſimæ Trinitatis inuocatio præmittebatur, quod in promptu eſſent, huic rei ſubſeruirent. Verùm vſurpatum etiam fuiſſe contactum, qui alio non videatur pertinere potuiſſe, quàm ad authoritatem, vel conſenſum iis, quæ ſcripta eſſent præſtandum, ſatis liquidò poteſt demonſtrari. Extant enim tabulæ Comitiſſæ Matildæ ſcriptæ anno CIƆCII. quibus ſua omnia cùm Romanæ Eccleſiæ donaſſet, hæc extremo appingit. Præſens hæc chartula offertionis, vt omnibus temporibus firma permaneat, atque perſiſtat, pergamenam cum attamentario de terra leuaui paginam, Guidoni Notario tradidi, & ſcribere rogaui, in qua ſubter confirmans teſtibus obtuli roborandam. Poſt ſubſcriptionem Matildæ, & teſtium ſic additur. Ego Guido Notarius Palatij ſcriptor huius chartulæ offertionis, poſt traditam compleui, & dedi. In quibus vides contactum char-

tæ adhibitum, qui ad iuramentum nihil pertineat, ſed ad ſolam declarationem rei ex voluntate prona ac libera tranſactæ, quam chartæ & atramentarij de terra acceptio, traditio, rogatio, cantióque illa Notarij, ne antè abſolueret ſcripturam, quam ſibi hoc modo obtruſa eſſet charta, planè ſignificant. Non diſſimilis contactus occurrit in Alamannicis antiquitatibus, parte I. tit. de manumiſſione cap. VII. Sacerdotes, inquit, nominati manum ſuam in præſentem ingenuitatis chartulam miſerunt, Pero, Altaman, Hiltiger, &c. Qui contactus originem habebat ex lege Alamannica cap. II. §. 1. Teſtes, inquit, qui manum ſuam in chartam miſerunt, vnà cum Presbytero Eccleſiæ, ſicut lex habet, ita teſtificentur, quòd ipſi ad præſens fuiſſent, & oculis ſuis vidiſſent, & auribus audiſſent, quòd pater eius illas res ad Eccleſiam dediſſet, & chartam feciſſet. Porrò moris fuiſſe peruulgati ætate Gullenci etiam in Gallia hunc tabularum contactum patere poſt ex tabulis Lamberti Atrebatenſis Epiſcopi ſcriptis anno CIOXCVII. aliiſque anno CIOCXI. quibus hæc verba adiicit. Huius noſtræ paginæ ſcriptum relegi, ſubſcripſi, & in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti propriâ manu confirmaui.

Quid eſſet plenaria Synodus.

CXLVII. *Acta ſunt hec Lingonis in plenaria Synodo.*] De Synodo Lingonenſis tantùm Diœceſeos hæc dici res eſt perſpicua ex ſubſcriptionibus, quæ à ſolis eius Clericis ſunt adiectæ. Sed cur ea dicatur Plenaria, eſt explicandum. Fuere enim qui plenariæ Synodi nomen ſolis vniuerſalibus Conciliis aſſererent conuenire, vt docet Didacus ab Alaua in tractatu de Conciliis. Sed eſto dicantur ab aliquo plenariæ Synodi eæ, quas dicimus vniuerſales (quod tamen nondum mihi ex authore veteri conſtat) certè plenariæ pleræque Diœceſanæ in antiquis tabulis nominantur. Vt enim Eccleſiarum Capitula, non quòd vniuerſalia, ſed quòd ex omnibus, quorum id eſt iuris, ſint compoſita, vocati ſolent plena, ſic & Synodi Epiſcopales. Florentius Abbas Iudæ lib. II. Diplomatum Belgicorum cap. LXXVII. Datum, inquit, in pleno Capitulo noſtro. Id verò eſt, vt arbitror, in Capitulo cui intererant, qui intereſſe debebant. Sic enim Alexander III. cap. licèt deuitanda, De Electione. Plenam concordiam Collegij Cardinalium in eligendo Pontifice, opponit ei, qua duæ tantùm partes conſpirant, tertiâ diſcordante. Ad quod exemplum plena Synodus nominatur à Balduino Ardenſi Toparcha, In tabulis anni CIOCXLIV. Facta, inquit, eſt hæc tranſactio in Eccleſia S. Audomari Ardenſis, & in plena Synodo Treuianæ recitata, & approbata. Enimuerò illuſtris extat deſcriptio plenariæ Synodi in aliis tabulis Milonis Morinorum Epiſcopi ad annum CIOCXLV. his verbis. In Synodo noſtra plenaria, præſentibus Archidiaconis noſtris Milone, & Philippo, Hermanno Decano, Herembaldo, Valone, & aliis pluribus Canonicis noſtris, præſentibus Pag. 190.

EEce iij

quoque Abbatibus, Leone de S. Bertino, & de Bergis, & de S. Vulmaro, & de Capella, & cæteris multis, tam laïcis, quàm Clericis. Hæc cùm ſcriberentur anno minus quàm viceſimo poſt hoc Guilenci priuilegium, ſatis liquidò aperiunt illius ſæculi quaſi formulam fuiſſe, vt plenarias vocarent Synodos Epiſcopales, quibus ij adeſſent, quos vt eæ legitimæ eſſent, oportebat adeſſe.

De ſubſcriptione priuilegij Guilenci ab Archiclauo.

Pag. 190. CXLVIII. *Lambertus Lingonenſis Eccleſiæ Archiclauus ſubſcripſi.*] Anno huius priuilegij multiplici nota deſignato adduntur ſubſcriptiones, non totius Synodi, ſed Principum Cleri Lingonenſis, quod ferè eâ ætate vſurpatum ex aliquot huius operis tabulis animaduertes. Annus porrò Chriſti fuit ꟾↃCXXVI. cum quo concurrebat Honorij II. alter, Ludouici Craſſi XIX. Guilenci I. aut II. Cùm enim eius prædeceſſor ſuperiore anno dederit Monaſterio S. Stephani Diuionenſi Abbatem Herbertum, vt ex tabulis eius Monaſterij probat Claudius Robertus, & Guilencus Calendis Ianuarij inter Epiſcopos ſubſcripſerit Synodo Trecenſi anno ꟾↃCXXVII. neceſſe eſt hoc anno eum in Epiſcopatu fuiſſe recentem. Cæterùm, quòd primus harum tabularum ſignator ſit Lambertus Archiclauus. Secundus Airardus Decanus id exigit, vt diſquiramus quænam fuerit Archiclaui dignitas. In quo duo mihi videntur colligi ex antiquis Scriptoribus: alterum Archiclaui dignitatem in Monaſteriis iuxta atque in Eccleſiis Clericorum fuiſſe: alterum à dignitate Theſaurarij non diſcrepaſſe. Nam inprimis Archiclaui, vel vt ſcribunt alij Archiclauis, Monaſterij Turonenſis mentio eſt apud Glabrum lib. III. Hiſtoriæ cap. IV. Beati, inquit, Martini Turonis Monaſterium emicuit à venerabili ſcilicet viro Herueo eiuſdem loci Archiclauo euerſum, atque ante ipſius obitum miro opere reædificatum. Archiclauus autem Eccleſiæ Cathedralis, & apud Lingonas recenſetur hoc loco Lambertus, & in geſtis Epiſcoporum Turonenſium Guanilo. Iam verò munus Archiclaui idipſum fuiſſe, quod Theſaurarij ſatis intelligitur ex eo, quòd Herueus qui Monaſterij Turonenſis Archiclauus à Glabro eſt dictus, idem ab authore rerum geſtarum Pontificum Turonenſium, Theſaurarius vocatur. Herueus, inquit, Theſaurarius ipſius ſancti Præſulis iecit fundamentum huius Eccleſiæ, quæ hodiéque cernitur. Quam etiam ob cauſam idem Glaber poſt pauca eum Eccleſiæ Cuſtodem nominat, quòd in eius prouiſione eſſent Eccleſiæ vaſa ſacra, & facultatum monimenta. Sed illud reſtat in hac ſubſcriptione non leuiter prætereundum cur Decano præmiſſus ſit Archiclauus, aut Theſaurarius. Non enim id factum temerè docet priuilegium Arnulfi Archiepiſcopi Turonenſis, cui hæ ſubſcriptiones adduntur. S. Arnulfi Archiepiſcopi. S. Guanilonis Archiclaui. S. Ionæ Archidiaconi &c. Ac mihi quidem venit in mentem non adeò olim ſtatam, ac-

ratam fuiſſe Decani, vel Præpoſiti Præfecturam in Canonicos Eccleſiarum, vt non aliæ dignitates eis quandoque potiores, vel æquales eſſent, atque ita factum, vt Archiclaui, vel ob antiquitatis prærogatiuam, vel ob alicuius temporis conſuetudinem, Decanis interdum præferrentur. Sanè Theſaurarios, ſeu Archiclauos Canonicorum Præfectos eſſe in Capellis Regiis hodie eſt compertum; nec deſunt exempla Præpoſitorum, qui ſimul eſſent Eccleſiarum Cuſtodes, ne quid ab alio paterentur controuerſiæ. Ita in Tabulis Euſtathij Bononienſis Comitis, quibus multa donat Canonicis Lenſenſibus anno CIƆLXX. cùm Eccleſiæ Cuſtos præferatur Præpoſito in omnibus ſtipendiis, atque ab eo diſertè ſeparetur, tamen ſubſcriptio ſic habet. S. Tiebaldi Decani & Cuſtodis, & Præpoſiti. S. Rainaldi Presbyteri &c. Eodem modo in tabulis Balduini Comitis Flandriæ & Hannoniæ anno CIƆXCII. ſubſcriptio eſt Giſleberti S. Albani in Namuco Præpoſiti & Cuſtodis, aliis quoque tabulis eiuſdem Balduini ſcriptis anno CIƆXCV. ſic ſubſcribitur, Guilbertus ipſius Eccleſiæ Præpoſitus & Cuſtos.

IN PETRVM.

Ætas Stephani Eduenſis Epiſcopi, qui Petro Eccleſias dedit.

CXLIX. EGO *Stephanus Eduenſis Eccleſiæ Epiſcopus.*] Præfuiſſe Eccleſiæ Eduenſi ad Petri tempora Stephanum, non hæ ſolùm tabulæ, ſed aliæ pleræque fidem faciunt, nec eſt dubium, quin de eo intelligendus ſit Petrus Mauricius Cluniacenſis Abbas, dum ſcribit ad Humbertum Eduenſem Archidiaconum, cuius in his tabulis eſt mentio, Stephanum Eduenſem Epiſcopum ipſius Humberti auunculum, abdicato Epiſcopatu, laudatiſſimum inter Cluniacenſes Monachos vitæ finem nactum eſſe, vt videbis lib. v. epiſt. XLV. Sed an hic Stephanus author fuerit libri de Sacramento Altaris, & iis quæ ad illud pertinent, controuerſum fecere Garetius, & poſt eum alij, qui illius authorem libri anno Chriſti milleſimo priorem ſunt arbitrati. Sanè eum authorem fuiſſe Epiſcopum verba, quibus Presbyteros adiutores ſuos appellat, conficiunt, nec cauſa eſt exiſtimandi alium fuiſſe, quàm Eduenſem; cùm exemplar Monaſterij Rigniacenſis apud Eduos, vnde is liber fuit primò erutus, id præferret. Neque verò alius Stephanus Eduenſis iſto antiquior merito fingitur, cùm nullus in Eduenſibus tabulis compareat, & rediuiua Berengarij in Petrobruſianis hæreſis Algerum, Petrum Cluniacenſem, & alios, ad eiuſmodi argumentum illuſtrandum hoc tempore excitaſſet. Porrò ex his tabulis illud etiam liquet Stephanum longè diutiùs præfuiſſe quàm vulgò cenſeatur. Non enim anno CIƆCXXXIII. ſuc- Pag. 191.

ceſſorem Robertum Hugonis Burgundiæ Ducis filium elatum vidit; ſed
perſeuerauit in Epiſcopatu ad annum cIↄcxxxix. qui hîc notatur indubi-
tatis characteribus Regni Ludouici iunioris, cuius alter tunc annus tan-
tùm vertebatur, & Indictionis I. ad finem vergentis. Itaque multò ve-
rius eſt quod in breui Chronico S. Benigni ſcriptum eſt Stephano ſucceſ-
ſiſſe Robertum anno demùm cIↄcxl. eodémque anno fato functum. *
Humbertus qui anno cIↄcxlvii. Petro Reomaenſi eaſdem Eccleſias,
quas hic Stephanus dederat, ratas eſſe voluit, Epiſcopatum Eduenſem
excepit, is ſi fuit nepos Stephani, neceſſe eſt Stephanum abdicato Epi-
ſcopatu minùs anno vno Cluniaci vixiſſe. Nam de eius morte ad Hum-
bertum eius nepotem adhuc Archidiaconum ſcribit Petrus Mauricius,
vt dixi. Hinc verò etiam intelligitur Odonem II. Burgundiæ Ducem
non iniiſſe principatum anno demum 1142. cùm in his tabulis iam Dux
nominetur quadriennio antè. Quo fit vt in Epitaphio Patris Ciſtertienſi
longè poſt ſucceſſoris eius mortem poſito, aut ſculptori, aut ſcriptori no-
tam decennij excidiſſe putem, & pro cIↄcxxlii. poſitum cIↄcxlii.

Godefridus Petro attribuit Aſiacenſes oblationes, confeſſiones, reconciliationes, iudiciorum benedictiones, & alia.

Pag. 193. CL. *Godefridus S. Lingonenſis Eccleſiæ humilis Miniſter.*] Godefri-
dus è Clareuallenſi diſciplina in Lingonicum thronum traductus, præ-
clara fuit erga Monachos voluntate, vt tabulæ Reomaenſes multis poſt-
hæc argumentis docebunt. Inprimis verò anno cIↄcxli. diſſidiū inter Ec-
cleſiā Parœcialē Aſiaci, quæ Reomaenſium erat, & Eccleſiam Virginum
Rubei montis ita compoſuit, vt primo bis in anno generalis oblatio fie-
ret munerum, ac donorum Eccleſiæ Parœcianæ, cæteris diebus Eccleſia
Virginum munera poſſet admittere. Cùm enim olim ſancitum fuiſſet in
Concilio Matiſconenſi II. Can. 4. vt Dominico quoque die panis ac
vini oblationem in Eccleſiam quiſque deferret; tum lapſu temporis eò
res adducta eſt, vt rara eſſent id genus munera extra diem. Omnibus
Sanctis feſtum, quo iuſta fato functis Chriſtianis reparabantur, & diem
tutelari Sancto dicatum. Eos ergo dies præcipuæ pagorum Eccleſiæ ſibi
per hæc tempora aſſerebant, vt etiam ex Honorio III. de verb. ſignif. ca-
pite xxix. intelliges; idque hoc loco Godefridus æquitati cenſuit conſen-
taneum. Secundò, eiuſdem eſſe tantùm Eccleſiæ ſancit confeſſiones, &
reconciliationes, vtpote quæ abſque participata ab Epiſcopo iuriſdictio-
ne non fierent. Eſt enim hic ſermo tum de confeſſionibus priuatorum
pœnitentium, tum de reconciliatione publicorum, quæ etſi non dabatur
abſolutiſſima, vt eſt in Can. 11. Vaſenſis Concilij, nec per reconciliato-
riam manus impoſitionem, vt in Arauſicano I. cap. III. nec in Miſſa pu-
blica, vt in Cartaginenſi II. cap. III. nec ante abſidam, vt in Cartagi-
nenſi III. cap. xxxii. niſi ab Epiſcopis; tamen vrgente aliquâ neceſſitate,
aut periculo mortis à Presbyteris tribui poterat eâ conditione, vt qui pe-

periculo

riculo ſubducerentur, legitima nihilominùs pœnitentiæ ſpatia implerent. Id quod explicatum eſt his verbis Cartaginenſis II. cap. IV. Si Epiſcopus abſens fuerit debet vtique Presbyter conſulere Epiſcopum, & ſic periclitantem eius præcepto reconciliare, Cartaginenſe III. cap. XXXII. idipſum ſanciens de Epiſcopi conſultatione tacet. Hincmarus item in Capitulari ad Presbyteros memoriter illos diſcere iubet, Ordinem reconciliationis iuxta modum ſibi Canonicè reſeruatum. Tertiò, iudiciorum benedictiones ex erant, quæ rebus ad purgationes vulgares vſurpatis adhibebantur. Nam præter purgationem Monomachiæ, in qua benedictionem interpoſitam non liquet, extant hodiéque exempla benedictionum ferri candentis, aquæ feruentis, aquæ frigidæ, caſei & panis, quæ iudicia vulgò appellabantur, quia occulti criminis reuelatio per ea iudicante, id eſt miraculum edente Deo, quærebatur. Ea iudicia ac benedictiones mirum eſt in Eccleſia Lingonenſi ad hunc annum perſeueraſſe, cùm Iuo Carnotenſis teſtetur epiſtola CCLXXX. Stephanum V. inde à temporibus Ludouici Pij Imperatoris ea damnaſſe, atque interdixiſſe, vt refertur II. quæſt. V. Can. Conſuluiſti. Verùm plus eatenùs potuiſſe mores malos, quàm leges bonas conſtare poteſt ex eo, quòd Innocentio II. per hæc ferè tempora innouanda fuerit interdictio Can. Mennam, eadem; quin & Honorio III. poſt annum CIↃCCXVI. non defuit, quod hac in re caueret, vt patet ex cap. Dilecti. de Purgat. vulgari. Laborauere etiam, vt interdicerentur hæc iudicia leges Principum, vt conſtat non ſolùm ex lege Longobardica, ſed etiam ex Neapolitana lib. II. titul. XXXI. vbi hæ purgationes vocantur leges Paribiles, quòd per eas crimen, vel innocentia ipſis oculis viderentur parere, ſed cùm crebrò fallaces eſſent, rectè ſcribit illic legiſlator. Leges paribiles abſconſæ à veritate deberent potiùs nuncupari.

Quid eſſet Saluamentum.

CLI. *Deberet habere ſaluamentum ab Abbate.*] Eſt quibuſdam verbis ſua ætas. Annis enim circa hæc tempora centenis, aut ducentenis frequens huius vocis vſus fuit, quam nonnulli cenſent protectionem aut tutelã expreſſiſſe locis aut hominibus à potẽtioribus viris impenſam. Sed videor mihi tum ex hac Godefridi Lingonẽſis ſentẽtia tum aliunde colligere Saluamẽta fuiſſe onera colonorũ agris, aut ædibus impoſita ab iis qui fundorũ fuiſſent domini, aut quaſi domini. Nam inprimis extant tabulæ Vvillelmi Comitis Cabilonenſis ſcriptæ anno CIↃCLXXX. quibus ille aut decedit de poteſtate à ſe vſurpata in ciues Paredi, aut de illa ſtaturum ſe in iure pollicetur, de Saluamento tamen ita loquitur. De hominibus Saluamẽti definitum eſt, quòd homines Eccleſiæ qui terram meam tenent, ſeruitium quod tenemento impoſitum eſt mihi perſoluent. Non minùs perſpicua videntur verba Godefridi in hac ſententia. Fecit Rogerius Abbati hominium pro Saluamẽto. Non enim hominium ob protectio- Pag. 194.

FFff

nem rebus Abbatis impenſam fuiſſet rationabile; ſed nihil habet abſurdi, ſi pro aliquo prouentu ex Abbatis prædiis exigeretur. Adde alteram eiuſdem ſententiam anni CIƆCL. quam mox dabo, vbi ſic leges. Eſt autem hæc conſuetudo, id eſt Saluamentum, in manibus ſancti Ioannis. Vides enim Saluamentum eſſe conſuetudinem quæ ex manibus S. Ioannis, ſeu Abbatū eius accipiēda eſſet. Idipſum confici poteſt ex verbis Garnerij de Triagnello in tabulis anni CIƆCLXXIX. Abbas, inquit, S. Lupi Guiterius in cultura ſua de Cordoen, & in cultura de Boceneaco hoſpites tali conditione recepit, quòd quandiu manſerint inibi Saluamētum meum, & iuſtitiam liberè, ſicut de cæteris manſuris habebo ab ipſis; ſi verò receſſerint, & præſcripta terra vacua remanſerit, ipſa deinceps, ſicut priùs, libera manebit à Saluamento. Hinc enim planè conſtat Saluamentum prædio impoſitum, dū colono donaretur ſaluo hoc vel illo onere panis, vini, carnium aut aliorum id genus quot annis præſtando. Quid verò eſſent protectiones, cuſtodiæ, gardiæ, tutelæ ſuo loco erit inferiùs explanandum. Potuit & illa eſſe, vt opinor, ratio nominis Saluamenti; quòd ſalua ſponderetur colono fundi poſſeſſio, quandiu impoſito oneri ſatisfaceret. Quò reſpexiſſe eos, arbitror, qui vocem ridiculo quandoque dixere impoſitam, quòd ea eſſet interdum onerum grauitas, vt colono periret potiùs fundus, quàm ſaluaretur. Illud quoque obſeruatu dignum Saluamenta interdum ab aliis quàm fundi Dominis accepta, ſiue quia coloni id oneris ſuis fundis imponi accepto pretio patiebantur, ſiue potentiorum violentia. Quæ genera Saluamentorum commendationes etiam, vel commendiſiæ vocitata. Tabulæ Beſuenſes anni CIƆLXXVI. Indict. XIV. Fulco, inquiunt, & Goffredus filius eius Saluamentum, ſiue commendationem, quam in Nerontis villa accipiebant, &c. Monachis dimiſerunt, vt prædictæ villæ habitatores à ſupradicta calumnia & omnibus iniuriis perpetuò liberi manerent, &c. & nullus de eorum hæredibus vllo modo ſupradictam violentiam poſſet repetere.

De anno Priuilegij Godefridi Lingonenſis Epiſcopi.

Pag. 199. CLII. *Acta ſunt hæc anno ab Incarnatione Domini* CIƆCXLVII.] Plures hìc attexuntur huius anni characteres, iíque non vulgares. Nam inprimis ſediſſe tunc in Romana Cathedra Eugenium obſeruatur. Is fuit eius nominis tertius, qui anno iam tertio præerat, cùm hoc priuilegium conderetur. Tum additur Francis imperaſſe excellentiſſimum Regem Ludouicum, qui Iunior eſt cognominatus, & poſt patris fata annum tunc decimum in Regno agebat. Sub quo, inquit, omnes ferè nationes contra Paganorum infidelitatem commotæ ſunt. Contigiſſe eam commotionem anno ab Incarnatione CIƆCXLVI. atque in illud iter Godefridum Lingonenſem Regi Ludouico ſe Comitem præbuiſſe ſcripſit Continuator Aimoini lib. V. cap. LII. Quòd ſi verum eſſet, vocari planè indubium

poſſet totum hoc priuilegium, cùm eodem teſte, ac vulgò aliis ſolidum annum egerit in Oriente. Quomodo ergo datum eſſet hoc priuilegium Lingonibus anno CIↃCXLVII. potiore Capituli parte ſubſcribente. Veriùs igitur eſt eam nationum commotionem incidiſſe in annum Chriſti, quem habet hoc priuilegium ſtatim à Pentecoſte, reditum autem anno CIↃCXLVIII. haud multò etiam poſt Pentecoſten, vt tradit Anſelmus Gemblacenſis in additionibus ad Sigebertum, & Sugerius in vita Ludouici, vbi pro Gofrido Lingonenſi corruptè ſcriptum eſt Burgonenſi, & Chronica Normannorum, quæ reditum locant ad menſem Auguſtum. Itaque datum oportet hoc priuilegium ante profectionem Ludouici, & Godefridi Ieroſolymitanam eo tempore, quod ab anni initio ad Pentecoſten interceſſit, Godefrido annum iam nonum Lingonenſi throno inſidente.

De Priuilegio Eugenij III. Pontificis Petro conceſſo.

CLIII. *Datum apud S. Florentinum.*] Ita habet autographum hu- Pag. 203.
ius priuilegij, quanquam deraſa ineptè membrana imperitus quiſpiam emendator ſuperſcripſerit apud S. Petrum. Sanè liquidò oſtendi poteſt non potuiſſe ipſum Romæ concedi anno, vt aſcribitur CIↃCXLVII. Indict. XI. die III. Iduum Octobris. Nam ante eius anni Pentecoſtem venerat in Galliam Eugenius Ludouico iter Ieroſolymitanum arripienti gratulaturus, ac fauſta precaturus. Non ergo dari potuit Romæ hoc priuilegium, antequam inde Eugenius excederet, cùm nec Indictio XI. adhuc computaretur, nec poſt illam Indictionem dies tertius Iduum Octobris. Neque verò ad exitum eius anni poſt menſem Septembrem, quo ei Indictioni factum initium Romæ fuit Octobri menſe Eugenius, cùm vſque ad eam, quæ ſecuta eſt Quadrageſimam Conuentui Autiſiodorenſi, Concilio Pariſienſi, ac Remenſi; & ſubinde Treuerenſi interfuiſſe ſcribatur, tum ab Ottone Friſingenſi libro I. rerum Friderici cap. L. & LI. tum à Theodoro in Hildegarde. Quin & S. Bernardus in Malachia narrat anno CIↃCXLVIII. impetraſſe Malachiam à Rege Angliæ commeatum viſendi apud Claramuallem Eugenij, eòque aduenisſe quatriduo ante feſtum S. Lucæ, cùm iam, inquit, Eugenius, aut Romam perueniſſet, aut propè Romam, quod tempus anno propè poſterius eſt hoc priuilegio. Itaque ambigi non poteſt, quin illud Roma abſens conceſſerit Eugenius. Neque verò vlla cauſa eſt, quæ prohibeat quin apud S. Florentinum conceſſum fateamur. Eſt enim S. Florentini Monaſterium apud Carnotenſes, in quo poſt Regis Ludouici digreſſum hæſit aliquandiu Eugenius.

De conciliatione Petri cum Rainaldo Ciſtercienſi ab Henrico Eduenſi ſuſcepta.

Pag. 105. CLIV. *In præſentia Domini Henrici Eduenſis Epiſcopi.*] Deerat his tabulis annus & dies, ſed initia Henrici & finis Rainardi Ciſtercienſis poſtularunt, vt inter annum ᴄɪↄᴄxʟɪx. & ᴄɪↄᴄʟɪ. collocarentur. Priore enim anno recens fuit in Epiſcopatu Henricus Hugonis II. Burgundiæ Ducis filius, vtpote qui pallio tum primùm donatus eſt à Pontifice, nec multò antè electus ac conſecratus, cùm præceſſor eius Humbertus fuerit etiamnum in viuis anno ᴄɪↄᴄxʟᴠɪɪɪ. menſe Decembri, quo ſacra lipſana S. Lazari Auguſtoduni inuiſit, eiúſque Eccleſiam dedicauit. Poſteriore verò anno deſiit eſſe in rebus humanis Rainardus Abbas Ciſtercienſis, vt tradit Robertus de Monte in Appendice ad Sigebertum. Itaque neceſſe eſt inter eum & Petrum Reomaenſem, præſente Henrico Epiſcopo Eduenſi tranſactum eſſe eo interuallo, quod inter hos duos annos eſt euolutum.

In altera Petri conciliatione cum virginibus Fuſſei quid clamor Guerpitio, &c.

Pag. 107. CLV. *Monachi clamabant decimas.*] Omnem vindiciarum poſtulationem clamoris vocabulo expreſſit inclinata hæc aut corrupta Latinitas. Ita ſuprà in tranſactione Petri cum Lucia de Anceio. Manſi, in quibus clamat Huldierius. *Et mox.* Si ruſtici non dant quod debent facient clamorem miniſtris Abbatis. Latini veteres idipſam vocarunt querimoniam lib. 1. Cod. tit. IV. l. Sancimus. & lib IV. tit. XXX. l. Si intra. Græcis eadem vis fuit *καταβοώντων*, in legibus ruſticis tit. X. l. 1. *εἰδὲ καταβοᾷ ὁ τοῦ τόπου κύριος ὅτι ἀδικεῖται*, ſi loci dominus clamet ſe iniuriam pati. & tit. XIV. l. 1. *ἡ τοῦ χωρίου κοινότης καταβοᾷ*, communitas regionis clamat. Cæterùm, clamorem eiuſmodi Abbatis Reomaenſis contra Haliſendem Fuſſei apud Lingonas in Remenſi Campania Præfectam, volente Audeburge, quæ apud Fontem Eberaudi vnde Fuſſeo origo, quarta fuit Antiſtita ſedauit per has tabulas Godefridus Lingonenſis Epiſcopus iis legibus. Primò, vt Reomaenſes guerpirent Fuſſeenſibus, quidquid clamabant. Guerpire autem non eſt ſemper, quod ſcripſere aliqui, cædere prædia fundi domino, vt ceſſet penſitatio. Nam hoc loco, vt vides, Guerpit è contrario fundi dominus, vt obtineat penſitationem. Secundò, vt annuum quindecim ſolidorum cēſum penderet Reomaenſibus Monaſterium Virginum circa feſtum S. Remigij. Quæ dies ferè dicta erat ex illius ſæculi conſenſu penſitationibus id genus fundorum exſoluendis, vt videre erit inferiùs in tabulis Rainaldi Abbatis anno ᴄɪↄᴄᴄxʟɪɪɪ. & Milonis Comitis Barri ad Sequanam Gaudrico Abbate anno ᴄɪↄᴄᴄxc. Tertiò, vt ei penſitationi ſoluendæ, ſi mora intercederet dierum plus quàm quindecim,

denariorum duodecim acceſſio fieret. Eam verò acceſſionem non aliud fuiſſe, quàm tarditatis pœnam intelligimus ex aliis huius Monaſterij tabulis. Theobaldus enim Rex Nauarræ, & Campaniæ Comes anno cIↄ-ccLXVI. in re ſimili ſic ait, *Il a promis de payer chaſqun iour qu'il defaudroit dix ſouls de tournois à raiſon de paene.* Et Magiſtratus Sinemurienſis anno cIↄccxcI. ſolutionem octoginta librarum promittit. Sub pœna, vt inquit, vnius marcæ argenti, quam pœnam volumus, & expreſsè conſentimus per prædicta iuramenta contra nos, & ſucceſſores noſtros committi, & reddi; & ſolui priùs quàm debitum principale ſingulis diebus, quibus poſt prædictos tres dies deficiemus in ſolutione. Cæterùm ex his tabulis liquet Virgines Fuſſei, aut ſemper ad Fontis Eberaudi ordinem pertinuiſſe, aut longè antè illi addictas, quàm in Promptuario Trecenſi ſit obſeruatum.

In Priuilegio quod Alexander III. Petro dedit duo enodata.

CLVI. *Eccleſiam de Piſi.*] Crebertima fuere priuilegia, quæ Eccleſiis Gallicis contulere Pontifices, cum factione Schiſmaticorum Roma pulſi in Galliam confugere, inde ab Vrbano Paſchali, & Innocentio II. vt mirum non ſit Eugenium III. & Alexandrum meminiſſe priuilegij Innocentij II. cuius in hoc Monaſterio nullum hodie reſtat aliud veſtigium poſt cladem illi à Caluinianis illatam, qua etiam veriſimile eſt periiſſe priuilegium Caroli, cuius iidem meminere. Sed ne qua ſit de iis quoque quæ reſtant dubitatio facio libenter, vt eorum aliquas obſcuritates illuſtrem: in hoc verò illud primo eſſe poteſt offendiculo, quòd Eccleſia de Piſi, Marmeiaus & aliæ inter Reomaenſes iam cenſeantur anno cIↄcLXIV. quo datum eſt hoc priuilegium, cùm Innocentius III. poſt hæc teſtatus ſit eas à Manaſſe Lingonenſi Epiſcopo fuiſſe attributas, extántque infrà anno cIↄcLXXXV. Manaſſis tabulæ, quibus donat Eccleſiam de Piſi Reomaenſibus. Sed hic nodus, vt eiuſdem generis alij, temporum diſtinctione eſt exſoluendus. Fiebat enim quod hodiéque experimur, vt vel Patroni, vel poſſeſſores Eccleſias Monaſteriis concederent, eorúmque conceſſiones nondum interpellato Epiſcopo ad Pontificem, maximè cùm in Gallia præſto erat confirmandæ deferrentur, nihilóque ſeciùs ad Epiſcopum ſubinde poſſeſſionis adeundæ, ac difficultatum, ſi quæ ſuberant, componendarum cauſa rediretur. Iam quòd Senonis & Indictione XIII. & anno Alexandri VI. priuilegium notatur datum, cùm Baronius annum V. tunc numeret, id non eſt maximæ difficultatis. Conſtat enim Alexandrum poſtquam Turonibus Concilium habuerat anno cIↄcLXIII. Senonas conceſſiſſe, ſedémque illic fixiſſe à Calendis Octobris, vſque ad Paſcha anni poſt hunc ſecundi, quo iter Romanum relegit. Inter has moras datum eſt hoc priuilegium anno cIↄcLXIV. Indictione XIII. à menſe Septembri inchoata die III. ante Calen. Nouembris, quo Pag. 209. & 211

annus vertebatur Alexandri VI. vno ferè ante menſe inceptus. Creatus enim erat anno cIↄcLIX. menſe Septembri. Sed Baronius qui annos fractos non attendit hæc anni ſexti initia quinto adiecit.

Quo pertineret Eccleſiarum à Galtero, & aliis donatio Reomaenſibus facta.

Pag. 211 CLVII. *Galterus Dei gratia Lingonenſis Epiſcopus.*] Galterus Hugonis II. Burgundiæ Ducis filius ceſſione Godefridi factus Lingonenſis Epiſcopus, Eccleſiam Petro de nouo attribuit apud Villam Morinam, cuius conceſſionis etſi annus & dies deerat in tabulis, locus tamen viſus eſt ei aſſignandus poſt Alexandri III. priuilegium, in quo eiuſdem Eccleſiæ facta erat recenſio inter alias Reomaenſes, quod, vt dixi, à Pontifice ſimul, & Epiſcopo fuiſſet impetrata. Cæterùm illud inprimis agebant Epiſcopi, dum Eccleſias Monachis attribuerent, vt paci Eccleſiaſticæ ſubſeruirent. Quòd enim pleræque earum Eccleſiarum in ipſis Monachorum fundis conderentur, & ab eorum ſeruis, qui terram extirpatis ſiluis nouarant, frequentarentur, ne quid inter Clericos & Monachos ſereretur diſſidij poſtulabat æquitas, & concordia, vt Monachis traderentur gubernandæ. Ea cauſa cùm deerat aliam Epiſcopis ſuggeſſit charitas, vt Monachorum ſuſtentationi caueretur. Godefridus certè anno cIↄcLI. Eccleſiam ſe concedere teſtatus eſt ad vſum fratrum, Stephanus Eduenſis ad neceſſitates fratrum, Guillencus Lingonenſis vt oblationes ac decimæ fratribus redderentur. Poſtremò, id quoque cauſæ acceſſit, vt Eccleſiæ meliùs regerentur, tum ob accuratiorem inſtitutionem plebium, quibus Monachi ad omnem difficultatem præſto erant doctrinæ per ea tempora ferè principatum habentes, tum ob Presbyterorum, quos ferè tunc erudiebant Monachi ſoli, delectum faciliorem. Itaque non paucæ donationes eius generis ſignatè cauent vt in Monachorum poteſtate ſit Presbyterorum electio, atque Eccleſiarum gubernatio, vt videre eſt in Priuilegio Eugenij III. & Godefridi iam expoſitis, & inferiùs in litteris Galteri Eduenſis anno cIↄcc. & Roberti Lingonenſis cIↄccxxxv. & aliis.

De Curia Abbatis Reomaenſis.

Pag. 212. CLVIII. *Iurauerunt quòd in Curia Abbatis iuſtitia ſtarent.*] Monachorum, atque omninò Eccleſiaſticorum in Laicos iuriſdictionem nouam & furtiua in Gallias vſurpatione inuectam quidam rerum Eccleſiæ non imperiti minùs, quàm inimici deblaterant, ferúntque impatientiſſimè tum aliam poteſtatem, tum ius gladij apud eos eſſe. Vſſit hæc eadem prurigo multò maximè ciues vrbium, quæ Monaſteriis ſuberant, ac cùm eorum plurimi iugum excuſſerint, tum pauci fuere, qui non idipſum omni arte tentarint. Exempla hac in re edidere in Burgundia Vizeliacen-

ſes, Cluniacẽſes, atque vt ex his tabulis intelligis Reomaenſes. Sed Chriſtiani Principes, vt poteſtates haſce liberalitate ſua, non furto ad Eccleſiam, Monachóſque peruenisse docerent repreſſis rebellionibus, opem illis frequentem præbuere. Sanè, vt vides hoc loco Hugonem III. Burgundiæ Principem rebelles Reomaenſes cautione iuratoria, & miniſtrorum ſuorum ſubſidiaria opera ad parendum iudicatis adigere. Ita Hugo IV. in tabulis anni cIↃccxxxv. emendare ſuos miniſtros iubet, quòd de latrone ſupplicium ſumpſiſſent intra limites Reomaenſium; & vxor eius poſterior Beatrix pro filio ſuo Huguenino anno cIↃccLxxvI. idipſum cauet Reomaenſibus in cauſa homicidij. Immo & ab Odone IV. Burgundiæ Duce ſupremam iuriſdictionem vrbis Curtis Morinæ vendicauit Guillelmus V. Abbas Reomaenſis ſentẽtiam ferente ipſo Ducis Bailliuo apud Alexienſes anno cIↃcccxxvI. Ac ne quis iſta exempla habeat inter recentia, cùm non ſint parùm antiqua, addimus eo antiquiſſimam eſſe in Monaſterij tabulis mentionem, Præpoſiti & Maioris Eccleſiæ Reomaenſis, qui ſanè ſine Curia & iuriſdictione non fuere, vt res ipſa conuincit. Nam tabulis anni cIↃcxLI. teſtes ſubſcribunt Bernardus Præpoſitus, & Lambertus Maior Eccleſiæ Reomaenſis, & biennio ante idem Lambertus. Nec dubium eſt, quin ſi antiquiores tabulæ ſupereſſent, non plura & clariora exempla liceret proferre. Nam obſeruatum eſt Francorum Reges hanc iuriſdictionem olim conceſſiſſe per ea priuilegia, quibus vetabantur Iudices publici Monachorum, vel Eccleſiaſticorum vicos, villas, curtes ingredi ad cauſas audiendas, aut functiones exigendas. Sic quippe conficitur tum ex aliis pluribus, tum ex tabulis Dionyſianis, in quibus poſtquã Carolus Magnus anno Regni xIII. innouauit priuilegia Dagoberti, Clodouei II. Pipini, omniúmq; anteceſſorum per verba his ſimilia, illicò Curiæ Abbatis, & Præpoſiti eius, & Aduocati in aliis tabulis, anno Regni Francici xIII. & Italici vIII. datis mentionem facit. Eodem exemplo multis pòſt annis Rex Robertus præceſſorum priuilegiis, quæ lapſu temporum nonnihil erant labefactata vim priſtinam reſtituens, iubet malefactores in Curia Abbatis ad ſatisfactionem exhiberi, vt patet in tabulis anni I. Regni eius, Indictione xI. qui fuit Chriſti DCCCCXCVIII. Si ergo ea vis fuit verborum priuilegij in Monaſterio Dionyſiano, non videtur ambigendum, quin hoc ipſum valuerint hæc verba Clodouei I. in priuilegio Reomaenſi. Nemo prædictas res inquietare audeat, nec in eorum vicos, vel villas, & cortes ad cauſas audiendas, nec ad manſiones faciendos, nec freda exactanda, nec vllas functiones requirendas ingredi præſumat. *Et mox.* Nec vllas requiſitiones, nec repetitiones, nec vllum impedimentum à Iudicibus publicis pertimeſcant. Et Clotarij I. anno poſt hæc xxI. nulláſque requiſitiones, nec nos, nec publici Iudices ab ipſo loco, vel à dominiis eiuſdem Monaſterij requiramus.

Quando ceſſerit Godefridus Epiſcopatu Lingonenſi.

Pag. 211. CLIX. *Ego Godefridus quondam Lingonenſis Epiſcopus.*] Diuerſitas fuit Scriptorum in anno, quo Godefridus Galtero Ducis Burgundiæ filio Epiſcopatum Lingonenſem ceſſit, annotando. Nam Albericus Monachus in Chronico ſic ſcripſit. Anno CIↃCLXI. apud Lingonenſes poſt Godefridum factus Epiſcopus Galterus Archidiaconus Lugdunenſis (ſcrib. Lingonenſis) & Epiſcopus Eduenſis. Confudit hunc Galterum cum Eduenſi, ratus, vt opinor, eum, aut ſimul, aut ſucceſſu temporis, vtroque honore potitum. Sed longè ab eo diuerſus fuit Galterus Eduenſis, qui non antè ſedit, quam alter hic Galterus Lingonibus præeſſe deſiiſſet. Verùm Chronicum breue S. Benigni de Godefridi ceſſione ſic habet. Anno CIↃCLXIII dimiſit Epiſcopatum Lingonenſem Godefridus, & Galterus filius Hugonis Ducis Epiſcopus factus eſt. Illud conſtat ex his tabulis deſiiſſe Godefridum præeſſe ante annum CIↃCLXV. quo eas dedit; ſed vereor ne ante annum ſuperiorem non deſierit; tum quia Alexander III. eo anno Epiſcopum Lingonenſem adhuc eum nominabat nulla, vt ſolet, adiecta nota deſitionis, tum quia eum ſtatim vt deſiit de reddendo hoc teſtimonio Reomaenſibus eſt veriſimile fuiſſe interpellatum, ne rei geſtæ memoria elaberetur. Cæterùm vſus eſt Godefridus ſigillo cui Epiſcopi ſellæ tapete inſtratæ inſidentis imago impreſſa librum apertum, atque vt ſolent legentes dextra erectum gremio ſuſtentabat. In ſiniſtra baculus Epiſcopalis, in Limbo nomen Godefridi Epiſcopi Lingonenſis viſebatur, vt aliquot huius Tabularij chartæ exhibent.

Quid eſſet Geſtium Ducum Burgundiæ.

Pag. 216. CLX. *Super Geſtio quod dicebam me habere.*] Ius Geſtij quædam tabulæ Latinæ efferunt ius Geſtæ, ſed Gallicæ conſtanter habent, *Droict de giſte,* quæ vox, vt notum eſt, ius exprimit hoſpitij ab aliquo exigendi. Frequens fuit hoc genus iuris apud Duces Burgundiæ, vt ex huius Monaſterij tabulis liquere poteſt, in quibus reperies non tantùm Hugonem tertium ceſſiſſe iure Geſtij apud Balaonem, & vrbem Reomaenſem, ſed etiam Odonem III. eidem iuri renunciaſſe apud Vineas, Barrum, & Ateias, quæ ſunt Reomaenſia ſuburbana. Rariùs id occurrit in aliis Prouinciis, eſt tamen eius mentio in tabulis S. Dionyſij Pariſienſis anni CIↃCCXVIII. vbi Monachi affirmant ſe in quadam domo Francouillæ habere Corueam, Giſtum Abbatis, & alias conſuetudines. Cæterùm an Geſtia eadem fuerint quæ Romanorum Metata, aut vetuſtiorum Francorum Manſionatica intelligi ex his poteſt. Inprimis quòd Geſtia non omnium vel Prouinciarum, vel locorum eſſent, ſed ad ſeruitutis, aut oneris modum locis peculiaribus, ac fundis impoſita. At Metata, vt loquuntur

quuntur Arcadius & Honorius l. 2. cod. de Metatis, in qualibet, vel nos ipſi vrbe fuerimus, vel in qua ij, qui nobis militant commorantur, conſtitui ſolebant. Et omninò in Epitome βασιλικῶν lib. LIV. tit. IV. cap. IV. ſic ſcribitur, τοῖς μετάτοις τῶν ἐπιδημούντων στρατιωτῶν ὑπόκεινται πάντες, καὶ ἔστι κτητικὴ λειτουργία. Metatis militum aduenientium ſubiacent omnes. Eſt enim ſeruitus bonorum. Deinde Geſtium debebatur etiam cùm bellum nullum à Principe ſuſceptum, nullus exercitus motus eſſet; at Metata, vt hîc vides, tribuebantur militibus, expeditionis cauſa aduentantibus. Vnde eſt titulus ille Codicis de Metatis & Epidemeticis, quam vocem malè accipere videntur Gloſſatores pro hominibus hoſpitia deſignantibus, cùm ſignificet dona aduentoria, quæ milites ἐπιδημοῦντες, ab hoſpitibus extorquebant, quæque Nouella cxxx. dici videntur introitus. Denique Manſionatica, aut Manſionatici, præter iura hoſpitij, complectebantur etiam expenſas in Legatos externorum Principum, aut Regni Optimates, ac Iudices faciendas, quæ proinde erant onera non eorundem ſemper, aut locorum, aut hominum. Qua ex re apparet eorum à Geſtiis diſcrimen, quæ vnius ſemper loci ac breuiſſimi fuere temporis. Ferè enim ſemel, aut bis tantùm in anno ius fuit Geſtij, atque, vt ſuſpicor, tum maximè, cùm venationis gratia regiones ſuas Principes peragrarent. Sanè Robertus Dux Burgundiæ Henrici I. Francorum Regis frater, in tabulis anni CIↃXLIII. huic iuri renuncians in gratiam Monaſterij S Germani Pariſienſis, ſic loquitur. Has omnes conſuetudines guerpiui, mei hoſpitalem ſuſceptionem, & canum meorum hoſpitalitatem, & pabulum, necnon caballorum meorum, cuſtodúmque eorum receptum, atque vini captionem. Hugo autem II. anno CIↃCXVI. cùm locum quendam, cui nomen Villare Benignianis apud Diuionem Monachis donaret, hanc addit cautionem. Retento, inquit, quòd in anno duabus vicibus apud Villare hoſpitarer. Odo item III. anno CIↃCCII. ceſſit Cluniacenſibus ius Geſtij, quo apud Fleureium hactenùs erat ſemel in anno potitus. Nec diſſimili iure Reomaenſes donarat Hugo III. parens eius, vt videbis in tabulis anni CIↃCLXXXIX. Quamlibet autem rarum eſſet hoc onus poſſeſſionum Monaſticarum, durum tamen fuit ac moleſtum multis ex cauſis. Inprimis, quòd non ſemper à donatoribus poſſeſſionum indictum, vt, quod nunc protuli Hugonis II. apertiſſimo iure ſubmixum; ſed quod crebrò vſurpatum, vel à Principibus, vel ab Aduocatis, ſeu Protectoribus Eccleſiarum. Deinde quod quacunque arte quæſitum, non tantùm tranſmitteretur ad hæredes, ſed etiam diſtraheretur venditione. Itaque Ioannes Comes Bleſenſis tum alia iura, tum Giſtum ſuum in Monaſterio Montis maioris Turonenſi Alphonſo Pictauienſi Comiti vendidit trecentis terræ libratis annui reditus, vt eſt in probationibus Hiſtor. Caſtellionenſis pag. LVII.

GGgg

IN RAINALDVM.

De domo S. Bernardi de Alpium iugis.

Pag. 217. CLXI. DOMVM *quandam S. Bernardi de Alpium iugis.*] Domum hanc ad S. Bernardum Clarauallenſem nihil attinuiſſe liquidò patet, cùm multò antè annum CIↃCLXXXII. conſtituta ex hoc loco intelligatur. Et Bernardus Claraua llenſis haud multò anteà cœlitum numero ſit aſcriptus. Dicata ergo fuit Sancto alteri Bernardo, qui multis ante Claraua llenſem annis ſanctitate floruit, ac nonnullis characteribus ab illo diſcernitur hiſce in tabulis. Primò enim dicitur de iugis Alpium; qui locus, quo in tractu eſſet, antiqui authores aperiunt. Liuius lib. XXI. de Annibalis in Italiam tranſitu diſquirens. Miror, inquit, ambigi quanam Alpes tranſierit, & vulgò credi Pennino, atque inde nomen etiam iugo Alpium inditum. Vbi aduertis Penninum montem, Alpium iugum vocitari. Quod imitatus Strabo lib. IV. ſic ait, διὰ τοῦ ποινίνου λεγομένου φέρεται κατὰ τὰ ἄκρα τῶν ἀλπίων, per Penninum tranſit circa ſumma Alpium. Itaque iuga, ſeu ſumma Alpium mons fuit Penninas, cui à Penno, ſeu Pennino Deo, cuius illic erat fanum, nomen factum, teſtatur ibidem Liuius. Eum verò non diuerſum ab illo, qui hodiéque dicitur Mons Iouis, inter Auguſtam Prætoriam, & Vallenſes, agnoſcitur ex Gotefrido Viterbienſi lib. XI. Per Alpes, inquit, Penninas, vbi mons Iouis nominatur, iter arripuit. Hoc ergo in monte domum habuit hîc S. Bernardus vir Eremita, cuius nomini ſacra Eccleſia illic etiamnum celebratur, longiſſimo terrarum interuallo à domo Claraua llenſi ſeiuncta. Secundò, Pennini huiuſce Bernardi ſectatores in hiſce tabulis Canonici fuiſſe dicuntur, quod nomen Claraua llenſibus non eſt conſentaneum, quos ſancti Benedicti inſtituta Monachis accenſendos docent. Vt mirum ſit Alpinum hunc Eremitam Bernardum, in recentiore etiam Calendario, locum inter Benedictinos Monachos reperiſſe XVII. Cal. Iunij. Tertiò, qui præfuit toti Ordini S. Bernardi Alpini nominatur in his tabulis Petrus Præpoſitus montis Iouis. At in Ordine Benedictino Abbates dicuntur, non Præpoſiti, qui ſummi ſunt familiarum Præfecti. Hinc liquet hallucinatum eſſe Arnoldum Vion, qui Monaſterium illud S. Bernardi Ciſtertienſibus attribuit. Non enim tantùm hæ tabulæ, ſed etiam illarum regionum Hiſtorici eum fuiſſe Canonicum Auguſtanum, ſibíque in Monaſterio illo, quod etiam eſt Xenodochium Canonicos ſubſtituiſſe Regulares autores fuere. Ita Munſterus in Coſmographia, ac res ipſa hodiéque teſtatur.

Cuiuſmodi eſſent his in locis iura Presbyterorum in peras peregrinorum, & oblationes ſponſorum.

CLXII. *Cum iure Presbyteratus quod tale eſt.*] Ius Presbyteri, qui præeſſet Eccleſiæ diſertè exponit in his tabulis Manaſſes Lingonenſis Epiſcopus; ſed non ſatis aperit an commune eſſet omnibus, vel illius Diœceſis Presbyteris, vel Galliæ totius. Illud hinc conſtat Piſiacenſis Eccleſiæ Presbytero ius fuiſſe primò in peras peregrinorum, non quòd ſuas ei peregrini tenerentur largiri, cuius rei nullum hactenùs occurrit mihi in antiquitate veſtigium, ſed quod ſtipendium, aut oblatio, quam ob peræ ac baculi benedictionem peregrini conferebant, ad ius illius pertineret. Id videlicet intelligitur ex tabulis Beſuenſibus anni cıɔxxxvı. Indict. ıv. Quidam, inquiunt, homo Otbertus nomine reddidit S. Petro Beſuæ fontis, quidquid reclamabat in Villa quæ Vetus-vinea dicitur, die ſcilicet qui Dominicus habetur, cùm in media Quadrageſima, *Letare Ieruſalem in voce exultationis*, ſacris concentibus ad Miſſas extollitur, vbi à Domino Olgero eiuſdem loci Abbate & Monachis peram peregrinationis ſimul & abſolutionem Romam profecturus ſuſcepit. Moris enim iam olim fuit, vt peras ac baculos Sacerdotis prece dedicatos peregrini domo exeuntes ſuſciperent, & extat eius dedicationis formula hodièque in Sacerdotali Romano, cui nonnihil diſparem alteram ex Olao Magno exhibet Gretſerus lib. ıı. de peregrinationibus cap. ıı. tertiámque ego legi in veteri libro Pontificali Bituricenſis Eccleſiæ ſcripto manu ei, quæ eſt in Sacerdotali penè ſimilem. In quibus licet aduertere, peras nunc capſellas, nunc ſcarpſellas, nunc ſacculos nominari. Sed antiquus liber Fuxenſis, non tantùm diuerſo à cæteris nomine ſportas vocat, ſed diuerſam etiam benedictionis formulam hactenùs non editam tradit in hæc verba. *Accipe hanc ſportam itineris tui in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti* †, *vt protectione illius ab omni malo defenſus ad locum deſtinatum peruenias, & opportuno tempore itinere tuo repetito ad propria reuertendo, ſuffragiis eius adipiſci merearis cuſtodiam. Accipe & hunc baculum itineris tui in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti* †, *qui famulo ſuo Tobiæ Angelum ſuum ducem & prænium præſtitit, ipſéque tibi Angelum pacis dirigat, qui te ad loca deſtinata perducat, ſitque comitatus tuus incundus, vt nullus viæ tuæ ſubrepat inimicus, procul à te ſint malignorum acceſſus, & comes dignetur tibi eſſe virtus Spiritus ſancti.* Secundò, ius fuit Presbytero Parochiano in oblationes ſponſi & ſponſæ. Nam moris olim fuit, vt Presbyter ſponſalibus interueniret, perinde ac nuptiis, non vt ſacrificaret, ſicut in nuptiis, ſed vt arras, & annulum ſolemni precatione ſacraret. Extat eius precationis formula in Sacerdotali Romano, ſed neſcio quo vitio cum actione Miſſarum confuſa. Eſt tamen veriſimile ſponſalia nec inter ſacra, nec in templo fuiſſe contracta, ſicut nec hodie contrahuntur. Ordo Ro- Pag. 118.

manus id inſinuat in formula benedictionis nuptiarum. Poſtquam, inquit, fuerit mulier viro deſponſata & legaliter dotata, introeat Eccleſiam, &c. In Capitulari Caroli Magni lib. VII. cap. CCCLXIII. Vxor petatur, & à parentibus propinquioribus ſponſetur, & legibus dotetur, & ſuo tempore ſacerdotaliter, vt mos eſt, cum precibus, & oblationibus à Sacerdote benedicatur. Nicolaus I. ad quæſita Bulgarorum cap. III. Poſt ſponſalia, inquit, quæ futurarum ſunt nuptiarum promiſſa fœdera, quæque conſenſu eorum, qui hæc contrahunt, & eorum, in quorum poteſtate ſunt, celebrantur, & poſtquam arris ſponſam ſibi ſponſus, & per digitum fidei annulo inſignitum deſponderit. *Et infrà.* Ambo ad nuptialia fœdera perducuntur, & primùm quidem in Eccleſia Domini cum oblationibus, quas Deo offerre debent per Sacerdotis manum ſtatuuntur. Græci ſponſalia, ſeu μνήστεια; in Eccleſia peragunt, vt conſtat ex Euchologio, omnéſque preces, quas vocant ἱερολογίας, ad ſponſum & ſponſam dirigunt; ſed ἀῤῥαβωνισμὸν, ſeu quod illi idem eſt δακτυλοδίσιον, nullâ prece ſanctificant, cùm Latinis contrarius ritus precum ſit vſitatus.

Iura item Presbyterorum in reconciliationes mulierum, & oblationes campionum, & alia.

Pag. 218. CLXII. *Reconciliationes mulierum, oblationes campiorum.*] Tertio loco inter iura Presbyteratus peculiaria cenſentur reconciliationes mulierum, quæ non ſunt accipiendæ de abſolutionibus à peccatis, vel reſtitutionibus pœnitentium, cùm hæc ſeorſim infrà recenſeantur à Manaſſe; ſed de purificationibus poſt partum. Mutuato enim ex lege antiqua ritu ſolemne iam olim fuit Chriſtianis mulieribus, vt ab Eccleſia ſeipſas quodammodo ſegregatas cenſerent poſt partum, & pietate magis, ac veneratione locorum ſacrorum, quàm vera vlla contaminatione ab iis abſtinerent. Itaque ſacerdotalis benedictio, qua reſtituebantur Eccleſiæ reconciliatio perinde eſt nominata, atque pœnitentium, vel apoſtatarum reſtitutio, quamlibet diſpar admodum eſſet illius, iſtorúmque cauſa. Eodem ſanè exemplo quo Eccleſia ac Cœmeterij poſt prophanationem expiatio, nomen reconciliationis iam olim inuenit. Ac Latinæ quidem Græcæque Eccleſiæ mos fuit, vt duplex mulierum à puerperio adhiberetur expiatio, altera primo die, altera quadrageſimo à partu. Prior ſordium illi omnium depoſitionem, & ægritudinum amolitionem apprecabatur, poſterior in ipſo Eccleſiæ aditu exceptam ad penetralia precando deducebat. Græci priorem καθαρισμὸν, poſteriorem ἐκκλησιασμὸν vocitabant, ſiue quòd mater Eccleſiæ redderetur, ſiue quòd fœtus cœtui fidelium tunc accenſeretur. Non deerant his expiationibus oblationes, quas Presbytero non Epiſcopo, aut alij ius in Eccleſiam obtinenti, proprias fuiſſe aſſerit in his tabulis Manaſſes. Quartò, eidem attribuit oblationes Campionum. Quæ res docet morem peruerſum ſingularis certaminis litium

finiendarum cauſa nondum eo tempore deſiiſſe. Campiones enim Gallis ſingulares fuere pugnatores, quorum vel expugnatio, vel victoria criminis probatio erat, vel depulſio. Interdixerat hoc genus probationis paulò ante hæc tempora Alexander tertius, cùm ab eo ne Clerici quidem abſtinerent, vt conſtat ex cap. Porrò. de Clericis pugnantibus in duello. Idémque interdictum ad Chriſtianos omnes extenderunt poſteà Cœleſtinus tertius, & Innocentius tertius Can. 1. & 11. de Purgat. vulgari, nec malo tamen viam præcluſere. Illud hîc quæro, nec facilè comperio quænam eſſet oblationum his Campionibus ratio. Non enim occurrit veſtigium vllum precationis eorum cauſa ab Eccleſia ſuſceptæ, atque illud venire in ſuſpicionem poſſe videtur alicui, eorum arma fuiſſe in Eccleſia dedicata iis precationibus, quæ hodiéque ſolent armis militum adhiberi. Sed lucem huic rei licet afferre ex his tabulis Beſuenſibus Odone Abbate poſt annum CIↃLIX. ſcriptis, Iſdem, inquiunt, Milo Balbus Tiliæ Caſtri Miles cum Odone Diuionenſi Præpoſito, qui neptem eius in coniugio habebat Monomachi certaturus pugna attribuit S. Petro terram, quam habebat in Luco propè atrium Eccleſiæ, quò ſibi adiutor in diſpoſito bello exiſteret, ex quibus patet oblationes impetrandę victoriæ cauſa à Campionibus factas. Quintò denique, addit Manaſſes iura complura, quæ Presbytero, & Epiſcopo, vel iis quibus Epiſcopus ea donaſſet ex æquo erant communia, nempe ſtipendia funebrium ſacrorum, quæ prima, triceſima, annali die fiebant, actionum item nuptialium, quæ olim non ſolùm prima, & triceſima, ſed etiã die, vt vocabant, genuina, id eſt natali fœtus, atque annua nuptiarum celebrabantur, vt in veteri Sacramentorum libro MS. legi; Confeſſionum prætereà iura, quæ feria IV. Cinerum, & Abſolutionum, quæ feria V. Cœnæ Domini fiebant. Baptiſmatum item non ſolùm oblationes, ſed etiam Denarius, & candela charitatis, quæ, vt puto, hoc nomen iuuenere, ne intelligerentur à baptizatis, eorúmve parentibus exacta, contra Can. XL. Synodi Eliberitanæ, vt hi qui baptizantur, nummos in concham non mittant, vel contra Cartaginenſem III. quæ pignora ab eis extrahi, vel contra Gelaſij decretum, qui pretia præfigi vetat. Denique iura decimarum, & Paſchalis Cerei ſunt aperta.

Ius cuſtodiæ rerum Eccleſiæ Principibus viris quodnam fuerit.

CLXIV. *In protectionem & cuſtodiam noſtram ſuſcipimus.*] Res & cauſæ Eccleſiæ eo ſemper magis obnoxiæ fuerunt iniuriæ, quàm ciuiles, quo minùs quàm iſtæ à poſſeſſoribus ſuis vel iure, vel vi, atque armis defendi contra rebelles, aut inuadentes potuere. Hinc ortum in Gallia maximè, & Germania, vt cum ſine Principum, potentiúmque virorum tutela, ac præſidio eſſe vix poſſent, eorum fidei multiplici nomine, vel mundiburdij, vel protectionis, vel aduocationis, vel cuſtodiæ, ſeu Pag. 120.

gardiæ fuerint commendatæ. Ac initio quidem fecit Principum pietas, & rerum Eccleſiæ tenuitas, vt ſaluti magis, quàm noxæ eſſet eorum protectio. Sed poſteaquam inuidioſa eſſe cœpit Eccleſiæ opulentia, vertere ſeſe in perniciem remedia, nec vlli fuere Eccleſiæ rebus grauiores aduerſarij, quàm qui nomine protectores. Sanè vt naſcenti huic Monaſterio Reomaenſi Clodouei primi, ita pluribus aliis in Gallia quæſitum eſt obnixè Regum mundiburdium, ſed gratuitum, ac minimè omninò oneroſum rebus Eccleſiæ. Neque enim vulgò occurrunt primis Francorum Regum temporibus priuilegia, quibus de facultate Eccleſiarum in protectionum remunerationem quidpiam decidatur; ſed cùm nihil aliud ſonent niſi Eccleſiarum immunitatem, tum duplici ferè genere continentur. Nam in aliis cauetur, ne vllius, niſi Regis protectioni, atque Aduocationi ſubſint, quod ſignificant verba Clodouei in Priuilegio huius Monaſterij. Tam nos, quàm noſtri ſucceſſores Reges teneant in omni defenſione, reclamatione, aduocatione, & immunitate, nullique vnquam dignitati; nullíque Eccleſiæ propter meritum tanti Patris ſubdatur. In aliis verò è contrà alterum, vel tertium ſibi Reges ſubſtituebant protectorem. Ita in Marculfo lib. 1. cap. xxiv. Propter malorum hominum illicitas infeſtationes ſub ſermonem tuitionis noſtræ viſi ſumus recepiſſe (Epiſcopum illum, vel Abbatem) vt ſub Mundeburde, vel defenſione illuſtris viri illius Maioris domus noſtri cum omnibus rebus præfatæ Eccleſiæ, aut Monaſterij, quietus debeat reſidere. Et ſub ipſo viro illo, inluſtris vir ille cauſas ipſius Pontificis, vel Abbatis, &c. tantùm in Palatio noſtro ſequi deberet. Verùm diteſcentibus ſenſim populorum liberalitate Monaſteriis, & Eccleſiis, perſuaſit etiam viris Principibus auaritia, vt protectiones non impenderent, niſi queſtuoſas. Itaque extant tabulæ anni CIↃXXXIII. quibus Gerardus vir primarius Vulferei curtem in Comitatu Solecenſi ſupra flumen Moſunam donat Monachis Diuionenſibus hac lege. Nihil, inquit, mei reſeruans ex omnibus præter Aduocati tutelam, quam retinui propter animæ meæ ſalutem, ſcilicet vt in rebus à me collatis prædictus locus ſemper haberet ex meis hæredibus tutorem, ac defenſorem, cuius tutelæ functionem cuidam noſtro fideli Gerardo nomine, quia mei memor erat, tali commendaui tenore, vt in prædicto alodo nihil requirat, nihil penitùs accipiat. Sed ſi fortè contigerit, vt humilitas, ac manſuetudo Monachorum à vaſſis, aut ab extraneis non poſſit iuſtitiam exigere, ſi Aduocatus fuerit ab eis accerſitus, & legalem de re, pro qua agitur exegerit emendationem, ipſe emendationis tertiam à Monaſterij miniſtris accipiat partem. Eodem operæ pretio datus eſt S. Maximino Treuerenſi Aduocatus, ab Henrico IV. Imperatore in tabulis illius Monaſterij anni CIↃLXV. Quidquid ibi, inquit, Aduocatus placitando aquiſierit, duas inde partes Abbas, tertiam ipſe habebit. Hinc fortè occaſio data Comiti Barrenſi, vt tertiam partem fundorum Monaſterij S. Michaëlis vſurparet, quod queſti ſunt Monachi apud

Miræus Donat. Belgic lib 1. cap. 20.

Du Cheſne in Hiſt Lucemburgicam.

Idem in Barroducenſi.

Eugenium III. circa annum cIɔcxLvII. Alia tamen etiam fuere Aduocationis pretia aliis interdum in Eccleſiis. Nam Balduinus V. Comes Flandriæ ſex denarios ſingulis hoſpitibus S. Vuinoci eo nomine indixit in tabulis anni cIɔLxvII. Et Vvillelmus Vergiacenſis Dominus Mirabelli cuſtodiam rerum Monaſterij Benigniani eſt nactus ab Odone Duce Burgundiæ, attributo ſtipendio ſolidorum LX. Diuionenſium in tabulis anni cIɔccxvIII. Vt non mirum ſit Philippum Auguſtum Franciæ Regem in tabulis hiſce Reomaenſibus, quæ partim donationem prædiorum, partim aduocationis ſeu cuſtodiæ ius continent, mediam ſibi partem prouentuum S. Andreæ Matiſconenſis expetiiſſe. Cæterùm, poſteaquam Cuſtodum, aut Aduocatorum potentia libertati, fortuniſque Monaſteriorum labem cepit afferre, aut leges illis ſeueræ à Principibus & fundatoribus dictæ, aut dignitas tãdem pluribus locis abrogata. Legum exemplar ſuppeditant tabulæ Comitis Palatini Henrici pro Monaſterio Lacenſi anno cIɔxcIII. quarum hæc eſt ſumma. I. Aduocatus ne in dotem, aut beneficium Aduocatiam tradat, quia non eſt hæreditaria. II. Ne Eccleſiæ ſubditos hoſpitiis, aliiſve præſtationibus oneret. III. Ne alium ſibi niſi Abbatis ordinarium Iudicem ſubroget in cognitione cauſarum. IV. Ne ad cauſas audiendas veniat, niſi à Monachis inuitatus. V. Honorifica illi de Monaſterio procuratio, ſumptúſque tribuantur, ſed non oneroſa. VI. Præcipuam ſibi à Deo remunerationem expectet. VII. Si Monaſterio, rebúſque eius violentus incubuerit, anathemate perculſus dignitate abdicetur..

Miræus Donat. lib. 2. cap. 25.

Du Cheſne in Hiſtor. Vergiacen. lib. 4.

Miræus Diplom. lib 2. cap. 25.

IN HVGONEM III.

Qui milites nondum erant ſigillo proprio non vtebantur.

CLXV. ODONIS *filij mei iam militis.* Et mox. *Odo filius meus id ſcriptum ſigillo ſuo muniuit.*] Hugo III. Burgundiæ Dux, non alia cauſa filium ſuum Odonem iam militem fuiſſe hoc loco meminit, niſi vt conſtaret ſigillo eius authentico, vtpote dignitate militari iam aucti munitas has tabulas fuiſſe. Videor enim mihi non temerè obſeruaſſe eum tunc in Burgundia morem fuiſſe, vt antè militarem dignitatem authentici ſigilli nemini ius eſſet. Nam inprimis in hiſce tabulis nulla eſſe videtur ratio, cur vtriuſque filij ſui Odonis & Alexandri aſſenſum interueniſſe, & tamen ſolius Odonis ſigillum appoſitum, Hugo teſtetur, niſi quòd Alexander miles nondum erat, Odo iam erat. Deinde clara eſt huius moris expreſſio in tabulis Hugonis IV. qui filius fuit huiuſce Odonis. Iuraui, inquit, dictis Diuionenſibus, quòd quando ad militiam promotus fuero eis præſentes litteras innouabo, & eo ſigillo, quo miles

Pag. 121.

vt ſigillabo, & tradam ſigillatas. Addit ſe his tabulis anni CIↃCCXXVIII. ſigillum ſuum appoſuiſſe. Ex quo conficitur eum ita caruiſſe ſigillo, vt tamen aliquo vteretur, quod explicandum videtur ex aliis tabulis anni CIↃCCXLVI. in quibus Henricus Vergiacenſis ita loquitur. Quia aliud ſigillum tunc non habebam contraſigillo meo, quo vtebar pro ſigillo, præſentes litteras feci ſigillari, promittens per præſtitum iuramentum, quòd quotieſcunque ſigillum authenticum habuero, præſentes litteras, vel ſimiles de ipſo faciam ſigillari. Sanè ſigillum authenticum illud, vt opinor, fuit, quo viri illi primarij ita exprimuntur armis inſtructi militaribus, ſublimíque inuecti equo familiæ inſignibus ferè inſtrato, aut ſaltem diſtricto dextra gladio ſcutũ gentilium inſignium ſiniſtra præferentes, vt pugnantium habitum, geſtúmque referant. Omninò in hiſce tabulis Reomaenſibus duo pendebant ſigilla, alterum Hugonis III. equo non inſtrato inſidentis, ſed exſerto dextra gladio, ſcutóque Burgundiæ inſignibus picto ſiniſtram protegente. Contraſigillum ciuitatis imaginem habebat. Limbus erat S. Hugonis Ducis Burgund. & Albon. Comitis. Alterum ſigillum erat Odonis item Equitis, cui erant in ſcuto Burgundiæ inſignia, limbus fractus contraſigillum nullum.

Quid eſſet quod Clarembaudus & Guido de Noers ſocietate, aut ſcriptura in Regula donati.

Pag. 215. CLXVI. *Audito eius obitu, & comperto nomen eius in Regula cum nominibus fratrum ſcribetur.*] Fuit familia de Noers, vel de Noyers, vel de Nuceriis vna è Burgundicis nominatiſſima, cui nomen fecerat opidum de Nuceriis in tractu Autiſiodorenſi haud procul à ditione Reomaenſi. Ea in familia clari fuere Clarembaudus, Guido, & Hugo fratres Milonis II. filij, qui duabus hiſce tabulis ſigilla ſua appendere. Clarembaudus, & Guido in re militari inſignes, Hugo Epiſcopus fuit Autiſiodorenſis hoc tempore, ſed ad Senonenſem Metropolim poſtmodum poſtulatus. Clarembaudus ſeruitia aliquot Reomaenſibus largitus his tabulis, primò admittitur ab Abbate in ſocietatem orationum & benefactorum: quod ferè ſignum erat eo æuo eorum, qui Eccleſiis eleemoſynas impertirentur. Hugo I. Dux Burgundiæ in tabulis anni CIↃLXXV. pro Benignianis Diuionenſibus. Accepta, inquit, ab eis ſancta ipſorum ſocietate bonorum prolata, & coram nobis relecta priuilegia manu propria firmauimus. Hugo III. Burgundiæ Dux in tabulis, quibus Diuionenſem
Miræus Donat. lib. 4. cap. 70. Capellam inſtituit. Statuo, inquit, & poſteritati meæ in ſalutem ſuam mando, vt quàm cito quis dominium Ducatus ſuſceperit, ſtatim tanquam felix operum ſuorum initium adeat Eccleſiam ſuam, & conſortium ſpirituale Canonicorum ſuorum recipiat. Ita ille anno CIↃCLXXII. Vvillel-
Item lib. 2. cap. 63. mus Audomarenſis Caſtellanus in tabulis anni CIↃCLXXXVI. iura quædam ſua, & coniugis Idæ donare ſe memorat Monachis Andrenſibus, & addit.

dit. Abbas verò & Conuentus ſuſcepit nos in ſocietatem beneficiorum Eccleſiæ. Secundò, tam ipſe, quàm Guido frater, ob eleemoſynam non diſſimilē obtinet ab Hugone Abbate officiū, quale de profeſſo Monaſterij Reomaenſis ſolebat fieri, quòd præter ſacrificia ſolemnia, & precationes pro defunctis in die obitus tricena etiam priuata ſacrificia, totidémque diebus pauperi diarium impertiri iubebat, vt infrà annotabimus. Tertiò, Guidoni priuatim conceditur, vt nomen eius ſcribatur in Regula. Solemne enim fuit, vt in Monaſteriorum Capitulis liber proſtaret, in quo deſcripta eſſet inprimis S. Benedicti Regula, tum Calendarium, deinde Martyrologium; atque extremo loco Catalogus Monachorum obeuntium, ac benefactorum, quibus anniuerſaria ſacra impendenda eſſent. Erat ergo ſcribi in Regula, Catalogo illo contineri alicuius nomen. Vvillelmus Caſtellanus Audomarenſis, & Ida eius vxor ſic accepere in citatis tabulis. Promiſit nobis, quòd poſt obitum noſtrum anniueſaria tam pro me, quàm pro vxore mea, & filio ſcribentur in Regula, & fient in Eccleſia in perpetuum.

Eleemoſynæ tabulæ cur Petro S. Benigni Abbati datæ in manum, vt chartam faceret in Hugonis gratiam.

CLXVII. *In manu noſtra poſuit, & vt chartam faceremus poſtulauit.*] Pag. 127.
Erat, vt vides in his tabulis, Petrus huius nominis tertius Abbas ſancti Benigni, Vicarius Lingonenſis Epiſcopi, quòd alibi proditum non comperi; éſtque haud vulgaris exempli; nam etſi vſitatiſſimum olim fuit, vt Epiſcoporum vices in Conciliis gererent Abbates, non tamen vt in dicendo Eccleſiis iure, earúmque moribus componendis. Quanquam Interpretes Canonum negant quidquam vetare, ne Epiſcopi Vicarius fiat Monachus, vel Clericus regularis, cùm colligant id eſſe interdictum ſectatoribus S. Franciſci, ex tit. de Clerico ægrotante in ſexto. Sed cauſa interceſſit, peculiaris, vt Epiſcopi vices Abbati Benigniano tribuerentur. Nam eo qui hiſce in tabulis notatur anno Ieroſolymitanam expeditionem ſuſceperat cum Hugone III. Duce Burgundiæ Manaſſes Lingonenſis Epiſcopus, & ſuaſerat ei ratio, vt Abbati Benigniano, qui primariam in Eccleſia Burgundiæ gerebat dignitatem, vices ſuas potiùs, quàm alij attribueret. Cæterùm, moris tunc vulgati fuit, vt qui Eccleſiis eleemoſynas iuráve quæpiam cederent, vel eius ceſſionis ſcripta in manum viri grauis, ac ferè Magiſtratum gerentis darent, qui Eccleſias mitteret in poſſeſſionem, vel ea ipſi Altaribus imponerent Eccleſiarum. Declarant priorem ritum Marculfus lib. 11. cap. 1. Inſtrumenta, inquit, Epiſcopo præ manibus tradidi. Quibus videlicet Xenodochij, aut Monaſterij fundatio contineretur. Tabulæ anni ciↄcxiii. Vuarpiuit itaque ipſe Hugo in manu Domini Stephani Epiſcopi hanc querelam videlicet de iure ad quandam annonam Flauiniacenſibus reſtituto. Poſteriorem ritum habes Hiſt. Vergiac. lib. 3. Ibidem.

in tabulis anni CIↃCCLXXIII. Intrauit, inquit, in Eccleſiam ante maius Altare librum ferens in manibus obtulit Domino omnia ſupraſcripta, poſuitque librum ſuper Altare oſculans illum. Et in tabulis anni CIↃXCVI. Super ſanctum Altare ipſius S. Martini, quod eſt principale coram cũctis qui aderant donum miſit. Denique quòd additur hoc loco ſcriptum id genus in manu poſitum Petri Abbatis, vt chartam faceret, id non obſcurè exprimit non fuiſſe quaſlibet tabulas in chartarum numero, ſed eas tantùm, quæ ſolemni teſtium ſubſcriptione, publicive Magiſtratus ſigillo eſſent inſtructæ. Anno CIↃXXXIII. cùm ſigillorum vſus præter Reges & Epiſcopos rarus apud Gallos eſſet, Comes Gerardus ſolemnitatem chartæ ſic deſcribit. Publicè, inquit, ac legaliter facta, meâ propriâ manu, multorúmque virorum illuſtrium conſiſtit roborata. Et anno CIↃXXIII. hæc charta ſtabilis permaneat multorum atteſtatione, & ſtipulatione ſubnixa. Non aliam ſolemnitatem huic chartæ adiicit Petrus Abbas. Longè tamen anteà vſus erat, vt atteſtationibus adiiceretur ſigillum circa annum CIↃL. Manaſſes Comes Giſnenſis. Chartam, inquit, ipſam ſigillo noſtro, & Baronum meorum teſtimonio ſignari curauimus, & alij crebrò.

Hiſt. Montmor. lib. 2.

Donat. Belgic. libro 1. cap 20.

Hiſt. Vergiacæ lib. 3.

Donat. Belgic. lib. 1. cap. 53.

Cur ſe Abbatem vocet Dei gratia Hugo III.

Pag. 128. CLXVIII. *Hugo Dei gratia.*] Fecerant liberæ electiones, & Pontificiæ exemptiones, vt horum temporum Abbates, ſe Dei ſolius gratiâ conſtitutos cenſerent, atque inter dignitatis titulos hunc etiam annumerarent. Itaque Petrus Benignianus in ſuperioribus tabulis ſe quoque Dei gratiâ Abbatem appellabat. Neque verò hoc primùm ſæculo natus eſt hic ſenſus, cùm anno iam CIↃXXX. Gandenſis Abbas S. Bauonis ſic ſcriberet. Orginæ Comitiſſę Othelboldus gratiâ Dei Abbas, & annis pluſquam centenis antè Abbas S. Galli; Chriſti fauente gratiâ Harmotus Abba, &, Chriſti diſponente prouidentiâ, aut, largiente clementiâ Crimaldus Abba. Verùm ij, qui amantiores erant humilitatis religioſæ, non facilè comperiuntur hoc vſi ſermone. Neque enim vel Cluniacenſis vllus, vel Bernardus Claræuallenſis, vel Gofridus Vindocinenſis, vel Lupus Ferrarienſis id ſibi vſquam tituli arrogarunt. Nam ſiue eâ voce ſignificetur Præfecturam Deo ſoli debitam, ſubditamve eſſe, ſiue Monaſterio beneficium à Deo impertitum, quòd vir talis fuerit Præfectus, ſiue Abbati gratiam à Deo factam, quòd ſit Præfectus, non poteſt non aliquid continere ſenſus, quàm humilitatem religioſam deceat, ſublimioris, cùm id de ſeipſo Abbas profitetur, qui nec ſatis verè poteſt affirmare ſupremum ſibi ius eſſe, vel ſacrarum, vel temporalium rerum ſui Monaſterij, nec ſatis demiſsè ſua in Monaſterium merita iactare, nec ſatis tutò Præfecturam, quæ grauiſſimum onus eſt pro diuino fauore habere. Itaque ſapientiſſimi quique, & ſi aliis hunc titulum tribuunt, nunquam ta-

Miræus Donat. lib. 1. cap. 19.

Rerum Alemannic. part 2. cap. 70. 71. 74.

men ſibi, dignum videlicet rati, vt de aliis ſentiant, quod de ſe non auſint. Ita Hildebertus Cenomanenſis Pontium Cluniacenſem; S. Bernardus, & Sugerius Petrum venerabilem; Petrus Cellenſis Hugonem III. & alij alios gratiâ Dei Abbates compellantes merita, dignitatémque in aliis, quàm de ſeipſis non iactaſſent prædicauere. Quamobrem ſuſpicari licet has voces pluribus Abbatum chartis, actiſque publicis non tam illorum, quàm pragmaticorum vſu, ac inſtituto inuectas, dum Abbates inducunt de ſeipſis eo loquentes modo, quo ipſi pragmatici ſibi de illis ſentiebant loquendum. Quanquam videri etiam poſſit has voces à Librariis in antiqua interdum ſcripta ex ſui ſæculi moribus intruſas, ita ſuſpicor in epiſtolam Aunarij Autiſiodorenſis, quam refert Erricus in præfatione vitæ ſancti Germani, inſitas fuiſſe illas voces, *Gratiâ Dei Epiſcopus*. Vix enim antè ſecundam Regum Franciæ ſtirpem, aut Reges ſupremam poteſtatem rerum ciuilium, aut Epiſcopi rerum ſacrarum his verbis expreſſerunt. Sanè & Epiſcopi, & Abbates aliqui inuidiam tituli præclarè aliquando emollierunt, aut potiùs ſunt interpretati, dum ſe permiſſione, aut conceſſione Dei Epiſcopos, vel Abbates dixere. Illa vox fuit egregia in his tabulis Reomaenſibus anno cIↃcccxxi. Hugo Dei patientiâ Lingonenſis Epiſcopus. Et in Donationibus Belgicis lib. 1. cap. civ. Nicolaus Dei patientiâ dictus Abbas in Tongerlo. Cæterùm, quam permutationem hîc inſtituit Hugo Abbas Reomaenſis, ea inita eſt cum Hugone Vergiacenſi, qui ſocer fuit Odonis III. Ducis Burgundiæ, extremúſque potitus eſt Caſtro Vergiacenſi. Verùm Caſtrum vetus, de quo hîc agitur, nihil pertinet ad Vergiacum, ſed eſt locus Reomao vicinus ad fluuium Serenum, ſicut & Valonæ hodie *Balnoy*.

IN HVGONEM IV.

De contractu inuadiationis cum Hugone inito.

CLXIX. INVADIAVIT *Eccleſiæ S. Ioannis Villam.*] Inuadia- Pag. 232.
tiones vſum habuere per hæc tempora vulgatiſſimum, noménque ex eo duxerunt, quòd neſcio quâ ſæculi barbarie vadium pro pignore tunc vſurparetur, vt videre eſt in Canone Remenſi, qui refertur, De Pignoribus cap. 1. Nullus, inquit, Presbyter præſumat Calicem, vel Patinam, vel veſtimentum Sacerdotale &c. in vadium dare. Erat itaque inuadiatio idem quod in vadium, ſeu pignus datio. Intelligimus verò ex his tabulis Hugonis Abbatis inuadiationem non fuiſſe diuerſam à contractu Gageriæ. Nam ſubditur extremis tabulis. Hanc autem Gageriam laudauit Flandina vxor eius. Porrò contractus huiuſmodi eo diuerſus fuit ab hypotheca, & contractu cenſuali, quòd in his fundus apud

Dominum remaneret quamlibet extraneo obligatus, & pro ſumma quapiam pignore oppoſitus. At in Gagetia ſeu inuadiatione tradebatur fundus, aut res mobilis in manum eius, qui pecuniam dabat mutuam, vt fructibus eius potiretur, donec ſolutio mutui repræſentaretur, quod licitum non fuit, niſi fundus eſſet de feudo mutuantis, aut alias illi vtilis. Sanè hanc legem fuiſſe inuadiationis, vt fundus oppigneratus mutuanti traderetur, liquet ex verbis veterum tabularum, quæ teſtantur excommunicatum fuiſſe eum, qui res ſuas poſt inuadiationem occupaſſet. Hugo inquiunt, de Capella pro eo quòd decimam quandam, quam Eccleſiæ S. Martini de Campis pro xx. libris inuadiauerat, iniuſtè occupauit, ſententiam excommunicationis incurrerat. Et in aliis tabulis. Gualeranus Dominus Caſtelli Britulienſis culpam ſuam recognoſcens reddidit quidquid iuris in Vicecomitatu per villas Eccleſiæ habebat, quòd Ambianenſis Eccleſia de patre ſuo Euerardo pro xx. libris Beluacenſis monetæ in vadimonium tenebat. Deinde id etiam iuris fuiſſe, vt creditor fructus Gageriæ, ſeu rei in vadimonium datæ acquireret, docet Innocentius III. collectione tertiâ Decretalium cap. 1. de Feudis. Gageria, inquit, quam tu apud Argentinam à Nantelino dignoſceris repetiſſe Gaudefredi fratris eius accedente conſenſu, à te poteſt liberè retineri, fructibus non computatis in ſortem Ita videlicet, vt quandiu fructus illos perceperis in ſorté minimè computandos idem Nantelinus à ſeruitio, in quo tibi, & Eccleſiæ tuæ pro ipſo feudo tenetur, interim ſit immunis. Denique iuris fuiſſe, vt fundus in Gageriam, aut vadium datus de feudo eſſet mutuantis, vnde aliqua ante pignorarionem ad illum vtilitas perueniret, quæ fructibus fundi ex cõtractu inuadiationis percipiendis poſſet æquari, intelligi poteſt ex duobus argumentis: alterum eſt quòd omnes Canones, qui eum licitum eſſe declarant diſertè cauent, vt fundus pignori oppoſitus ſit mutuanti feudalis. Alexander III. Abbati S. Laurentij ſic reſcribit C. Conqueſtus, de Vſuris. Si terram titulo pignoris detinetis, & de fructibus eius ſortem veſtram recepiſtis, prædictam terram memorato Clerico dilatione & appellatione ceſſante reddatis, & in pace ac quiete dimittatis, niſi fortè terra ipſa de feudo fuerit Monaſterij veſtri. Nititur hæc exceptio terræ feudalis ratione, quam inſinuat Innocentius III. citatus cap. 1. de Feudis. Ita videlicet, inquit, vt quandiu fructus illos acceperis in ſorté minimè computandos, idem Nantelinus à ſeruitio, in quo tibi, & Eccleſiæ pro ipſo feudo tenetur, ſit immunis. Fiebat enim, vt pignoris fructa merito cederent directo Domino, ita mutuum danti, non ratione mutui, quæ fuiſſet vſura, ſed ratione ceſſantis ſeruitij. Hanc ob rem tabulæ iſtæ Hugonis diſertè exprimunt eum qui Villam hoc contractu oppignerabat agnouiſſe coram Epiſcopo Sueſſiacum eſſe de feudo Reomaenſis Eccleſiæ. Et infrà in tabulis anni CIↃCCII. Idem profitetur eam fuiſſe de Caſamento eiuſdem Eccleſiæ, nouámque pecuniæ, atque annonæ acceſſionem ad fructus, vt opinor, peræquandos accipit. Deci-

Hiſt. Drocenſis lib. 1.

Ibidem

mo tandem pòſt anno liberi eius idipſum tabulis authenticis coram Aalide Ducиſſa Burgundiæ Odone Duce & Epiſcopo Eduenſi Galtero ſunt conteſtati, Villámque Sueutiacum Eccleſiæ proprietati refuderũt. Alterum argumentum eſt, quòd contractus omnes quibus fundus, aut quidpiam aliud ita oppignerabatur, vt fructus eſſent creditoris, dum ſolutio differretur velut vſurarij reſciſſi ſunt iure Canonico, fructibus in ſortem computatis. Ita C. Quoniam. De vſuris & in Collectione 1. cap. Ex tranſmiſſa, eodem. Sed diſertiſſimè Alexander III. ex Concilio Turonenſi. Plures, inquit, Clericorum, & quòd merentes dicimus, eorum quoque, qui præſens ſæculum profeſſione vocis & habitu reliquerunt, dum communes vſuras, quaſi manifeſtiùs damnatas exhorrent, commodantes pecuniam egentibus poſſeſſiones eorum in pignus accipiunt, & prouenientes fructus percipiunt vltra ſortem. Idcircò generalis Concilij decreuit autoritas, vt nullus à modo conſtitutus in Clero vel hoc, vel aliud genus vſuræ exercere præſumat. *Et mox.* Si ſortem ſuam deductis expenſis ex fructibus iam percepit, abſolutè poſſeſſionem reſtituat debitori. Exceptionem tamen extremo adiicit. Niſi fortè, inquit, Eccleſiæ beneficium fuerit, quod redimendum ei hoc modo de manu Laici videatur. Quæ exceptio docet hunc contractum, & iure ab Hugone initum, & meritò à Galtero Eduenſi Epiſcopo ratum habitum.

IN GVILLELMVM II.

De donationibus Clarembaudi de Cappis & Gentilium eius.

CLXX. IDcircò *Dominus Clarembaudus Capparum.*] Cappæ Trecenſis tractus oppidum nomen fecit huic familiæ, quæ non tantùm apud Remenſis Campaniæ Comites, ſed etiam apud Duces Burgundiæ opibus, ac dignitatibus celeberrima fuit. Amauit ea familia nomen Clarembaudi. Nam anno ciɔcxiv. duo Clarembaudi de Cappis obſeruati ſunt in Commentario quodam Guiterij Abbatis tertij ſancti Lupi Trecenſis, quem refert Camuzatus, vbi ſic legitur. Comites multis temporibus Abbates S. Lupi fuerunt, & datores præbendarum, & poſt Comites, Caſtellani de Cappis vſque ad Clarembaudum virum Aalidis, patrem Clarembaudi Leproſi. Ab iſto namque Petrus de Mateio Præpoſitus S. Lupi vir pius, & ſimplex data multa pecuniæ ſumma donum præbendarum redemit, & ab omni ſubiectione Domini de Cappis totam Eccleſiam conſilio, & auxilio Comitis Hugonis, à quo Cappenſes tenebant, emancipauit. Extat ibidem ceſſio iuris omnis, quòd hæreditaria, vt Clarembaudus loquitur, ſucceſſione in S. Lupi Eccleſia ſibi vendicabat, quam de matris, fratris, ac filiorum conſenſu abs ſe fa- Pag. 237.

ctam teſtatur. Fratrem non nominat, ſed conijcere licet Galterum fuiſſe, cuius nepos triceſimo circiter pòſt anno teſtimonium dicit in tabulis Monaſterij Ripatorij his verbis, Hugo de Cappis nepos Galteri. Eſt in eiſdem tabulis crebra mentio alterius Clarembaudi de Cappis, qui filius, vt opinor, fuit prioris, & Leproſus ſuprà eſt appellatus, quòd fortè annis vitæ extremis in eam inciderit calamitatem. Nam priori ætate coniunx illi tribuitur Matildis in tabulis Hattonis Epiſcopi Trecenſis poſt annum Chriſti CIↃCXXII. Clarembaudus, inquiunt, de Cappis laudante Matilde vxore ſua dedit eis nemus. Diuerſus ab eo fuit is Clarembaudus, quem Reomaenſes, quas primo loco poſui, tabulæ memorant. Nam vxorem eius nominant Hermengardin. Ab hoc verò diuerſus quoque fuiſſe videtur is, qui in tabulis ſecundo loco poſitis fratres ſuos appellat Galterum & Vidonem. Nam huic coniugem fuiſſe Heliſſendin teſtatur filius eius Clarembaudus è Ieroſolymitana peregrinatione redux anno CIↃCCV in tabulis, quas retulit Camuzatus, hiſce verbis. Hæc omnia laudauerunt, & conceſſerunt Heliſſendis mater mea, & liberi ſui. Addit. Cùm itaque, Domino proſperante, de tranſmarinis partibus fuiſſem regreſſus, ſupradicta omnia &c. ad preces Dominæ Comitiſſæ, & Domini Ogerij de ſancto Cautano, & Domini Guidonis de Cappis auunculi mei, &c laudaui & conceſſi. Vides enim Clarembaudo patri huius Clarembaudi reducis, & fratrem fuiſſe Guidonem, vt notarunt tabulæ Reomaenſes poſtremæ, & coniugem Heliſſendin. Vt fatendum ſit intra annos circiter centenos quinque fuiſſe eadem in familia Clarembaudos, niſi fortè eorum aliqui ſæpiùs fuere coniugati. Verùm nullus fuit celebrior eo, qui extremo loco eſt nominatus. Nam cùm anno CIↃCXCVIII. in Palæſtinam expeditionem ſuſcepiſſet cum Guidone patruo, aliiſque è Campania ac Burgundia pluribus, vt ſcribit Godofridus Villaharduinus, captâ Conſtantinopoli reuerſus in Galliam adfuit cum Guidone, Philippo Auguſto Franciæ Regi in iis, quas ſuſcepit expeditionibus, vt Catalogi eius militares, quos habet Hiſtoria Normannica retulere; ac deinceps inter Primates Hugonis IV. Burgundiæ Ducis, pueritiæque illius tutores eſt annumeratus, vt aliquot Aalidis Duciſſæ matris illius tabulæ in Hiſtoria Burgundica inſinuarunt.

IN GVIDONEM II.

De conceſſo Capellano priuatæ Capellæ.

Pag. 139. CLXXI. **P**OTEST *habere proprium Capellanum.*] Refugere perdiu mores Eccleſiæ priuatos Sacerdotes, qui ſacra in domeſticis Oratoriis facerent. Ambigi enim poſſe videbatur, an in illos non ca-

deret Concilij Calcedonenſis interdictum, quo cautum erat, ne quis ἀπολελυμένως conſecraretur, cùm iſti neque ad Eccleſias, quæ plebem haberent, neque ad Monaſteria, neque ad Martyria eſſent ordinati. Sed poſteaquam priuatorum agri, & domus Eccleſiis priuatis, aut Oratoriis cœperunt frequentari, inualuit conſuetudo, vt priuati paſſim Presbyteri conſecrarentur, nefáſque eſſet Epiſcopis conſecrationem illis recuſare. Ita ſancitum videmus in Capitularibus Caroli Magni lib. 1. cap. xc. Statutum, inquit, eſt, vt ſine autoritate, vel conſenſu Epiſcoporum Presbyteri in quibuſlibet Eccleſiis, nec conſtituãtur, nec expellantur. Et ſi Laici Clericos probabilis vitæ, & doctrinæ Epiſcopis conſecrandos, ſuíſque in Eccleſiis conſtituendos obtulerint, nullâ qualibet occaſione eos reiiciant. Verùm, quia ex priuatis hiſce Sacerdotibus, atque Oratoriis nonnihil redundabat detrimenti in matrices plebium Eccleſias, dum oblationes ac munificentiæ hominum eo ex parte deriuabantur, more ſubinde fuit receptum, vt matrices Eccleſias Capellarum id genus Sacerdotes præſtarent indemnes, atque ante conſenſum Presbyterorum, qui matricibus præerant, ſacra facere in Oratoriis non auderent. Extant eius indemnitatis exempla in Eccleſiarum tabulariis non pauca, vt videbis apud Camuſatum in litteris Heruei Trecenſis Epiſcopi anno CIↃCCXXII. & in hoc Reomaenſi infrà in litteris Guidonis anno CIↃCCXXVII. Sed quia Eccleſiarum matricum detrimenta quoſdam Epiſcopos non vehementer quandoque afficiebant, data eſt opera à Monachis, & Abbatibus, vt Pontificiis priuilegiis ſtatueretur, ne in Eccleſiis quæ ipſis ſubeſſent fas eſſet Capellas, aut Oratoria, inuitis earum præſidibus excitare. Cuius priuilegij exemplum habes in litteris Lucij III. Dionyſiano Monaſterio conceſſis anno CIↃCLXXXIII. Inhibemus, inquit, inſuper vt infrà fines Parochiarum veſtrarum nullus ſine Diœceſani Epiſcopi, & veſtro aſſenſu Capellam, vel Oratorium ædificare præſumat. Cæterùm, quæ hoc loco cum Guidone de Cappis conuenta fuere, ea multis poſt hæc modis fuerunt immutata. Nam cùm omnes oblationes matrici Eccleſiæ hoc loco reddantur, actum eſt quarto ab hinc anno, vt pars earum Sacerdotis Oratorij eſſet compenſatio aliunde Parochi, Abbatíſque detrimento; vt infrà leges.

De redemptione decimarum de manu laïca.

CLXXII. *Medietatem decimæ titulo Gageriæ poſſidebant.*] Decimas Eccleſiaſticas Laïcis ex cauſa graui attribuere, vel feudo, vel pignore, vel alio ſi fortè nomine moris olim fuerat ab iis, vt quidam autumant, temporibus, quibus ſuſceptæ primùm fuere expeditiones contra Saracenos Ieroſolymitanam ciuitatem occupantes. Nullis enim tunc facultatibus parcebatur, vt locorum ſacrorum iniuriæ vindicarentur. Suſpicor tamen altiùs eſſe repetendam eius moris originem. Nam Vrbanus II. in- Pag. 240.

Claromontano Concilio, vbi expeditionum illarum iacta ſunt fundamenta, ſic ſanciebat de decimis, quæ poſſidebantur à Laicis Can. xix. & xx. Ne Laïci decimam partem de laboribus ſuis retineant & ſicut nec debet retinere, ita nec accipere; vnde & interdictum eſt omnibus Laicis, ne ampliùs Altaria, vel Eccleſias ſibi retineant. Quòd enim Eccleſias, vel Altaria, id eſt ius decimarum, aut oblationum retineri prohibet à Laicis ampliùs, id argumento eſt ante ea tempora ſolitos fuiſſe Laicos eas retinere. Non deſunt qui ad Carolum Martellum reuocent eius moris originem, rati eum pulſis Gallia Saracenis decimas Eccleſiaſticas militibus condonaſſe, quod ex vetuſtis autoribus non ſatis liquet. Illud ſanè ambiguum non eſt inde à Gregorio VII. magnoperè interceſſiſſe Pontifices, ne Laicis attribuerentur decimæ. Nam ipſius eſt Canon Romani Concilij quinti VII. Decimas quas in vſum pietatis conceſſas eſſe Canonica autoritas demonſtrat, à Laicis poſſideri Apoſtolicâ authoritate prohibemus. Siue enim ab Epiſcopis, vel Regibus, vel quibuſlibet perſonis eas acceperint, niſi eas reddiderint ſciant ſe ſacrilegij crimen committere. Sancitus eſt hic Canon anno Chriſti cIↃLXXVIII. cui ſimilis fuerat decennio ante Coyacenſis in Hiſpania III. poſteà Remenſis Leone IX. præſide Auguſtanus haud multò antè IX. Engilenhennenſis IV. VIII. & IX. Rauennatenſis X. Metenſis II. Atque ante hos omnes Moguntinenſis V. anno DCCCLXXXVIII. & anno hunc antecedente Colonienſis IV. Antè hos Canones rara fuit de hac decimarum à Laicis vſurpatione querela inter Epiſcopos. Nam Carolo Caluo rerum potiente de Monaſteriis potiùs, aut prædiis Eccleſiæ vſurpatis, quàm de decimis queſti ferè comperiuntur. Vt coniici poſſit hanc labem duxiſſe initium ab ea rerum perturbatione, quæ regnantibus eius filiis ac nepotibus in Gallia obtinuit. Cæterùm, hoc loco Guido Reomaënſis decimas redimit, nullo Epiſcopalis autoritatis interuentu, contra ſcitum, vt videri poſſet, Concilij Lateran. Alexandro III. Præſide cap. ix. quod ſic habet. Eccleſias ſanè & decimas de manu Clericorum, ſine conſenſu Epiſcoporum, tam illos, quàm quoſcunque alios Religioſos recipere prohibemus, dimiſſis etiam, quas contra tenorem iſtum moderno tempore receperunt. Verùm id ſcitum de iis tantùm decimis capiendum, quæ olim eſſent conceſſæ Laicis in feudum interpretatus eſt Innocentius III. cap. vii. De iis quæ fiunt à Prælatis ſine Conſen. Capitul. & Alexander IV. cap. ii. de decimis in vi. Quò fit vt Guido qui decimas tantùm oppigneratas hîc redemit, illo non teneretur interdicto. Quanquam illud quoque addi eo poteſt derogaſſe ſubinde Pontifices per priuilegia illi Alexandri tertij Conſtitutioni. Sic enim Innocentius tertius Dionyſianis reſcripſit anno Pontificatus ix. Veſtra nobis deuotio ſupplicauit concedi à Laicis redimere decimas, & redemptas poſſidere. Cùm autem in decimis Laici ius ſpeciale non habeant, benignè vobis poſtulata concedimus, de illis duntaxat, quæ infrà Parochias veſtras ſic à Laicis detinentur. Vbi vides nullam de con-

ſenſu

ſenſu Epiſcopali mentionem intercedere. Subinde etiam data à Pontificibus priuilegia, vt decimas redimere à Laicis fas eſſet autoritate Apoſtolica, quod docent tabulæ Innocentij IV. Ordini S. Trinitatis conceſſæ anno CIↃCCXLVI. & Gregorij X. Cœleſtinis. Quin & S. Ludouicus Rex Franciæ anno CIↃCCLXIX. id licere in Regno ſuo voluit, vt Chopinus lib. 2. Monaſt.

De priuilegio Innocentij III. ne Monachi Reomaenſes fideiuberent, aut mutuum caperent.

CLXXIII. *Pro aliquo fideiubeat, vel ab aliquo mutuam pecuniam accipiat.*] Primus fuit aut inter primos Innocentius III. qui iſto vſus ſit interdicto, ne Monachi, abſque Abbatis, & maioris partis Capituli facultate, aut mutuum caperent, aut fideiuberent. Etſi enim ſatis conſtitutum erat anteà, ne Monachi abſque Præpoſitorum conſenſu contractus inire poſſent; tamen vt maiorem Capituli partem conſpirare eodem opus eſſet, aut nulli, aut rari anteà ſanxerant. Extat à primo Pontificatus ipſius anno priuilegium Dionyſianis Franciæ Monachis conceſſum in hæc verba. Nulli quoque Monachorum quidquam ſine conſenſu Abbatis ab aliquo mutuo recipere liceat. Is autem, qui miniſterium domus habuerit, vltra centum ſolidos mutuò non accipiat præter Abbatis conſenſum. Vbi vides ſolius Abbatis conſenſum eatenùs neceſſarium fuiſſe, vt Monacho fas eſſet mutuum capere. At Abbas ipſe hanc ibidem à Pontifice contrahendi mutui formam accepit. Nec pecuniam, inquit, vltrà centum libras ſine aſſenſu totius Capituli, vel maioris, ac ſanioris partis, mutuò ſuſcipere audeat. Quæ forma docere videtur à Monachis priuatis intra ſummam centum librarum opus fuiſſe Abbatis conſenſu, ipſi autem Abbati vltra eam ſummam conſenſu Capituli. Hæc ille initio Pontificatus ſanciebat, ne Monaſteriis ſuæ perirent facultates. Sed difficultatibus huius ſanctionis lapſu temporis animaduerſis conceptum eſt interdictum in ea verba, quæ hoc priuilegio continentur, ac ſubinde verbis totidem in Canonem LIX. Concilij Lateranenſis tranſlatum, vt refertur de Fideiuſſoribus cap. IV. Quòd quibuſdam, inquit, Religioſis à Sede Apoſtolica eſt prohibitum, volumus & mandamus ad vniuerſos extendi, ne quis videlicet Religioſus abſque maioris partis Capituli, & Abbatis ſui licentia pro aliquo fideiubeat, vel ab aliquo pecuniam mutuam accipiat, vltra ſummam communi prouidentia conſtitutam, alioquin non teneatur conuentus pro his aliquatenus reſpondere, niſi fortè in vtilitatem ipſius domus manifeſtè conſtiterit redundaſſe. Pag. 245.

De priuilegio eiuſdem, ne Reomaenſes cenſura peterentur, aut in eos ac Guidonem Abbatem quæſtio inſtitueretur.

Pag. 144. CLXXIV. *Ne aliquis in vos, vel villas veſtras excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti ſententiam audeat promulgare.*] Exigebant Lugdunenſis & Lingonenſis Epiſcopi inſolitas à Guidone, & Monaſterio procurationes, quibus illi, cùm nullo ſe iure ſentirent eſſe obnoxios, Epiſcoporum mandatis parere recuſarunt, eáque propter dum eorum cenſuras vererentur, ad Romani Pontificis tutelam confugere. Is verò cùm procurationes ad normam Concilij Lateranenſis Alexandri tertij cap. IV. exigendas ſanxiſſet, poteſtatem Epiſcopis ademit cenſura eos coercendi, hac cautione adiectâ. Sine manifeſta & rationabili cauſa. Quæ cautio docet non omnibus eatenùs Monachis conceſſam fuiſſe plenam ab Epiſcopali coercitione exemptionem. Etſi enim Cluniacenſes, qui ipſa fundationis lege Romanis Pontificibus ſubditi fuerant inde ab Alexandro II. Gregorio VII. & Vrbano II. Epiſcoporum cenſuræ verbis apertis planè ſubducti comperiantur, tamen id beneficij, nec tam maturè, nec tam generatim aliis obuenit Monaſteriis. Nam ſancti Dionyſij, & S. Germani Pariſienſis vindicatio ab Epiſcopali cenſura, haud facilè antiquior Paſchali II. profertur. Quanquam illa generalis fuit, hæc autem Reomaenſis, ad non manifeſtam & rationabilem cauſam coarctata. Cæterùm, exulcerato ſemel animo non ceſſauit Lingonenſis Epiſcopus à Guidonis Abbatis vexatione, ſed litteras ab Innocentio III. impetrauit, quibus viſitatio ac diſquiſitio in mores, ac vitam Guidonis, & Monachorum Eduenſi Epiſcopo, & Abbati Buxeriæ attribueretur. Quæ cùm eſſet à delegatis hiſce Iudicibus iure inſtituta, nihilque non dignum commendatione de Abbate, ac Monachis per eam eſſet compertum, non dubitauit idem Epiſcopus, tacito priore iudicio, nouas in rem eandem litteras ad Abbatem Theoloci, & Ciſtertienſem Priorem furtim impetrare. Sed fraude vulgatâ Innocentius Guidonem prouidum, ac diſcretum eſſe virum, eius Monaſterium multis rerum ſpiritalium, ac terreſtrium acceſſionibus locupletatum, ſeque ab eius aduerſariis circumuentum pronunciat, litteriſque furtim impetratis penitùs derogat. Hic fuit exitus grauiſſimæ contentionis à Guidone contra Lugdunenſem & Lingonenſem Epiſcopum tutandi Monaſterij cauſa ſuſceptæ.

De hominibus liberis Monaſterio quæſitis à Guidone Abbate.

Pag. 147. CLXXV. *Dederunt ſe vt liberos in perpetuum poſſidendos.*] Cùm hoc primùm loco occurrat mentio poſſeſſionis liberorum hominum, pretium erit operæ, ſi eorum diſcrimen à non liberis, legéſque poſſeſſionis diſpiciamus. Ac illud quidem primò conſtare videtur, idcircò dictos fuiſſe

liberos, quòd nec conditione ſerui, nec aſcriptitij, aut glebæ addicti, ſed ſtatu liberi, & ſui & fundi ratione haberentur. Cùm enim in tractu Burgundico nulli eſſent per hæc tempora ſerui capite, ſiue, vt aiunt, perſona mancipati, vt caput 1. Conſuetudinis Burgundicæ edocet, fit vt ſerui tantùm in ea regione haberentur, qui fundi & glebæ cauſa obnoxij eſſent. Itaque qui poſſidebantur vt liberi, ne ea quidem ratione oportet ſubiiſſe ſeruitutem, vt dominis ſeruilia deberent opera, aut fundum eorum ſine noxa deſerere pro arbitrio non poſſent. Secundò, proinde non aliter in eorum fundo degebant, niſi vt cenſuales, qui ſoluto Canone, nihil Domino deberent. Extat huius legis exemplum in hoc tabulario infrà anno Chriſti CIↃCCXLIII. vbi Rainaldus Abbas ſic ſcribit. Dedimus, & liberaliter conceſſimus Pariſeto nato de Ciuitate Lingonenſi domum, &c. & Agneti vxori ſuæ, & hæredibus ſuis iure hæreditario in perpetuum poſſidendam. Dictus verò Pariſetus ſpontaneus dedit, & conceſſit ſe pro homine libero Eccleſiæ noſtræ Reomaenſi; & ipſe & hæredes ſui erunt homines liberi noſtri Conuentus pro quinque ſolidis Diuionenſibus nobis annuatim in feſto ſancti Remigij ab eiſdem perſoluendis. Ita quòd nos, vel ſucceſſores noſtri vltrà quàm dictos quinque ſolidos ab ipſis non poterimus per exactionem aliquam reclamare. Tertiò, tenebantur Domini liberis hiſce hominibus ius dicere, eóſque ab omni iniuria tutos præſtare, vtpote ſuæ ſubditos iuridiciuæ. Tabulæ citatæ, tenemur, inquiunt, ipſos tanquam liberos homines noſtri Conuentus, aduerſùs omnes homines pro poſſe noſtro defendere, manutenere, & bona fide garanrire.

Quid Oreum, Caducum, Creantatio, in aliquot tabulis Guidonis.

CLXXVI. *Oreum virgulti.*] Lucem pauculis vocibus tabularum aliquot præbere ſatis hoc loco fuerit, vt quæ in illis continetur Guidonis erga Monaſterium ſuum prouiſio & ſtudium rei familiaris perſpiciatur. Inprimis igitur Oreum corruptæ Latinitatis vox eſſe videtur, quæ cùm olim eſſet Ora, id eſt limes & margo ſyluæ, facta eſt ſenſim corruptione Orea. ac ſubinde Oreum. Veteres Gloſſæ Oram ἐσχατιὰ, & hanc limitium interpretantur. Græci eodem ſenſu ac propriè ſono ὅρον dicunt. Iam quòd Archidiaconus Tornodorenſis campum quendam de Caduco ſuo fuiſſe ſcribit, id multis modis capi poſſit. Si enim prædium erat Eccleſiaſticum, Caduci nomen habere potuit, vel quia dum vacabat per obitum ad Archidiaconi collationem recidebat, vel quia in partem iuris Archidiaconi ceſſerat, vt loquitur coſtuma eius, id eſt annua quædam præſtatio. Si verò non fuit Eccleſiaſticum iure ciuili Caducum dicebatur, quòd poſſeſſor defeciſſet. Videtur tamen veriſimilius Eccleſiaſticum fuiſſe, & Caducum nominari Archidiaconi, quia illi in partem ceſſiſſet eius præſtatio. Nam ſuperſtitem habuit poſſeſſorem Ogerium Teleciaci, qui Pag. 147.

eum hiſce in tabulis permutat cum Priore Tiſiaci; ideóque Caducum dici non potuit quod vacaret per obitum, aut quod poſſeſſore careret. Denique Creantatio nihil eſt, opinor, aliud niſi fidei præſtitio, quod ex pluribus huius Tabularij actis conſtat, quæ fidem mediam fuiſſe, vel præſtitam, vel datam narrant ad contractuum firmitatem. Et in tabulis Vergiacenſibus anni ciɔcclxxxviii fide datâ firmauit, & creantauit ſe tenere & manutenere pro poſſe ſuo. In conuentionibus Rotomagenſium cum Rege Franciæ ciɔcc v. Has conuentiones tenendas creantauit idem Rex. Galcherius de Caſtellione in tabulis anni ciɔccxv. Conceſſi, inquit, & firmiter creantaui. *Et mox.* Conceſſionem & creantum meum ſigilli mei munimine roboraui.

De Decanis Chriſtianitatis Reomaenſi, & aliis.

Pag. 251. CLXXVII. *Ioannes Chriſtianitatis Diuionenſis Decanus.*] Locum olim habuit Decaniæ dignitas in ciuitate, in agris, in Eccleſia, in Monaſterio, in re ſacra, in ciuili. Nam vt hinc ordiar, Decani erant in re ciuili, Iudicum infimi, qui centenariis, & interdum vicenariis Iudicibus ſuberant. In re autem ſacra Decani plerunque Eccleſiæ Epiſcopalis Canonicis præfuere, plerunque etiam quibuſdam Monaſteriorum cœtibus, cuius rei plura hodiéque ſuperſunt exempla. Nulla verò nobis eſt hoc loco diſquirendi de hiſce Decaniis neceſſitas, aut opportunitas. Sed de Decaniis Chriſtianitatis, quæ interdum in ciuitate, interdum in agris, atque de Decaniis Archipresbyterorum, quæ ſemper in agris locum habuere, non abs re diſquiſierimus. Sanè Decaniæ Chriſtianitatis, quænam eſſent, aut cur ita dicerentur, res eſt non obuia. Crebra verò mihi hactenùs earum occurrit mentio intra Lingonenſem Epiſcopatum, in quo præter Ioannem Chriſtianitatis Diuionenſis Decanum, cui ad hanc diem ſucceſſere alij non pauci eodem munere, ac nomine in Eccleſia Benigniana S. Ioannes Diuionenſis; extat etiam in tabulis Reomaenſibus anno ciɔccclxvii. memoria Galteri Decani Chriſtianitatis Reomaēſis, & anno ciɔcclxix. non tantùm eiuſdem Galteri, ſed etiam Guillelmi Decani Chriſtianitatis Moliſmenſis. Qui omnes cùm ad Monaſteria pertinerent, non fallatur, vt opinor, coniectura, qui dixerit præfuiſſe eos Presbyteris, qui Parœcias Monaſteriis attributas regerent, atque vt aliquo ſe diſcrimine ſecernerent à Decanis, qui Clericis, vel Monachis Præfecti erant, nomen ſibi Decanorum Chriſtianitatis, id eſt Chriſtianæ plebis tribuiſſe. Hoc ſenſu in hoc Tabulario infrà occurret Decanus Chriſtianitatis ſancti Sequani in Tabulis anni ciɔcclxxviii. & alibi crebrò Decanus Chriſtianitatis Montisbarri in Eccleſia Reomaenſium.

De Decanis Archipresbyterali.

CLXXVIII. *Oſcarenſis Decanus.*] Vetus fuit harum Decaniarum inſtitutio, reique Eccleſiaſticæ in agris oportuniſſima. Cùm enim ad Presbyteros rure degentes extendere ſe continuò non poſſet Epiſcoporum, aut Archidiaconorum vigilantia, collocati fuere per interualla, in quibuſdam quaſi excubiis Presbyterorum aliqui Decani, vel Archipresbyteri vocitati, vt cæterorum Presbyterorum, ac plebis motibus vice Epiſcopi, aut Archidiaconi inuigilarent. Decanos enim eoſdem fuiſſe qui & Archipresbyteri dicebantur, patet ex Capitulari Toloſano ſub Carolo Caluo cap. III. Statuant, inquit, Epiſcopi loca conuenientia per Decanias, ſicut conſtituti ſunt Archipresbyteri. Et ex c. LXIV. diſt. LI. Adeſſe, inquit, debent Decani, id eſt Archipresbyteri Parochiarum. Synodus Treuerenſis Archipresbyteri, inquit, qui & Decani Rurales appellantur. Signatè ait Rurales. Nam Archipresbyteri ciuitatis non erant iidem cum Decanis aut Ciuitatis, aut ruris. Itaque vt hi Archipresbyteri non abſolutè tales, ſed Archipresbyteri Vicani, Turonenſi II. Can. XIX vel Archipresbyteri Epiſcoporum adiutores, Capitulari Ludouici Pij anno DCCCXXVIII. vel Epiſcoporum miniſtri Aquiſgranenſi II. cap. IV. nominantur. Sic Decani non ſimpliciter, ſed Decani rurales, in Synodo Oxonienſi anno CIↃCCXXII. & Decani ſub Archidiaconis conſtituti, in Lateranenſi Alexandri tertij cap. IV. dicuntur. Porrò ex his locis aduertitur antiquam eſſe illorum inſtitutionem; ex aliis verò poteſt intelligi etiam fuiſſe in Eccleſia diuturnam. Nam in Synodo Regiticina anno DCCCL. cap XIII. ſic ſanciebatur. Singulis plebibus Archipresbyteros præeſſe volumus, qui non ſolùm imperiti vulgi ſolicitudinem gerant, verùm etiam eorum Presbyterorum, qui per minores titulos habitant, vitam iugi circunſpectione cuſtodiant. Hæc verò ſanctio iterùm innouata eſt in Concilio Romano anno DCCCCIV. Ioanne IX. Pontifice, nec pauca de Decanis hiſce conſtituit Alexander tertius in Concilio Lateranenſi cap. IV. ad annum CIↃCLXXX Quin & vſque ad annum CIↃIↃXLIX. in Concilio Colonienſi; ac ſubinde in Treuerenſi viguiſſe eorum inſtitutum comperitur. Cæterùm munus eorum, etſi initio fuit, vt conſtat ex dictis, curare plebem agreſtem, minorúmque titulorum Presbyteros; tamen lapſu temporis eò proceſſit, vt iuriſdictione Epiſcopali parte aliquâ augeretur. Hinc enim eſt, quòd in hoc Tabulario Reomaenſi alibíque paſſim tam crebra reperiantur Decanorum de rebus Eccleſiaſticis iudicia, & arbitria, quæ ſuperioribus ſeculis non tam facilè occurrunt. Eò verò progreſſa eſt aliquando eorum poteſtas, vt præter illa, quæ erant ordinis nihil non autoritatis Epiſcopalis exercerent, conducta annuo precio Epiſcopi iuriſdictione. Quæ res cùm Alexandro tertio viſa eſſet, non parùm pericuſa, ſordida, atque Eccleſiæ onerosa, ſic ſanxit in Pag. 151.

Concilio Turonenſi. Quoniam in quibuſdam partibus Decani quidam, vel Archipresbyteri ad agendas vices Epiſcoporum, ſeu Archidiaconorum, & terminandas cauſas Eccleſiaſticas ſub annuo precio ſtatuuntur, quod ad ſacerdotum grauamen, & ſubuerſionem iudiciorum non eſt dubium redundare, id vlteriùs fieri prohibemus. Quòd ſi quis de cætero fecerit, remoueatur à Clero; Epiſcopus autem, qui hoc ſuſtinuerit, & Eccleſiaſticam iuriſdictionem ſuâ patitur diſſimulatione peruerti, diſtrictione Canonicâ percellatur. Ita refert Can. Quoniam. Ne Prælati vices ſuas &c. Deſiit, vt opinor, haud diu poſteà hæc corruptela, ſed Decanis ſua nihilominùs manſit iuriſdictio, quam deſcribit Concilium, quod dixi Colonienſe. Quoſdam accepimus, inquit, impedire Decanos rurales quominùs poſſint officia, & iuriſdictionem ſuam exercere, Synodos liberè celebrare, & exceſſus corrigere, qui & ipſi intelligant ſe excommunicationem à iure, & Canonibus latam incurrere.

De feſtis à fœminis non à viris celebratis apud Reomaenſes, & de excommunicatis nominatim.

Pag. 139. CLXXIX. *Feriales fœminabus, non hominibus.*] Arnulfus Abbas S. Petri apud Autiſiodorum arbiter lectus à Guidone Reomaenſi Abbate, & Præfecta Virginum ſacrarum Rubei montis, vt quæ Godofridus Lingonenſis Epiſcopus inter eos olim non ſatis clarè compoſuerat, dilucidiùs exponeret, pronunciat inter alia Dominicis, ac feſtiuis diebus teneri Rubei montis incolas in Eccleſiam Aſiacenſem, quæ Parœcialis erat, conuenire, vt Feſta omnibus communia ab iis, quæ ſolis fœminis indicta, & excommunicatos nominatim, ab aliis docerentur diſcernere. Ex quibus liquet inprimis Lingonenſis tunc fuiſſe ritus, vt quædam eſſent dies, quibus ſolæ fœminæ feriarentur: qui ritus rari fuit in aliis Eccleſiis exempli. Etſi enim priuatâ pietate quibuſdam Sanctorum feſtiuis diebus ſolæ interdum fœminæ feriatæ, vt de feſto S. Anatoliæ obſeruauit Metaphraſtes, tamen non ita obuia ſunt exempla, quæ doceant id lege Eccleſiæ indictum fuiſſe. Sanè apud Ethnicos omnia ſacra, quæ à ſolis mulieribus ſuſciperentur, ſuſpectæ ſemper fuere integritatis. Scitum eſt enim cuiuſmodi eſſent Adonia, de quibus Plutarchus in Nicia, *ἀδώνια ἦγον αἱ γυναῖκες*, Adonia habebant mulieres. Nec meliùs quidquam licet ſuſpicari de iis, quæ Heſychius vocat *κερσάνθεια, ἑορτὴ γυναικεῖα*, aut de *βεργυρώνιοις*, ac ſimilibus. Itaque non fuit, vt opinor, abs re, quòd in poſteras ætates illa fœminearum ſolemnitatum indictio non eſt vulgò propagata. Stephanus Cantuarienſis ad annum CIↃCCXXII. tria feſtorum genera in Oxonienſi Synodo diſtinxit apud Matthæum Paris. Prima, quæ ſub omni veneratione ſeruarentur, vt Paſcha, dies Dominica, & eiuſmodi. Secunda, quibus minora opera ſeruilia non eſſent interdicta, vt S. Sebaſtiani, Agnetis, & alia. Tertia, quibus poſt Miſſam opera etiam

ruſtica non eſſent vetita, vt Octaua Epiphaniæ S. Ioannis & Pauli, ac ſimilia. Fieri verò poteſt vt fœminea feſta dicta ſint, quæ altero, vel vtroque genere poſteriore cenſebantur. Iam quod addit Arnulfus de excommunicatis nominatim doceri ſolitum in Parœciis, quinam ij eſſent, ne ſententiæ in eos latæ participes fierent, qui eos non euitarent, id perſpicuè conficit legem, quam longè poſteà tulit Martinus V. Pontifex, locum iam tum habuiſſe aliquem, vt ij tantùm qui nominatim eſſent excommunicati cæteros ſuâ contagione inficere cenſerentur. Itaque iam olim ſanxerat Pontifex Honorius, quod refertur XI. quæſt. III. Can. 10. Curæ ſit, inquit, omnibus Epiſcopis excommunicatorum omninò nomina, tam Epiſcopis vicinis, quàm ſuis Parochianis pariter indicare, eáque in celebri loco poſita præ foribus Eccleſiæ cunctis conuenientibus inculcare. Finem huic ſanctioni adiicit, vt omnibus excommunicatis Eccleſiaſticus aditus occludatur, cæteriſque excuſationis cauſa adimatur. Qui tamen finis inſinuat nominatim deſignatos, qui eſſent excommunicati; non vt nulla eſſet interdictio participandi cum illis, ſi nominati non eſſent, ſed vt nulla eſſet excuſatio in foro iudiciali iis, qui participarent. Ex quo ſequitur plus aliquid ſtatuiſſe poſteà Martinum V. dum eos qui participarent cum iis, qui non eſſent nominati vtroque in foro, & pœna exemit, & culpa.

Quid rei eſſent Catalla.

CLXXX. *De Chatex nihil modò definimus.*] Creber fuit vocis huius Pag. 155.
& Gallicæ & Latinæ vſus per hæc tempora, ſed non tam facilis eius explicatus. Sanè hoc loco Catallum aliud eſſe quàm lucra, quæ ex iuſtis funebribus Eccleſiæ Aſiacenſi obuenire debuerant, & ab alia Eccleſia vſurpati erant, nemo, vt opinor, ex tabulis poteſt colligere. Omninò verò hac voce expreſſos reditus ac fructus à Clericis perceptos doceri poteſt ex actis inter Clericos, & Barones Normanniæ anno CIↃCCV. cap. VI. vbi hæc leguntur. Non debet Archiepiſcopus tenere niſi tantùm tria placita ſcilicet de Maritagio, de legato mortui, & de Catallo Clerici. Et capite VIII. Si Clericus iniurioſus exiſtit Domino, à quo tenet feudum, de feudo illo, Dominus feudi poteſt ſaiſire omnia Catalla Clerici, quæ inuenerit ſuper feudum de quocunque loco venerint. Inter Laicos non diſſimilis fuit huius vocis vſus, vt mobilia bona exprimerent, quanquam neſcio an vnquam, pro αὐτοκινήτοις, id eſt mobilibus ſe mouentibus, ſeu animalibus ſit vſurpata. Charta Philippi Regis anni CIↃCCVII. pro Rotomagenſibus videtur ab huius vocis complexu animalia excludere. Si debitor, inquit, infrà Rothomagum venerit, ex quo de equo deſcenderit Catallum, vel Herneſium ſuum per Maiorem propter debitum arreſtari poterit. Eodem ſenſu tabulæ Vergiacenſes anni CIↃCCCLXIV. *Mes Chenaux, harnois, & pluſieurs autres biens, & chatex.* Nullum porrò

eſt dubium, quin abſolutè Catallorum vox mobilia inanima exprimeret, quæ ſola propriè vocari ſolent mobilia. Philippus Marchio Namurcenſis in tabulis anni CIↃCCXII. Decreui, inquit, & ſtatui, vt à nullo milite, qui ſit de familia vel aduocatione mea melius Mobile, quod quidem melius Catallum dicitur, de cætero accipiatur poſt eius deceſſum. Conſtat ex Normannica conſuetudine artic. CXLV. damnatorum bona mobilia ad Regem pertinere, ſi à quæſitoribus Regis capitalibus fuerint damnati. Eam conſuetudinem ſic inſinuauit Rex Philippus in Charta Rotomagenſi. Maior, inquit, cuſtodiat Catalla eius in manu ſua, & Balliuus noſter inde habeat quoddam ſcriptum, & Maior aliud, donec iudicetur, etſi damnatus fuerit, Catalla eius noſtra erunt. Et in alia Charta Rotomagenſi Reus cum Catallis ſuis tradetur iuſtitiis Domini Regis. Ex his abundè hactenùs liquet Catalla Gallis fuiſſe, quæ Latinis mobilia non viuentia, ſed non omnia id genus mobilia hac voce expreſſa doceri poteſt. Nam quæ lucrum parere ſolerent, vt artium inſtrumenta, & res mercimonio deſtinatæ hac, vt opinor, voce non venerunt. Indicat id vetus liber Gallicus, cui nomen, *Le Roman de Blaquerne.* libro 1. cap. 3. *Il ne ſeroit mie droit que les Bouchers le randiſſent pour Chatel, car leur office eſt d'acheter pour gaagner.* Ibidem *Il conuiendroit que les Bouchers le donnaſſent pour Chatel, ou que le Foreſtier leur en donnat pardeſſus le pris qu'il en auoit eu tant comme les Bouchers peuſſent gaagner.*

In Diplom Belgicis libro 2. cap. 67.

Quo ſenſu factus Hugo Dux, aſſertor, contractus Guidonis.

Pag. 256

CLXXXI. *Legitimam Garantiam eidem Eccleſiæ portaremus.*] Vſus erat per hæc tempora duplicis generis defendendi contractus, ne cuius in poſterum fraude labefactarentur, quam rem vocabulo eius æui nominabant Garantiam. Primum ſuſcipiebatur ab iis, qui contractus autores erant, totúmque euictionis periculum ſubibant. Quo in genere illud ferè ſolemne fuit, vt exprimeretur cauſam Garantiæ eſſe, quòd vel donaſſent ipſi; vel accepto pretio vendidiſſent, vel quacunque ratione dediſſent in ſolutum id, quod in contractu continebatur. Itaque tabulæ anni CIↃLXIX. quibus Guido Vergiacenſis Ciſtertienſibus donat res feudi ſui, ſic exprimunt Garantiam. Contra vniuerſos, qui aliquid horum calumniari vellent, me fidelem & firmam Garantiam ferre pepigi, & conceſſi. Et Ioannes de Montemorenciaco anno CIↃCCXLI. Promitto me garantiſaturum, tanquam Dominus feodi. Aliæ autem tabulæ anni CIↃCLXXVII. venditionis Garantiam hanc habent. Omnem vbique, & contra omnes Simoni, & ſuis ſuper venditione iſta Garantiam portarent. Sunt & aliæ anni CIↃCLXXIII. quibus Burcardus hæres Montiſmorenciaci fratri ſuo Herueo Garantiam ſpondet rerum à Theobaldo fratre altero, vt videtur ex ſua hæreditatis portione donatarum. Hanc, inquit, donationem ratam habui, & me Garantiam laturum promiſi. Plures eiuſdem modi vulgò

Hiſt. Vergiacen.

Hiſtor. Montmor.

vulgò occurrunt. Alterum genus longè eſt ab hoc diuerſum, vtpote quòd non ſuo, ſed fideiuſſorio nomine euictionis præſtaret periculum. Extat dilucidum huius diſcriminis exemplum in tabulis iam citatis venditionis, quæ licèt contineant garantiam eorum quæ vendiderant, tamen hanc quoque addunt defenſionis, & tutelæ ſecuritatem ab eo, qui venditionis autor non fuiſſet. Licèt, inquit Burcardus, de feodo noſtro non eſſet, rogauerunt me, & multis petitionibus impetrarunt, quòd Simoni & ſuis ſucceſſoribus, ego & ſucceſſores mei ſuper conuentione iſta, & venditione defenſor & obſes perpetuò & firmiter eſſem, & factum iſtud manutenerem. Hanc verò defenſionis rationem garantiam quoque appellaram facile eſt docere. Nam Guido Vergiacenſis in tabulis CIↃCCLXXIX. defendendam ſuſcepit Dodonis Albi venditionem his verbis. Me, inquit, fideiuſſorem poſui ad rei confirmationem, promiſique contra omnes, qui ſuper hoc Ciſtertienſibus tentauerint, calumniam inferre, vel violētiam, garantiam me laturum. Et in tabulis anni CIↃCXCIX. Huius rei firmiter obſeruandæ plegij & garantizatores ſumus. Tertium genus præbetur ab iis, qui nec vt autores, nec vt fideiuſſores præſtant euictionem, ſed defenſionē gratuitam contra impugnantes, ſiue iure, ſiue armis ſit contra eos experiundum. Exprimit diſertè hoc genus Andreas Eſpiſſiæ Dominus in tabulis anni CIↃCCXXX. ex Tabulario Reomaenſi. Me, inquit, humiliter rogauerunt, vt dictam villam aduersùs eos manu tenerem, & defenderem, & de dicta quitatione legitimam garantiam portarem Eccleſiæ memoratæ, ego autem ſupradictorum precibus inclinatus ſupradictam villam teneor defendere, & conſeruare aduersùs ſupradictos bona fide. Quæ gemina ſunt cum iis quæ habet hoc loco Dux Burgundiæ. Nec eſt, puto, alia vis verborum Aalidis Duciſſæ Burgundiæ in tabulis anni CIↃCCXXX. cùm hæc ſcribit. Volens, præcipiens, ſupplicans, & exhortans, quòd Dux Burgundiæ, & quicunque tenebit Ducatum, & dominium Vergei hanc donationem ſupradictam manu teneat præfatis monialibus, & contra omnes garantiat. Non enim ſupplicationem & exhortationem eò adhiberet, ſi de præſtatione euictionis, quæ ſtricti iuris eſt, loqueretur. Quo etiam ſenſu in tabulis anni CIↃ CXLVIII. Matthæus Montmorancius decimam quandam Eccleſiæ ſancti Martini, ita ſuſcipit protegendam à ſe & ſuis, vt Epiſcopi Pariſienſis interdicto ditiones ſuas patiatur ſubmitti, ſi ſecus faxit. Quæ pœna indicat tuitionem illam ex ſeipſa ad ius ſtrictum non pertinuiſſe. Denique Reomaenſis Tabularij proximæ tabulæ anni CIↃCCXXXI. ſic loquuntur. Simonius tenetur dictam quitationem bona fide, & pro poſſe ſuo legitimè garantire. Quæ ſi intelliguntur de garantia euictionis, ſuperfluò addunt illa verba, pro poſſe ſuo, ſi verò de garantia, quæ eſt in induſtria, & labore defenſionis, ratione & ſenſu conſtant.

Hiſt. Vergiac.

Ibidem.

Hiſtor. Montmor.

KKkk

Cur Conuentus Reomaenſis ſigillo caruerit vſque ad annum CIƆCCXXXIV.

Pag. 257. CLXXXII. *Quia nos Conuentus ſigillum non habemus, ſigillo Decani Montisbarri præſentes litteras fecimus ſigillari.*] Alexander III. Pontifex, aut primus, aut inter primos ita temperauit poteſtatem Abbatum, vt cùm ex ſancti Benedicti Regula conſenſum Fratrum exquirere, non ſequi neceſſariò cogerentur, tamen poſt eius conſtitutiones nullius eſſe roboris cenſerentur, quæ Abbas abſque ſententia Conuentus eſſet aggreſſus in Monaſterij diſpoſitione. Itaque æquata dehinc propemodum vtrorúmque in rebus gerendis autoritate, neceſſe fuit, vt autoritatis notæ, quæ tabularum ſubſcriptionibus, ſigillorum impreſſionibus, aliiſque eiuſmodi continebantur, propè adæquarentur. Quamobrem, vt non Abbatis ſolius, ſed Abbatis & Conuentus nomine ſcriptæ deinceps fuere tabulæ, ita & in ſubſcriptionibus non Abbatis tantùm, ſed & Monachorum plurium nomina annotata quandiu ſubſcriptionibus ſtetit tabularum fides. Sed poſteaquam Alexander idem decretum edidit, quod hodiéque ſic legitur cap. 11. De inſtrumentorum fide. Scripta verò authentica, ſi teſtes inſcripti deceſſerint, niſi per manum publicam facta fuerint, ita quòd appareant publica, aut authenticum ſigillum habuerint, per quod poſſint probari, nō vidétur nobis alicuius firmitatis robur habere. Factū eſt, vt in tabulis & ſubſcriptionū multiplicitas, quæ priùs frequens erat, ſenſim negligeretur, & ſigillorum, quæ vix ab aliis quàm Principibus, & Epiſcopis antè vſurpabantur, magnoperè inualeſceret vſus, nec paucæ inde pullularent inter Abbates, ac Conuentus controuerſiæ, dum ſigillum Monaſterij authenticum nunc illi, nunc iſti ſibi conantur vendicare. Sanè Abbas S. Dionyſij flagitauit per hæc tempora ſibi à Pontifice ius ſigilli proprij, vt ex litteris Alexandri III. quæ ex Dionyſiano tabulario editæ ſunt conſtare poteſt. Cuius flagitationis cauſas licet, vt puto, haurire ex ſtatuto Guillelmi Abbatis ſancti Dionyſij anno CIƆCCXXIV. his verbis concepto. Erat, inquit, conſuetudo ſatis reprehenſibilis, vt Abbas cùm ſigillum proprium non haberet, litteras ſuas tam priuatas, quàm publicas ſigillo Capituli, quod in eiuſdem Abbatis Camera ſeruabatur, pro ſuo libitu ſigillaret. Contigebat autem plerunque, vt ea, quæ ſine conſenſu Capituli iure fieri, nec poſſunt, nec debent inſcio, & inconſulto Capitulo, in camera cum duobus, aut vno familiari ſecretiùs tractarentur, & quod crimen eſt ſacrilegij, furtiuis litteris inſinuata ſigillo Capituli ſignarentur. Vnde quanta detrimenta, quantáve diſcrimina domus noſtra frequenter incurrerit, ipſa nos experientia ignorare non patitur. Vt igitur vlteriùs nulla fraus interuenire poſſit, conſtituimus vt Abbas proprium ſigillum habeat, & Capitulum ſuum recipiat, & conſeruet, eo videlicet tenore, vt ſpeciale ſigillum litteris ſpecia-

libus imprimatur, communes, quæ Capituli conſenſum deſiderant, cùm in eodem Capitulo recitatæ, & à fratribus approbatæ fuerint, vtriuſque ſigilli ſignaculo roborentur, alioqui nullam prorſus obtineant firmitatem. Non iidem fuere alibi Monaſteriorum mores. Nam Otto Legatus Sedis Apoſtolicæ in Concilio Londinenſi ad annum ciↄccxxxvii. ſigilla quibuſdam Conuentibus eo etiam tempore non alia fuiſſe, quàm Rectorum teſtatur cap. xxix. Statuimus, inquit, vt ſigillum habeant non ſolùm Archiepiſcopi, & Epiſcopi, ſed etiam eorum Officiales. Item Abbates, Priores, Decani, Archidiaconi, & eorum Officiales, & Decani rurales. Necnon Eccleſiarum Cathedralium Capitula, & cætera quoque Collegia & Conuentus, aut cum ſuis Rectoribus, aut diuiſim iuxta eorum conſuetudinem, vel ſtatutum. Loquitur porrò Otto de ſigillo authentico non priuato, ſeu proprio, aut ſpeciali, quod inde à Romanorum temporibus nulli non fuit in vſu apud Gallos, aliáſque gentes. At authenticum nec qualibet ætate, vt ſuprà docuimus, nec cuilibet fuit conceſſum, ſed iis ferè ſolis ex Clericorum numero, qui ab Ottone ſuprà ſunt recenſiti. Eius verò modus ſic ab eo deinceps deſcribitur. Pro varietate, inquit, cuiuſlibet prædictorum habeat vniuſcuiuſque ſigillum nomen putà dignitatis, Officij, Collegij, & illorum proprium nomen, qui dignitatis, vel Officij perpetui gaudent honore inſcriptum notis, & characteribus manifeſtis. Sicque ſigillum authenticum habeant. Hinc minimè ſanè mirum eſt Reomaenſi eatenùs Conuentui ſuum defuiſſe ſigillum, cùm tot alij Rectorum ſuorum ſigillo vterentur eodem tempore, & ad annum ciↄcc. Cluniacenſi Conuentui tributum tantùm fuerit diuerſum à Priore ſigillum, vt ex ſtatutis Hugonis V. Abbatis conſtare poteſt. Sanè nono ab hinc anno dum Rainaldus II. præeſſet, inuenies infrà diſtincta fuiſſe Abbatis Conuentúſque Reomaenſis ſigilla.

Cur donationes Reomaenſes eleemoſynæ ferè dictæ.

CLXXXIII. *In perpetuam eleemoſynam Eccleſiæ Reomaenſi.*] Obſeruaſſe mihi videor, tum alibi, tum in Reomaenſibus hiſce tabulis nonnulla de traditis in eleemoſynam prædiis non planè vulgaria. I. enim actum videtur non parùm ſtudioſè ab Eccleſiaſticis viris per hæc tempora, vt ſi quid Eccleſiæ acquirebatur de Laïcis id eleemoſynæ nomine, potiùs quàm alio vllo etiam gratuito quærebatur. Itaque cùm in tabulis hiſce Reomaenſibus villa Suentiacum pluribus pigneratitiis contractibus obſtricta fuiſſet Monaſterio, tamen ad extremum in ius illius non tranſiit, niſi eleemoſynæ titulo condonata, vt apparet, iis, qui poſſederant, ea omni pecunia, cui villa fuerat pignori oppoſita, quod conſtat ex tabulis ciↄccxii. anno ab Aalide Burgundionum Duciſſa editis. Id verò cauſæ videtur habuiſſe hoc ſtudium, quòd quæ eleemoſynæ nomine quæſita eſſent, non facilè paterent laicorum iniuriæ, aut vſurpationi, ſemel Deo per eam donationem conſecrata. Antiquum enim, atque ad Pag. 257.

hoc æuum perpetuum priuilegium Eccleſiæ fuit, vt Eccleſiaſtici Iudicis cognitio eſſet de eleemoſynis, quod docent Valentinianus & Valens lib. 1. C. de audientia Epiſcop. & Anthemius l. 28. C. de Epiſco. & Cleric. Peculiariter verò de eleemoſynis, quæ teſtamento fiunt. Gregorius IX de teſtamentis cap. 3. Atque vniuerſim de iis, quæ ob pias cauſas tribuuntur. Concilium Tridentinum ſeſſione xxii. cap ix. Itaque illo ipſo æuo quo laïci Principes conati ſunt maximè poteſtatem Eccleſiæ in res temporales accidere, nihil contra eas res tentatum eſt, quas eleemoſynæ nomine donatas conſtitiſſet Eccleſiæ. Henricus II. Rex Angliæ in Conuentu Clarendonenſi anno cIↃcLXIV. multa id genus euertens, hoc tamen ſenſit de prædiis eleemoſyna collatis. Si recognitum, inquit, fuerit tenementum ad eleemoſynam pertinere, placitum erit in Curia Eccleſiaſtica. Aliud longè ſtatuit de eo quòd emptione, alióve acquirendi modo, præter eleemoſynam partum eſſet. Nam & laicum id feudum nominat, & ad Curiam primo Epiſcopi, tum etiam Baronis, placitum eius deuocat. II. Cauerunt interdum prædiorum feudorúmque venditores, aut donatores, vt de iis eleemoſyna ne fieri poſſet, rati dominio ſuo, aut recuperationis iuri detractum, ſi eo nomine ad alios transferrentur Id ſignificat Odo III. Dux Burgundiæ in tabulis anni cIↃcVII. his verbis. Ipſe verò mihi conceſſit, quòd de ipſa terra, quam ei dederam, & etiam de terra ſua, quæ de dotalitio matris ſuæ in Burgundia eum contingebat, quam Dux Hugo pater meus & ſuus, dum adiuueret, ei diuiſerat ad libitum meum, & voluntatem eleemoſynas facerem. Hoc excepto, quòd corpus Caſtri dare non poſſem. Quòd ſi de vxore mea per Dei gratiam prolem habuero ad reſtaurationem eleemoſynarum, quas in terra ſua fecero, quæ de dotalitio matris ſuæ eſt dimidium Albergamenti ei in eſcambium dedi, & conceſſi. Nimitùm hoc extremo addidit, quòd in eleemoſynis recuperatio non eſſet facilis. III. Cautum eſt etiam interdum, vt de prædiis, quæ feuda eſſent, Eccleſiæ, nulli Eccleſiæ fieri eleemoſyna poſſet, niſi ei cuius feudum eſſet. Ita Tabulæ Reomaenſes anni cIↃcCXXXV. Res, inquiunt, ſupradictas non poterit Dominus Iterius, vel hæredes ſui in eleemoſynam concedere, præterquam Eccleſiæ Reomaenſi, nec ab alio Domino in feudo recipere.

In Hiſtor Duc Burg Quercetani.

Quid eſſent Eſcaſuræ, & Chauagia Ricei.

Pag. 258. CLXXXIV. *Chauagia dictorum hominum, & corueiæ eorundem per medium partientur.*] Eſt Ritiacum Caſtrum, ac villa ad Vrſiam fluuium in agro Lingonenſi, cuius Eccleſia donatione Epiſcopi Iocerandi ad Reomaenſes peruenit anno cIↃcXVI. fruſtrà obtinentibus S. Petri Viui Monachis Senonenſibus, vt eo anno diximus. Sed videlicet præter decimarum, & oblationum iura, multa quoque prædia ruſtica, ac multam iuriſdictionem Eccleſiæ illi fuiſſe annexam ex his tabulis liquet. In quibus

hæc tantùm paucula ex nonnulla obſcuritate videntur hoc loco in lucem conferenda. I. quid eſſent Eſcaſuræ, quas, vt dubium non eſt, è Gallica voce, *Eſcheutes*, nunc in hunc modum, nunc in Eſcadentias, nunc in Eſcheotas per illius æui barbariem fuiſſe efformatas, ita non eſt planum, quid propriè exprimerent propter πλυσημίαν. Nam interdum nihil ſunt aliud, niſi legitimæ hæreditates, quo ſenſu Margareta Burgunda Caroli I. Regis Siciliæ coniux res ſibi ab auo in Burgundia legatas nominat Excadentias in tabulis CIↃCCLXXXII. Quæ ſunt, inquit, ad nos per Eſcadentiam deuoluta, & quæ habemus, & habere debemus in Ducatu Burgundiæ ex ſucceſſione quondam Hugonis Ducis Burgundiæ aui noſtri. Et Beatrix ſoror Theobaldi Regis Nauarræ, ac Comitis Campaniæ iura ſua hæreditaria, in Campania vocat *Eſchoite*, in tabulis anni CIↃCCLXXIII. Et in tabulis anni CIↃCCLXXIX. Philippus Rex ſic loquitur. In reſiduo hæreditatis nihil de cætero reclamabunt ſaluo ſibi, & hæredibus ſuis recto Caduco: ſiue recta Eſcheeta. Interdum verò Eſcaſuræ, ſeu Eſcadentiæ deſignant bona ἀδέσποτα, & vacantia hærede, quæ vel fiſco, vel Domino Iuſticiario, vel Domino manus mortuæ iure accedunt. Ita accipit Conſuetudo Burgundica titul. IX. §. XV. Dominus, inquit, quando Excadentia locum habet in dominio ſuo Manus mortuæ, accipit hæreditates. Et in Conſuetudinibus Siculis libro I. titul. LXXVII. feuda etiam maxima, & Caſtra in fiſcum reuerſa vocantur Excadentiæ. Interdum denique donantur hoc nomine ſucceſſiones naturales ab inteſtato, vt in Conſtitutionibus Montium apud Hannoniam, vbi dicuntur *Eſcheances*. Non aberrarit, vt opinor, qui Excadentiæ nomen generatim tributum exiſtimarit omnibus acquiſitionibus, quæ quopiam caſu obuenirent. II. Quid eſſent Chauagia. Quæ ſuſpicati ſunt aliqui pertinere ad tributum eorum, qui capite cenſebantur, alii ad penſitationem agrariam, quæ capitatio dicta eſt C. lib. 4. tit. 49. l. 9. Sed omnem adimunt difficultatem veteres Pariſienſium Rationariorum tabulæ, quas edidit Bacquetus tractatu de Peregrinis, vel Alibinatis. *Cheuages*, inquiunt, *parce que chaſqu'vn chef marié ou veſue les doit*. Vt ſatis conſtet nomen factum à capitibus familiarum, quæ ei penſitationi erant obnoxia, ſaltem in familiis Manus mortuæ. Sic enim inſinuatur in tabulis, quibus mulier libera ſe ſuóſque liberos addicebat ſeruituti Eccleſiæ anno CIↃIII. Singulis, inquit, annis pro Capitali cenſu, ad Capitale Virginis Altare vnum denarium perſolueremus, & pro mortua manu tantundem.

Ibidem

Donat. Belgic. lib. I c. 18.

IN GVILLELMVM III.

Quando cœperit præeſſe Vvillelmus.

Pag. 261. CLXXXV. VVILLELMO *Abbati Reomaenſi.*] Prima huius Vvillelmi memoria in hoc Reomaenſi Tabulario ea eſt, quam ſuggerunt hæ tabulæ anni CIƆCCXXXVIII. Nihilóque tamen ſecius ſcriptum eſt in veteri Catalogo Abbatum, annum Præfecturæ eius primum fuiſſe CIƆCCXIII. quod magno errore ſcriptum, non eſt operoſum docere. Primò enim certum eſt Guidonem II. quem omnes tabulæ, atque ille ipſe Catalogus præmittunt huic Guillelmo, adiiſſe Magiſtratum ad annum CIƆCCIII. Cùm vetus liber Homiliarum Monaſterij ſcriptus manu ſic habeat in fronte. Anno ab Incarnatione Domini CIƆCCXXIV. factus eſt liber iſte in honorem Dei & B. Mariæ ſemper Virginis, & beatiſſimi Ioannis Confeſſoris, & omnium Sanctorum & Sanctarum Dei, & Eccleſiæ Reomaenſis tempore venerabilis Abbatis Guidonis anno Ordinationis ſuæ triceſimo-primo, & tempore humilis Prioris Guidonis, qui dictum librum ſcribi fecit. Quomodo ergo præeſſe Guillelmus cœpit CIƆCCXIII. quo anno Guido præceſſor eius agebat annum iam decimum Præfecturæ, quam ſubinde produxit ad annos pluſquam viginti & vnum. Ad hæc extant in hoc opere tabulæ authenticæ anni CIƆCCXXXVI. quibus Guido ſocietatem contrahit inter Reomaenſes, & Cellenſes menſe Februario, Abbáſque adhuc triceſimo tertio poſtquam electus fuerat anno nominatur. Eſt igitur perſpicuum Guillelmo Præfecturæ initia aſcribi non poſſe niſi ad vnum ex iis annis, qui inter hunc, & CIƆCCXXXVIII. intercedunt, licèt quis ille ſignatè fuerit non liqueat. Quòd verò idem Catalogus Guillelmi Præfecturam prorogat ad annos viginti, acta ſucceſſoris eius Rainaldi, qui in eo Catalogo excidit, errorem hîc quoque interceſſiſſe conuincunt. Extat enim Rainaldi nomen ab anno CIƆCCXLIII. quo conficitur Guillelmum annis non pluribus, quàm ſeptem præfuiſſe.

Quo ſenſu vetitus Guillelmus, in Borda amaſire.

Pag. 262. CLXXXVI. *Non poſſunt aliquem in eadem (Borda) amaſire.*] Borda vox Gallica, quam vim habeat Galli aliquot Iuriſconſulti aperuere. Paponius inprimis in Commentariis Conſuetudinis Borbonicæ cap. 448. Quòd Bordam, inquit, Toloſani vocant, Pariſienſes Firmam, nos Grangiam à granis fortè propriè dicimus. Guillelmus Ter-

renus in leges Normannicas Bordam pro quolibet domicilio, aut hoſpitio habet, ſed Conſuetudo vetus Normannica tugurium, aut caſam viliſſimam eſſe inſinuat cap. 18. Borda, inquit, traditur alicui ad ſeruilia opera, & vilia ſeruitia facienda. Nihilominùs Bordæ traditio ſpecies quædam fuit feudi ignobilis, quòd Bordagium, vel Bordelagium dixere Normanni, Niuerni, Borbonij, & alij. Ei hæ ferè leges, quanquam non vna omnes regione dici ſolitæ. I. Bordam, aut agrum quemlibet Bordæ iure in hæreditatem datum, nec dare poteſt nec oppignerare qui accipit. Ita Conſuetudo Normannica loco citato. II. Bordarij ad ſacrum & ſaumam ſeruiunt, & vilia debent ſeruitia, vt fœnum proſecare, ſtercus euehere, agrum ſtercorare. Eadem Conſuetudo cap. 53. III. Bordarius debet Domino pecuniam, frumentum, auem, aut iſtorum duo. IV. Si triennio ſolido interpellatus de ſolutione, non ſoluat, incidit in commiſſum, & feudum perdit. V. Si feudum ex parte alienat, pars alienata vendicari poteſt à Domino. VI. Si feudum facit deterius, arbores extirpans, ædes ſubrui ſinens, anno vno interpellatus, vt priſtino ſtatui reddat, ſi non fecerit, feudum perdit. VII. Si Bordarius hæredem non habet, aut cum eo, quem habet conſortium bonorum non retinet, feudum ad Dominum eius obitu reuertitur. VIII. Bordagium indiuiſum ſi vendat Bordarius, non tenetur pœna commiſſi, ſed venditionis laudandæ gratia tertia precij pars Domino cedit, ſi feudum ad ſe eodem, quo alius precio nolit reuocare. Si intercedat permutatio nihil Domino cedit. Quinque haſce poſtremas leges dixere Bordagio Niuerni. IX Interdum penſitationis pecuniatiæ anno vno ſimplum, altero duplum, tertio triplum ſoluitur ex lege Borboniorum. Ex his porrò legibus intelligi poteſt mens pacti illius inter Reomaenſem Guillelmum, & Dominum Rupis fortis conuenti; vt Borda maneret, quo erat in ſtatu, ſed nefas eſſet in ea quenquam amaſire. Nam amaſire vox etiam eſt Gallica, cuius vis eſt in manſo conſtituere. Vnde legere eſt in Conſuetudine Morinorum cap. 1 & Comitatus S. Pauli cap. 1. & 2. *Manoirs, Amaſes, & non Amaſes.* Et in Attrebatenſi cap. 160. *Ædifices, & Amaſemens.* Quibus locis qui legunt *Amaſſes & Amaſſemens* librorum fidei; & ſenſui legum repugnant. Diſtiuguuntur porrò domicilia amaſata, id eſt in manſum data ab iis, quæ non ſunt in manſum data. Quòd illa manſorum legibus tenerentur, iſta non item. Leges verò manſorum longè erant, quàm leges Bordarum liberaliores. Nam vt omittam manſos indominicatos, ſiue Principis, ſiue Eccleſiæ, qui nulli neque conditioni, neque præſtationi erant obnoxij. Manſos etiam veſtitos ingenuiles, ſeu caſamenta, vt in hoc Tabulario dicuntur, liberis hominibus conceſſa, quæ etſi præſtationem, aut cenſum deberent Domino, tamen in cæteris, vel diſtractibus, vel contractibus liberrimæ ſuberant poſſidentium poteſtati. Ipſi quoque manſi veſtiti ſeruiles, qui apud Burgundos, & alios Manus mortuæ vocabantur, longè liberaliùs poſſidebantur, quàm Bordæ. Cùm enim in multis

conuenirent, tamen has leges habuere hi manſi mitiores. I. Manſuarius diſtrahere, ac donare poteſt manſum ſeruilem iis omnibus, qui pari cum eo conditione Domino eidem ſunt obnoxij. Ita lex municipalis Burgundiæ cap. de Manu mortua, §. 10. II. Poteſt etiam manſum diuidere inter ſuos, aut alienos eiuſdem loci & conditionis ſine commiſſo, ibidem §. 12. III. Etſi abſit, & penſitationem Domino non ſoluat, manſum non perdit ante decennium, ibidem §. 22. Hæ puto, atque aliæ leges, quæ aliis in regionibus manſis ſeruilibus dicuntur, non leue diſcrimen inter eos, & Bordas inuexere, quæ fortè in cauſa fuere, vt Guillelmo & Domino Rupis fortis, ita vt diximus, & tabulæ iſtæ præferunt, conueniret.

De tractu & Serganteria à Guillelmo recuperatis Monaſterio.

Pag. 263 CLXXXVII. *Super terris tertialibus, in quibus dicebat ſe tractum habere, & ſuper Sergantariam.*] Aſiacum Lingonenſis tractus oppidulum ad fluuium Serenum, cuius Eccleſia iam olim à Vidrico Epiſcopo Reomaenſibus fuit attributa. Eius Eccleſiæ iura gemina inuaſerat Laurentius Piſcator ex villula Cria, tractum in terris tertialibus, & Sergantariam Aſiacenſem, quæ Guillelmus recuperatore Decano Reomaenſi ab Epiſcopo Lingonenſi data, in Monaſterij ius reuocauit. Quid tractus nomine hîc ſit capiendum, coniicere magis poſſumus ex artificio huius ius Laurentij piſcatorio quàm aliunde. Eſt enim planum tractum in fluuiis alueum eſſe, quo retia, naues, ac cætera natantia permeant. Sic Caſſiodorus lib. v. Variar. cap. xx. Inuiolati aluei tractus nauium relinquatur excurſibus. Quo ſenſu & Virgilius maris tractus nominauit. Ergo contendebat hic piſcator ſui iuris eſſe terras quaſdam tertiæ partis Canoni obnoxias, quæ ad fluuij ripam ſitæ, medium illi tractum aluei attribuerent. Nam fluuiorum exilium aluei, qui nauibus ferendis ſunt impares, ad riparum Dominos feudales pertinere moribus Gallicis alicubi eſt receptum, vt teſtantur leges municipales oppidi Monetonis ad Carum Biturigum fluuium. Illud tamen etiam licet obſeruare tractum pro certa fluuij, aut ſtagni portione interdum acceptum, vt in actis Murenſibus pag. 50. In lacu, inquit, habemus duos tractus & dimidium. Hinc verò, vt opinor, etiam pellectus eſt hic Laurentius, vt ſibi Sergantariam attribueret, quæ non rarò eſt in Gallia officium feudale, cuius curationi flumina, ac riuuli ſyluæ, & alia ſubſunt. Vocare ſolent *Sergenterie fieffée*, eiúſque crebra eſt mentio in lege municipali Normanniæ cap. 26. 28. & aliis, vbi inter feuda loricę recenſetur, & dignitate ſępiùs quàm fundo conſtare ſcribitur, quanquam cap. 34. Molendina quandoque ad Sergantarias ſpectare obſeruetur. Verùm quidquid illud erat, quod hic piſcator ſibi aſcribebat, id iuſtis vindiciis ad Reomaenſes recuperatoris ſententia reuertit.

Quid

Quid liciti fuerit in eo, quod Guillelmus in allodio ius feudi emit.

CLXXXVIII. *Feudum rerum quas in allodio tenebant vendidiſſe.*] Allodium hîc propriè dictum, quòd neque penſitationis, neque fidei conditione ab alio quæſitum eſſet, ſed pleno poſſideretur iure, nulla eſt dubitatio, cum venditione ſola incipiat feudali conditioni eſſe obnoxium. Sed ne cui fortè ſuſpecta ſit hoc loco Guillelmi fides, qui feudi ius in terras, prata, homines, nemora, & res alias quadraginta libris Diuionenſibus comparat. Quod erat res iſtas omnes, ſi deficeret poſſeſſor, in ſuam proprietatem poſſe reuocare, ſi non deficeret, fidem illius, ac penſionem ſibi obſtringere, ſciendum eſt eum contractum conſtare abſque vendentis iniuria dupliciter potuiſſe. Primò, ſi res venditæ ſimul omnes non pluris fuere iure æſtimandæ, quàm quantum erat pretium librarum quadraginta, quod in magna pecuniæ penuria per ea tempora potuit contingere. Nec dubium eſt, quin ſi res ita habuit, fas Guillelmo fuerit empta eo precio allodia antiquis poſſeſſoribus ſub fidei, & penſitationis conditione ſubinde reſtituere. Lex Feudorum lib. 2. cap. 54. Si contigerit allodium aliquod etiam infeudatum conferri Eccleſiæ, vel pro oblatione fidelium, vel per emptionis, & venditionis, alterúmve eiuſmodi contractum infeudatus, niſi per gratiam Eccleſiæ, tanquam de nouo reciperet, feudum quod habebat retinere non poterit, multò minùs de nouo quærere, quod non habebat. Secundò, ſi ex feudo leges fuerunt dictæ, vt quadraginta illis libris nihil aliud niſi obligatio ad fidem & penſitationem præſtandam quæreretur, etiamſi tota allodia multò pluris eſſent, nulla erat vendentium iniuria, dum ei obligationi par eſſet pecuniæ precium Pag. 264.

De ſigillis Roberti Lingonenſis Epiſcopi & Thirrici Decani Reomaenſis.

CLXXXIX. *Robertus Dei gratia Lingonenſis Epiſcopus.*] Diuturnum Abbatum Reomaenſium laborem in villa Suentiaco transferenda, in Monaſterij ditionem contulit extremo in tranquillitatem Robertus Lingonenſis opera Thirrici Decani Reomaenſis, vt teſtantur hæ tabulæ anni CIↃCCXL. quas Robertus decimo-quinto antè die obſignauit, quam ad ſedem Leodienſem transferretur. Cùm enim hæ datæ fuerint die Veneris ante Pentecoſten, videre eſt in hiſtoria Epiſcoporum Leodienſium alias in Synodo eodem anno ab eo datas Leodij die item Veneris poſt Trinitatem. Eſt autem operæ pretium obſeruare cuiuſmodi fuerit id ſigillum, quo ille peculiariter vſus eſt in hiſce tabulis. Nam cùm vulgò Epiſcoporum antehac Lingonenſium ſigilla, quæ in tabulis huiuſce Monaſterij extant, nihil exprimerent aliud, niſi Epiſcopi, aut ſtan- Pag. 267.

tis, aut ſedentis imaginem virgam paſtoralem ſiniſtra, librum dextra præferentem, aut manum benedicentis ritu attollentem, nomine nudo cum dignitate Epiſcopatus Lingonenſis ad limbum inſcripto, ſecreto nullo: tum Robertus hic tertius hæc peculiaria ſigillo adiecit. Inprimis limbi inſcriptio ſic habuit. *S. Ruperti Beronis Lingonenſis Epiſcopi.* Additum deinde eſt Secretum, ſeu Contraſigillum, cui impreſſa Epiſcopi mitrati, ac Pontificiis veſtibus inſignis imago genibus nixa, manibuſque ſuppliciter iunctis, cum hac limbi inſcriptione, *Miſerere mei Deus.* Retinuit ſecretum idem in Leodienſi Epiſcopatu, vt refert Hiſtoria Leodienſis, ſed ſigilli tunc limbus ſic habuit. *S. Roberti Lingonenſis Epiſcopi Leodienſis.* Sed cur in ſigillo Lingonenſi Beronis ſibi nomen tribuerit, ſuſpicari non poſſumus cauſam fuiſſe, quòd hoc illi cognomen eſſet, cùm ſatis conſtet eum dictum cognomine Torotam. Itaque non eſt, opinor, ambigendum, quin Baronis ſibi nomen adiecerit, ob Comitatum Lingonenſem Epiſcopatui additum annis antè quinquagenis ab Hugone Duce Burgundiæ in gratiam Galteri patrui ſui Epiſcopi. Nam refert Claudius Robertus circa annum CIↃCXCV. Epiſcopum Lingonenſem in quibuſdam tabulis Ducem iam appellatum, & CIↃCCXVI. inter Pares Franciæ recenſitum. Porrò Thirricus Reomaenſis Decanus, aliique ante ac poſt ipſum non ſolùm huius, ſed aliarum etiam Eccleſiarum Decani rurales ſigillo vſi ſunt, vt repræſentat hoc Tabularium, cui imago ineſt, Presbyteri Sacerdotali veſtitu ad Altare, cui crebrò ſacer Calix eſt impoſitus, celebrantis. Limbus Decani, & Eccleſiæ ipſius nomen præfert. Sed illud habet Decanus Reomaenſis peculiare, quòd in Secreto Lilium Francicum geſtet, quod Regiæ fundationis, vt opinor, argumentum fuit.

IN RAINALDVM II.

De iis quæ Rainaldus à Domino Rubei montis vendicauit.

Pag. 268. CXC. EGO *Andreas Dominus Rubei montis.*] Guillelmo tertio ſucceſſor proximus videtur fuiſſe Rainaldus ſecundus, cùm ex tabulis certum ſit Guillelmum annum CIↃCCXL. propè euoluiſſe, & Rainaldum ad initia CIↃCCXLIII. iam præfuiſſe. Is meritiſſimis, ac iuſtiſſimis vindiciis iura iſta Reomaenſium ab Andrea Rubei montis Domino repetiit. I. quod ad Armenſonem fluuium, cui imminet Caſtrum Rubei montis non pateretur Eſtiuenſium, qui Rainaldo Abbati ſuberant, pecora aquam potare. Cùm tamen verum ſit illud Iuriſconſulti effatum. Naturali iure communia ſunt omnium, aër, aqua profluens, & mare, inſtit. de Rer. diuiſ. §. 1. Et legatum aquæ niſi quibus in regionibus vendi-

tur, & niſi adiecta ſit ſeruitus hauriendi, aut pecoris ad potum appellendi inutile eſſe reſponderit Vlpianus ff. lib. 34. tit. 1. l. 14. II. Quod non diſſimili iniuria prohiberet eos, ne lina & cannabem aqua macerarent, néve pannos abluerent & lanas. Nam ſi hæc illi in communi, aut ſuo alueo faciebant, nulla erat ratio interdicti. III. denique illud erat iniuria, ac ludibrio plenum, quod aquam eos bibere, aut exportare è fluuio non ſineret. Eſt enim, vt ait Seneca lib. 4. natural. quæſt. turpe aquam emere, vt quod natura fluere & patere omnibus voluit, cuius hauſtum publicum fecit, quod tam homini, quàm feris, auibúſque, & inertiſſimis animalibus in vſum largè ac beatè profudit ingenioſa luxuria (vel potiùs auaritia) ad pretium redigat. Cæterùm cùm hæc omnia interdicta ſibi meritò abolenda cenſuiſſet Audreas, addidit ſe authenticæ perſonæ ſigillo has, ſimiléſve tabulas daturum obſignandas. Atque inſinuat Archiepiſcopum Lugdunenſem pro authentica abs ſe perſona haberi, Archidiaconum Tornodorenſem non item. Vnde liquet authenticam ipſi perſonam non fuiſſe, quæ ſigillo vteretur authentico, quo Archidiaconi non carebant, ſed cuius teſtimonium, ac iudicium omni eſſet maius exceptione.

IN GVILLELMVM IV.

De Præfectura huiuſce Guillelmi.

CXCI. IN *manu fratrũ Guillelmi Abbatis Reomaenſis.*] In additionibus veteris Catalogi Abbatum Reomaenſium manu, vt apparet, recentiore concinnatis, non Rainaldus tantùm ſecundus, ſed etiam Guillelmus hic quartus intercidit: connexuit enim ac confudit ſeu Librarius, ſeu Collector earum additionum Guillelmum tertium cum quarto, intercepto, qui medius erat, Rainaldo. Sed non eſt dubium, quin eos tempora Præfecturæ, & tabulæ Monaſterij apertè diſtinguant. Quæ mihi ſæpè cauſa fuit, vt nonnullas harum tabularum edendas putarem, quibus nihil alioqui magni ad hiſtoriam momenti continebatur aliud, niſi vel diuerſæ Abbatum Præfecturæ, vel earum ad plures annos prorogatio. Porrò hunc Guillelmum proximè à Rainaldo præfuiſſe docét tum extremæ tabulę Rainaldi anno exeunte CIↃCCXLVIII. conſignatæ, tum primæ Guillelmi ſeſqui anno tantùm poſteriores. Fuere amborum non diuturnæ Præfecturæ, Rainaldi annorum circiter octo, Guillelmi duorum, quæ etiam fortè cauſa fuit, vt Catalogo exciderent. Pag. 272.

IN ODONEM II.

De præſtatione annonæ Ordini Vallis Callium teſtante Odone conſtituta.

Pag. 273. CXCII. DEO *& fratribus vallis Callium.*] Fortunati fuere his, & ſuperioribus aliquot ſæculis Epiſcopatus Burgundiæ duo Cabilonenſis, & Lingonenſis quatuor Ordinum Religioſorum origine. Nam in illo enati Cluniacenſis & Ciſtertienſis, in iſto vallis Scholarium, & vallis Callium ordines. Omnium poſtremus hic fuit anno Chriſti CIↃCLXXX. vix antiquior. Fama enim eſt primordia illi fuiſſe poſt Luniacenſis Cartuſianorum Monaſterij conditum, qui non abſuit procul ab anno Chriſti CIↃCLXX. Nomen eius hic & in antiquiſſimis quibuſque monimentis vallis Callium, in recentioribus nunc vallis Caulium, nunc vallis Collium effertur, mihi videtur rectiſſimum, quod antiquiſſimum, nec diſſuadet loci natura nulla via regia; ſed Callibus crebris peruia. Huic Ordini duriſſima fuit per initia diſciplina, negotiorum terrenorum abdicatio maxima, ſeceſſio in loca ſola ſtudioſiſſima. Itaque cùm centenis ferè antè annis Stephanus Muretenſis Grandimontenſes ſuos ab omni agrorum poſſeſſione prohibuiſſet, ne operum ruſticorum, paſtionum, & negociationum ſtudium animos ſuorum terræ plus nimio affigeret, vt videre eſt in eius Regula cap. 4. 6. & 7. Voluerunt vallis Callium Monachi eius exemplo cæterorum eius temporis Monachorum pericula, ita defugere, vt agros, & armenta, quæ ille ſuis interdixerat non haberent, præſtationes tamen annonarũ, non vt ille voluntarias, & incertas, ſed perpetua agris obligatione indictas poſſiderent. Eius generis eſt ea quam hoc loco Philippus Montis medij Dominus ex matris Adelinæ teſtamento agris ſuis Viſernenſibus in perpetuum impoſuit, nec multùm ab ea diſtant cæteræ, quibus eius Ordinis domus hactenùs ſuſtentantur.

De priuilegio Innocentij IV. Odoni conceſſo.

Pag. 274. CXCIII. *Ad ſolutionem debitorum compelli per litteras Apoſtolicas non poſſitis.*] Ne in Eccleſiæ iniuriam verteret Eccleſiæ gratia poſtulatum eſt hoc priuilegium. Cùm enim vel Abbatum, vel miniſtrorum vitio, aut fraude contracta eſſent debita nomine Monaſterij, creditores malæ ſuæ fidei id ſuſtentaculum à Romano Pontifice mendicabant, vt illius litteris, & autoritate ad ſolutionem Monachos adigerent. Hanc iniuriam ac peruerſitatem auertit Innocentius IV. hoc priuilegio ſanciens, ne antè cogerentur ad ſolutionem, quàm creditores probaſſent ea, quæ

mutuò dederant in Monaſterij vtilitatem conuerſa fuiſſe. Nempe interpretatus eſt per Apoſtolica id genus reſcripta, nec derogatum, nec renunciatum fuiſſe priuilegiis Imperatorum, qui longè antè id Eccleſiis conceſſerant, ne vlla eſſet nominum pro Eccleſia ab adminiſtratoribus contractorum repetitio, ſi non anteà eſſet probatum, ea in Eccleſiæ vtilitatem ceſſiſſe. Id enim in primis ſanciuere Leo & Anthemius lib. 1. Cod. tit 2. l. 15. Is, inquit, creditor hîc intelligatur, qui quod credidit probat in vtilitatem diuinæ domus proceſſiſſe. Ac ſubinde Iuſtinianus conſtit. 120. Μήτε αὐτὸν τὸν δανειστὴν, ἢ τοὺς κληρονόμους αὐτοῦ κατὰ τοῦ εὐαγοῦς οἴκου ἔχειν τινὰ κατ' αὐτῶν ἀγωγὴν, εἰ μὴ δείξοιεν ὡς εἰς αἰτίας τῷ εὐαγεῖ οἴκῳ προσηκούσας τὰ χρήματα προεχώρησαν. Nec ipſum creditorem, nec eius hæredes vllam contra ſacram domum habere crediti actionem, niſi oſtenderint pecunias in res ſacræ domui conuenientes impenſas.

De donatione decimarum Montisbarri Hugoni IV. Duci Burgundiæ.

CXCIV. *Conceſſerant tertiam partem Decimæ.*] Venerat in ditionem Monaſterij Reomaenſis Hugonis III. Burgundiæ Ducis munificentia domus apud Mõtembarrum, iam ab anno CIↃCLXXXIX, vt anni eius tabulæ ſupra docuere. Eam domum ab auo ſuo donatam beneficiario titulo recipere voluit à Monaſterio Hugo IV, quod aliæ tabulæ his verbis expreſſere. Ego Hugo Dux Burgundiæ notum facio vniuerſis præſentes literas inſpecturis, quòd ego ſum homo ligius Epiſcopi Lingonum poſt Regem Franciæ, teneo ab ipſo Epiſcopo in feudo quidquid habeo apud Caſtellionem, & in appendicibus tam in feudis, quàm in dominio, & caſtrum Montisbarri cum appendiciis. Excepta domo mea, quam habeo in eodem caſtro, quam teneo ab Abbate Reomaenſi. Actum anno CIↃCCXXVIII. menſe Ianuario. Ita Lingonenſe tabularium. Hærebat huic domui Eccleſia quam Manaſſes Lingonenſis olim extruxerat, & Reomaenſibus attribuerat, vt ex literis Lucij III. Pontificis, ex hoc tabulario erutis ad annum CIↃCLXXXV. conſtare poteſt. Ei Eccleſiæ, quæ hodiéque eſt parœcialis, iura annexa erant decimarum, quæ cùm ægrè obtinerentur, viſum eſt Odoni Abbati de earum parte tertia cum Hugone IV. decidere, vt iuriſdictionis temporalis ſubſidio, quam ille cum domo Reomaenſi poſſidebat tuta eſſent reliqua decimarum iura. Senſus eſt plurium inde à Lateranenſi Alexandri III. Concilio licitum non fuiſſe decimarum iura in laicos tranſcribere, quod cùm ex illius Concilij actis quæ ſuperſunt non ſatis conſtet, hoc exemplo falſitatis conuincitur. Æquè enim id ſemper aut Præſulibus autoribus licitum, aut illis non autoribus fuit illicitum. Pag. 275.

De ſigillo Eduenſis Epiſcopi.

Pag. 177. CXCV. *Sigilli noſtri duximus munimine roborandam.*] Sigillum Gerardi Eduenſis Epiſcopi quæſitum eſt, vt Præſtariæ contractui vltimum robur accederet, de quo id vnum mihi hoc loco cenſeo annotandum. Secretum eius eſſe aquilam alis, & cauda paſſis, cruribúſque diuaricatis erectam, quæ vtrum ad inſignia huius Gerardi pertinuerit, non facilè dixerim, ſed illud tamen in hoc tabulario notatur Lingonenſes Epiſcopos ferè pro ſecreto habere Epiſcopi genibus nixi imaginem. Eduenſes autem Emblema quoddam an è rebus naturalibus, an ex inſignibus familiaribus hauſtum neſcio. Itaque Galterus ad annum ciɔccxii. in ſecrato habebat Arbuſculam cum hac in limbo inſcriptione. Secretum meum mihi. Stephanus verò ad annum ciɔcxliii. Roſam imprimebat ſecreto, cum hac inſcriptione Stephani Epiſcopi ſecretum.

De iure piſcationis Odonis apud Riceium per lorram.

Pag. 178. CXCVI. *Piſcationem habeant cum rete, lorra.*] Eodem modo loquuntur tabulæ anni ciɔccxxxv. Quandiu inquiunt fuerit Abbas in villa, piſcationem habebit in tota riparia de Riceio, cum rete & lorra. Et Theobaldus Rex Nauarræ, in confirmatione huius tranſactionis Odonis cum Andrea de Brocia ſic vertit, *Retiennent encore la peſcherie de la riuiere à Loërre, & à tous engins, tant comme l'Abbé ſera en la ville.* Quæri autem poteſt quid hæc vox olim Campanis, vt opinor, ac Burgundis peculiaris exprimat, ac mihi loca citata omnia conſideranti; non fruſtrà eſſe videtur, quod lorra ſemper opponatur retibus, & inſtrumentis piſcatoriis, nec aberraturum me cenſuerim ſi lorræ, aut loërræ vocem capiam de ineſcatione piſcium per offas ſoporiferas, & medicatas, quæ ratio eſt piſcandi oppoſita iis omnibus quæ per retia aliáve inſtrumenta perficiuntur. Sanè notum eſt ineſcationem auium Gallis eſſe *le leurre*, & piſcationem per eſcam ſoporiferam apud Armoricos, hodiéque dici *liurée.*

De hominij manus mortuæ apud Odonem profeſſione.

Pag. 179. CXCVII. *Ego me pro alio domino aduocarem.*] Cùm plurimæ eſſent hominij, ſeu clientelæ leges, tum iſta fuit potiſſima, ac omnibus locis communis, vt iis in manſis, ac prædiis, quorum gratia ſubibant alicuius patrocinium, neminem alium agnoſcerét clientes dominum, niſi à quo ea tunc accipiebant. Capitular. Caroli M. l. 3. cap. 8. vt nulli alteri per ſacramentum fidelitas promittatur, niſi nobis, & vnicuique proprio ſeniori ad noſtram vtilitatem, & ſui ſenioris. Lex municipalis Burgundiæ titulo de Manibus mortuis § 9. cùm vnicuique fas eſſe velit, vt in Ducis Bur-

gundiæ patrocinium tranſeat; tamen non patitur eum, qui Ducis patrocinium ſubierit, data ſibi ab alio domino prædia retinere. Quin & vetus lex Gundebaldi cùm eos multare vellet, qui ſeruos extra regionem venderent, iuberétque eos ſi redirent poſtliminio, non iam pro ſeruis, ſed pro liberis haberi, ſic tamen de patrocinio illorum ſancit, additamento 2. cap. 3. Quicunque ſeruum ſuum, aut ancillam de regione noſtra, in ſortem alienam vendiderit, & mancipium venditum ad propria redierit, vt libertus ſit ordinarius, ea tamen ratione vt non alterius patrocinium niſi domini illius qui eum vendiderit habiturum, ſe eſſe cognoſcat. Siue ergo origine libertos ſiue glebæ ratione, patrocinium alterius, quàm primigenij domini agnoſcere in Burgundia ſemper nefas fuit. Aliæ huius hominij leges, non eædem inter omnes fuere. Nam quidam patroni decedentibus abſque hærede, vnam ſecum familiam conſtante, libertis ſuccedunt non tantùm in bona immobilia, ſed etiam in mobilia, nec in ea tantùm, quæ ipſi dederunt, ſed etiam in ea, quæ alibi quæſita fortè fuerint à liberto, vt vides in priori formula. Quidam in ſola immobilia abs ſe liberto tradita ius habent ſuccedendi, vt in poſteriori. Cæteras leges pro regionum varietate diuerſiſſimas ſuggerere poſſunt regionum iura municipalia.

Ioannes & Alais Comites Autiſsiodorenſes Odoni villam Iouis cedentes quinam fuerint.

CXCVIII. *Ieans de Chalons cuens d'Auxerre.*] Fuit Ioannes Cabilonenſis inter filios alterius Ioannis Comitis Burgundiæ, & Cabilonis ſecundo loco genitus. Is etſi Comitatu Cabilonẽſi minimè potiretur, quod eum pater pro quibuſdam aliis ſuperioris Burgundiæ locis, cum Hugone IV. Duce inferioris Burgundiæ commutaſſet, nomen tamen retinuit, & ad poſteros longa poſthæc ſerie tranſmiſit. Coniugium illi fuit cum Aalide Hugonis, quem dixi, Ducis ex Odone filio primogenito, nepte, quæ dotalem illi Comitatum Autiſiodorenſem attulit. Ad eum verò Comitatum pertinuiſſe aſſerit hoc loco Ioannes Comes villam Iouis, quanquam illam huius Monaſterij monumenta, non Autiſiodorenſi, ſed Eduenſi Epiſcopatui contribuant. Non enim ſemper Eccleſiaſticos typos ſequuti ſunt ſæculares. Cùm ergo eius villæ dominium ac iuriſdictionem Odoni ac Monaſterio Reomaenſi venũdediſſent Guillelmus de Iouuilla, atque vxor eius Maria de Tanlayo, voluit Ioannes Cabilonenſis Odonem ab emptione remouere iure *προτιμήσεως*, ſiue vt ipſe in his tabulis loquitur *par deuantgré de lignage*, quod ſibi cum iis, qui vendidiſſent cognationem intercedere contenderet, cui id iuris eſſe ſanxit lex municipalis Burgundiæ tit. de Retractibus. Sanè ad Guillelmum de Iouuilla attinuiſſe propinquitate Ioannem Autiſiodorenſem Comitem teſtatur alter Ioannes de Iouuilla ſcriptor Hiſtoriæ S. Ludouici Regis Francorum, Pag. 280.

qui patrem illius nominat auunculum ſuum, vtporè qui eſſet Beatricis frater ex qua ipſe prodierat. Quo fiebat, vt conſobrinum haberet filium eius Comitem Autiſiodorenſem. Cùm ergo diſtinctè ſcribat hic Comes in his tabulis ſe villam Ionis ad ſe reuocaſſe ob cognationis priuilegium, non temerè dixerit aliquis Guillelmum de Ionuilla filium item fuiſſe Beatricis, & Ioannis qui iſta ſcripſit fratrem, cùm nec alia cognatio hîc occurrat ante eam quæ per Beatricem coaluit, & ad annum CIↃCCLXI. editæ ſuprà ſint tabulæ, quibus idem Guillelmus ſe iam fuiſſe coniugatum ſcribit, id eſt annos natum vt veriſimile eſt circiter triginta, qui inciderent in annum CIↃCCXXXI. quo tempore Ioannes nullum in ſua familia habere potuit alio, quàm fraterno ſibi nexu coniunctum. Nam ipſe, qui familiæ erat caput, eóq; nomine Seneſchalus Campaniæ, filium nullum habuit ante annum CIↃCCXLVIII. vt ſecũda parte Hiſtoriæ S. Ludouici teſtatur, multo verò minus fratres eius natu minores, aut cõiugati, aut patres ante eum annum eſſe potuerunt. Itaq; ſuſpicari poſſumus hunc Guillelmum fortè fuiſſe, quem ipſe Ioannes eo loco nominat fratrem ſuum *de Vaucouleur*, ſi non præter hunc alios etiam habuerit. Quod enim aliquis cenſeat Guillelmum nepotem fuiſſe Ioannis ex Guidone patruo, aut alio, is planè aberret, cùm patrui eius de ſtirpe Beatricis Cabilonenſis non eſſent, & Ioannes Cabilonenſis teſtetur in his tabulis Guillelmum de ſua ſtirpe prodiiſſe. Porro illud eſt hic notatu dignum, inſignia Ioannis huius Cabilonenſis fuiſſe ſcutum diagonali vnica faſcia diuiſum, quam Galli vocant *cotice*, vt ſigillum harum tabularum præfert.

Quis Milo de Noyers de quo emit Odo plurima.

Pag. 290. CXCIX. *Miles ſires de Noyers.*] Ratio temporis poſtulat, vt hic Milo intelligatur quintus inter eos, qui hoc nomine ſunt in illa familia inſigniti. Conſentit autem hîc nomen coniugis quæ in tabulis anni CIↃCCLXXVII. dicta eſt Maria, fuitquè ex familia Caſtillonæa ad Matronam filia Gaucherij V. vt in eius gentis hiſtoria docuit vir præclarus Andreas du Cheſne, lib. 7. cap. 1. Cæterùm in iis, quæ Milo tranſtulit in Prioris de Ious poteſtatem, primum fuit plenum ius lignandi in ſylua Eriualis, quod idcirco, vt arbitror, eleemoſynam nominat cùm ſit ſub cenſus præſtatione donatum, quia & exiguo cenſu eſt, & nullo pretio ius quæſitum. Vendidit aliis tabulis anno poſt priores ſecundo, tum alia plurima iura quæ per ſe patent, tum *foreſtagium* in ſyluis, quod non videtur eſſe aliud quàm prouentus ex præfectura earum, qua qui funguntur foreſtarij iam olim à Gallis nominantur. Addit, & ius *Annaciarum*, quæ, vt puto, fuit poteſtas annuum prouentum prædiorum aliquo in caſu percipiendi. Non enim tantùm in re feudali interdum ius fuit domino ad omnem vaſſalli mutationem annuos prædij feudalis reditus ſibi vendicandi, vt liquet ex iure municipali Pariſienſium art. 47. Siluanectenſium art. 167. & aliis.

aliis. Verùmetiam in re cenſuali idipſum interdum domino licuit, vt conſtat ex iure municipali Aurelianenſium, art. 115. 116. 122. & aliis. Denique in re manus mortuæ per mortem vacante ius eſt domino, vt rem liberam ſimul cum ſeruili poſſeſſam anno retineat, eiúſque fructus ſuos faciat, dum lapſo anno eam diuendat ex iure municipali Burgundiæ, cap. de manumortua art. 19. Hæc, vt opinor, ac ſi fortè alia, ſunt, quæ Annaciarum nomine hoc loco Milo expreſſit.

De Guillelmo de Iouis Villa.

CC. *Guillaume de Ionuille ſires de Iully.*] Produnt, vt opinor, hæ primùm tabulæ hunc Guillelmum de Ionuilla. Cùm enim in ea familia vnus tantùm hactenus compertus eſſet ab autoribus Guillelmus, tum illum certum eſt ab eo, qui hîc nominatur diuerſum fuiſſe. Nam ille deceſſit Archiepiſcopus Remenſis anno CIↃCCXXVII. vt videbis apud Robertum, hic autem ſe dominum Iuliacenſem hoc loco vocitat ad annum CIↃCCLXI. Illud quoque hîc dignum notatu appenſum eſſe his tabulis eius ſigillum, in quo ipſe equo inſidet vſque ad pedes inſtrato, dextra enſem diſtringens, ſiniſtra ſcutum opponens, cui hæc inſignia inſunt. In capite ſcuti, pali quatuor vnius coloris, quos tres alterius coloris inuicem diſtingunt, reliquum ſcutum planum. Quæ inſignia cur adeò ſint diuerſa ab iis quæ Ionuillææ familiæ tribuit in Hiſtoria Vergiacenſi lib. 8. cap. 2. Andreas du Cheſne vir egregius, alia, vt puto, cauſa dici non poteſt niſi tranſitus quiſpiam in alterius familiæ bona. Sanè ex tabulis huiuſce Monaſterij conſtat Iuliacenſe dominium duorum olim vno propè tempore fuiſſe, ad annum CIↃCCXV. Guiddonis de Cappis, & ad annum CIↃCCXX. Ioberti filij Ogerij de Iulleio, an in alteram iſtarum familiarum inſertus fuerit hic Guillelmus de Ionuilla non ſatis liquet. Sed inſignia eius multum diſtant ab inſignibus Guidonis de Cappis, quæ in hoc tabulario anno CIↃCCXV. nihil aliud continent niſi crucem anchoratam. Pag. 291.

IN GAVDRICVM.

An Officiis Monaſticis prædia ab eo primùm attributa.

CCI. *Habenda in perpetuum ab infirmario.*] Non eſt dubium, quin inde maxima fuerit, & diſciplinæ, & rei familiaris in Monaſteriis labes, quod domeſticis in primis adminiſtris, ac ſubinde etiam Monachis ſingulis ſuæ attributæ fuerint ſigillatim prædiorum, aut prouentuum Monaſterij partes. Nam lapſum inde eſt paupertatis ſtudium, iacta auaritiæ ſemina, charitas publicè imminuta, traductæ in affines, & cognatos Monaſteriorum facultates, licentiæ, ac vitiis, ſuppeditata alimen- Pag 292.

MMmm

ta. Irrepſit verò hæc lues in Monaſteria vulgò poſt annum milleſimum. Nam in Chronico Beſuenſi Ioannes Monachus eius Chronici autor, circa annum cıↄcvıı. Ego, inquit, cupiens talentum mihi creditum ampliare donaui Vlgerio centum viginti ſolidos, id eſt, ſex libras, & ipſi ac filij eius, quidquid in terra illa clamabant Deo & ſancto Petro in manu Domini Abbatis Stephani rèddiderunt. Dominus autem Abbas Stephanus donauit, & conceſſit eam Secretario Monaſterij per manum meam in perpetuum habendam, liberè abſque cenſu & conſuetudine. Erat verò hic Ioannes Secretario illi præfectus, vt alibi ipſe ſcribit. Cluniacenſes ab anno cıↄcLXIII. produntur in Chronico Maiori habuiſſe Priorem Ioannem de Bapalmis, qui decem libras cenſuales compararit, & in Monachorum cibos ad diem obitus ſui deſtinarit. Idémque de Huberto Camerario ſcribitur ad annum cıↄcLXXIII. At anno cıↄcccvııı. Héricus I. latam huic malo portam patefecit annua librarum aliquot penſione, administro cuilibet ex Monaſterij prouentibus adſcripta, vt idem Chronicum teſtatur. Dionyſiani apud Pariſios eodem iam laborabant morbo ad annum cıↄcccxııı. quo Nicolaus tituli S. Euſebij Cardinalis procurationes ſibi ex rebus Camerarij eorum exactas remittit, & Abbatis menſam à Mnoachorum aliorúmq; adminiſtratorum menſis diſtinctam, iam fuiſſe inſinuat. Non dedit huic rei initium apud Reomaenſes Gaudricus, vt proximæ tabulæ teſtantur, concedentes Camerario quæcunque alij Camerarij retro acto tempore habuerunt, & additamenta memorantes, quæ Odo anteceſſor ei officio adiecta voluit. Negari tamen non poteſt, quin eius tempore plurima huic malo facta fuerit acceſſio, dum certæ leges poſſeſſionibus, tam huius quàm cæterorum Officiorum dictæ, & de Capituli generalis conſenſu ſancitæ fuerunt. At licet eatenùs adminiſtrationes eiuſcemodi obedientiæ dicerentur, quod ſolo Abbatis, & Capituli imperio, atque arbitrio quandiu libitum eſſet gererentur; tamen haud multò poſtea Beneficiorum nomen, ac ius obtinuerunt, magnámque Monaſticis ſtatutis, vitæque religioſæ puritati, ac perfectioni perturbationem attulere.

De veſtitus Reomaenſium Monachorum colore.

Pag. 194. CCIL *Cucullam & Frocum de panno rouſſeto.*] Cucullam à Froco ſiue Floco, diſtinxerunt interdum Monachi, vt à parte totum. Cucullam enim vocitarunt eam ſupremæ veſtis partem, cui hæret cucullus, quæque à capite in dorſum demiſſa in angulam extremo colligitur. Hoc ſenſu ſcribitur cap. 21. Inter Aquiſgranenſia ſub Ludouico Pio, vt menſura cucullæ duobus conſiſtat cubitis. Quod planum eſt accipi non poſſe, niſi de parte veſtis. At Frocum ſeu Flocum nominabant alteram veſtis partem, quæ ab humeris demiſſa totum ad vſque veſtigia corpus amplectitur, ac longis hinc inde manicis communitur. Quo ſenſu dixit Turrecremata in Re-

gulam LV. S. Benedicti Flocum eſſe habitū ex omni parte clauſum, longiſque manicis manicatum. Sed vſus interdum fuit, vt alterum non diſtinguerent ab altero, & Cucullam, vel Cappam, vel Flocum eam veſtem nominarent, quæ omnium ſuprema caput ſimul, & corpus reliquum ambit. Prior vſus extat in verbis harum tabularum, quæ Cucullam, & Frocum Reomaenſibus confici volunt de panno rouſſeto. Vbi aperitur color parum, vt puto, antea obſeruatus veſtis extimæ Monachorum Reomaenſium. Non enim, vt nunc nigris, ſed rouſſetis, id eſt ruffis amiciebantur, ac cùm iam olim in ore eſſet id quod ſcribit Martialis,

Veſtitur Gallia ruffis.

Tum veriſſimile eſt Monachos, qui procul quæſita, & inſolita ambire non debuerunt, eodem colore amictos fuiſſe. Quamobrem ita ſancitum reperias in Regula Tarnatenſi c. 19. Veſtes ſimplici erunt, & natiuo colore procurandæ. Atqui Ruffum, quem Burrum veteres dixere, vt Feſtus notat, natiui coloris genus eſſe nemo dubitat. Sed expreſſiſſima eſt Regula Ferreoli 32. Colorem, inquit, in his veſtibus album, vel nimis ruffum, per quem ſæpe ſpecies corporis ad perniciem ſuam videntibus commendatur, vitet, hoc eſt, habere non ambiat. Album abſolutè, Ruffum autem non niſi nimium interdicit, quod indicio eſt Ruffum moderatum in vſu fuiſſe. Sanè Vadianus in Monaſterio ſancti Galli tunicam intimam antiquarum imaginum, quæ Monachos repræſentarent, non nigram, ſed fuſcam, ſeu leuiter ruffam fuiſſe tradidit. Neque verò is color Benedictinis, vel legibus, vel moribus aduerſatus eſt cum Regula LV. ſic loquatur. De quarum rerum omnium colore, vel groſſitudine non cauſentur Monachi. Vbi Turrecremata morem ſuo æuo in colore veſtium receptum ſic exponit. Non eſt, inquit, intelligendum, quod omnibus coloribus liceat illis vti, ſed accipiendum eſt ſic, quod non cauſentur inter tres colores permiſſos Brunum, nigrum & Album. Non eſt verò dubium quin Brunum Gallis idem ſit quod obſcurè ruffum.

De Veſtitus Conuerſorum Reomaenſium colore.

CCIII. *Cuilibet Conuerſo, & cuilibet Conuerſæ.*] Non eſt eadem vis vocis huius in viris, quæ in mulieribus. Nam notum eſt viros Conuerſos iam olim dictos, qui Monaſticam vitam ita ſuſciperent, vt nec ad Chori, nec ad Clericatus munia aſpirarent, ſiue quòd literis, ſiue quòd voluntate carerent. At mulieres Conuerſæ etſi eæ ſunt interdum, quæ Monaſticæ vitæ extra Chori munia ſunt addictæ, tamen de iis hoc loco nullus eſt ſermo, quibus veſtes à Camerario Monaſterij virilis diſtribui, nec mos, nec honeſtas ſinebat. Itaque Conuerſas ego hîc video interpretandas, viduas, aut virgines, quæ priuatis in ædibus vitæ caſtimoniam profeſſæ facultates ſuas, ita Monaſterio addixiſſent, vt interim ex earum fructibus ſuſtentarentur. Habuit enim iam olim Gallia hoc genus Conuerſa- Pag. 195.

rum, quæ priuatis in domibus degerent. Concilium Epaunenſe cap.21. ſanxit hoc ſenſu viduis non conſecrationem, ſed ſolam pœnitentiæ benedictionem ſi conuerti vellent imponendam, & longè poſteà Concilium Aurelianenſe V. can. 19. mentionem habet illarum, quæ tam puellæ, quàm viduæ in propriis domibus commutatis veſtibus conuerterentur. Quin & circa annum Chriſti DCCCLVIII. Herardus Turonenſis Preſbyteros plebium ſuarum monebat, non licere mulieribus, etſi in domibus propriis veſtes mutaſſent, velum ſemel ſuſceptum abiicere. Ergo conſentaneum fuit, vt eiuſmodi veſtitum, qui ſacri habebat aliquid, accuraret Camerarius, tum quòd omnem Chriſtianæ plebis curam ſuſcepiſſet Monaſterium, cuius pars non ignobilis erat in his Conuerſis, tum quod exemplis non paucis conſtet plures hæc tempora ſolitos bona ſua Monaſteriis addicere ea lege, vt ab illis alerentur, ac veſtirentur. Huius enim conuerſionis mulierum formulam videbis infra in Abbate Ioanne de Cuſſigniaco. Ex qua intelliges verba Actorum Murenſium pag.61. Ob hanc,inquiunt, neceſſitatem accepimus ad Conuerſionem duas Sorores, ſcilicet Tratilam, & Gutam, vt acquiremus argentum anno Dominicæ Incarnationis CIƆCXXIIII. Cæterùm color veſtitus Conuerſorum ſic in hiſce tabulis deſignatur. Cuilibet, inquiunt, Conuerſo quinque vlnas Burelli. Eſt autem Gallis Burellum, vt conſtat, pannus coloris leucophæi albo, & ruffo mixti. At color veſtitus Conuerſarum, non tam facilè intelligitur in his verbis. Cuilibet, inquiunt, Conuerſæ tres vlnæ Camelini. Quid enim ſit Camelinum non vulgò occurrit. Ac videri fortè poſſit ductum nomen à plãtæ vulgaris, quæ à Gallis Camelina dicitur, flore violaceo. Hunc enim colorem tribuit Dodoneus Melampyro, ſeu Myagrio, quod à Gallis Camelinã vocari teſtatur Ruellius. Repugnat ei Matthiolus, & alij: ſed non videtur dubitandũ, quin color Camelinus ſit violaceus, aut ei vicinus ceruleus. Nam Gaufridus de Belloloco in vita ſancti Ludouici Francorum Regis his propè temporibus, quibus ſcribebantur hæ tabulæ, ſic exponit hunc colorem cap. 8. ex quo, inquit, prima vice viam arripuit tranſmarinam, nunquam indutus eſt ſqualeto, vel panno viridi, ſeu bruneto, nec pellibus variis, ſed veſte nigri coloris, vel camelini ſeu perſei. Non enim ambiguum eſt, quin color perſeus, ſit Gallis ceruleus.

De Receptione hominis legij ad oſculum.

Pag. 295. CCIV. *Ad oſculum ſicut homo legius recipi conſueuit.*] Hominem legium ſeu ligium definitum videas apud Iuriſconſultos huiuſce æui eum, qui ita domino fidelitatem polliceatur, vt ei contra omnes ſine vlla exceptione obſequium, ac tutelam ſuam obſtringat. Vocis originem aliqui eſſe volunt ab Homologis, quorum mentio in Codice Theodoſiano. lib.6. de Patrociniis vicorum, vt Homologus per vocis corruptelam factus ſit Homoligius. Sed aliis non videtur probabilis ea vocis detorſio,

cùm Homologi inter ſeruos & colonos illic habeantur, Homines autem ligij ſint primæ nobilitatis. Itaque alij eam à ligando, alij à legendo deducunt, quaſi obnixè ligatos, aut ſtudioſè lectos homines exprimeret: alij veriſimiliùs vocem Italicam huic tantùm rei de nouo excogitatam putant. Extat autem apud Italos eius vis lib. 4. Feudorum tit. 99. vbi ſcribitur ligium hominem duorum eſſe non poſſe, quòd vni contra cæteros omnes fidelitatem iurarit. Ex quo inferunt merito nullius eſſe ligios homines, niſi ſupremi Principis. Non enim ritè iuratur inferiori contra alium quemlibet etiam ſupremum. Verùm etſi hic vulgò fuerit Italorum vſus, tamen longè aliter ligium hominem à Gallis acceptum docent non hæ tantùm tabulæ, ſed aliæ etiam innumeræ. Vt enim vides hoc loco ligium dici, qui non ſupremi Principis, ſed Abbatis, ac Conuentus homo eſſet. Ita in tabulis poſt annum cIↃCLXXX. ſcriptis Stephanus de Monte S. Ioannis ligium ſe profitetur Odonis III. Ducis Burgundiæ, cùm tamen Odo in aliis tabulis anni cIↃCXCVIII. ſe Regis Franciæ ligium hominem vocet. Et in tabulis anni cIↃCCXIV. Guillelmus Dominus Vergei ſic loquitur. Ego ſum homo ligius Epiſcopi Lingonenſis poſt Ducem Burgundiæ. Idemque in aliis tabulis cIↃCCXXIV. homagium nihilominùs ligium iurat Matildi Comitiſſæ Niuernenſi. Plura id genus exempla tum in Burgundicis, tum in aliis Hiſtoriis ſeſe offerent. In quibus ligium, vt opinor, homagium longè anguſtioribus terminis circunſcribitur, quàm Italorum patiatur definitio, quæ nulla exceptione fidelitatem contra omnes ab homine ligio exigit. Non enim tantùm iis qui Rege erant inferiores præſtabatur ligia fidelitas, Rege tacitè, aut expreſsè excepto, ſed etiam poſteriori Domino cum exceptione vnius, vel plurium Priorum. In quo intelligebatur homo ligius obſtrictus, vt Regi, vel priori Domino per ſeipſum, cæteris autem per ſubſtituti ſibi hominis operas ſubſeruiret. Quanquam & illud quoque obſeruatum eſt eum, qui plurium feudorum cauſa pluribus eſſet obnoxius, interdum non per omnia, ſed per ea quæ à ſingulis haberet feuda contra omnes operam promiſiſſe. Ita Guillelmus Vergiacus cIↃCCXIV. Ego, inquit, ſum homo ligius Epiſcopi Lingonenſis poſt Ducem Burgundiæ, & teneo de ipſo domum fortem Milonis de Elle, quæ eſt apud Rennetes, & ita quòd dicta domus præberet auxilium Epiſcopo Lingonenſi contra omnes homines. Porrò ligium id genus hominem ad oſculum admitti ſolitum à Domino ſcribunt hæ tabulæ, non quòd id honoris ligio tantùm tribueretur, cùm aliquos pateat receptos quoque fuiſſe ad ſimplex homagium per oſculum, vt in Conſuetudine Pariſienſi articulo 49. Trecenſi 46. Remenſi 59. Hoc verò ligij Hominij proprium fuit, vt fidelitatis iuramentum ſuper Euangelia à Laicis, ſuprà pectus ab Eccleſiaſticis præberetur, vt conſtat ex Conſuetudine Britannica articulo 329. & Cenomanenſi 150. Addebatur vt flecteret, qui iurabat, vel genu vtrumque ſi Regi, aut Principi iuraret, vel alterum ſi inferiori. Conſuetudo Marchiana articulo 192.

Ex Hiſtor. Vergiac.

Item vt nudo eſſet capite ac diſcinctus, manúſque iunctas inter Domini manus insereret. Cenomanenſis ibidem.

De Milone & Gaucherio Comitibus Barri ad Sequanam.

Pag 292. CCV. *Ego Milo Comes Barri ad Sequanam.*] Tres Barri Comitatus in clientela olim Comitis Campaniæ fuere Barri Ducis, Barri ad Albam, & Barri ad Sequanam, qui dum abſque additamento in veteribus monumentis nominantur, non leuem generant obſcuritatem. Vt verò nonnihil operæ præbeamus Comitibus hiſce Barri Sequanici diſcernendis à cæteris, repetenda eſt paulò altiùs eorum memoria. Ac mihi quidem nullus eorum occurrit antiquior Valtero, qui in tabulis anni cIↃcxLV. à Goſleno Epiſcopo Sueſſionenſi nominatur, atque in aliis tabulis anni cIↃcLI. à Theobaldo Bleſenſi Comite conueniſſe ſcribitur in matrimonium cum Petronilla. Ex qua procreatus ei eſt filius Milo I. Comes eiuſdem Barri, vt teſtatur idem Goſlenus in tabulis anni cIↃcI. Duxit is coniugem Agnetem Comitis Branæ hæredem, duáſque tantùm ex ea filias ſuſtulit, Petronillam, quæ Barri iſtius poſt patrem Milonem Comitiſſa fuit, & Mariam, quarum mentio eſt in Martyrologio Monaſterij ſancti Euodij Branenſis. Nupſit porrò Petronilla Hugoni Carnotenſi Vicecomiti, quem Comitem Barri ad Sequanam eius cauſa, & Epiſcopi Dunelmenſis nepotem, appellat Rogerius de Houueden anno cIↃcLXXIV. Eius Hugonis filium fuiſſe oportet Guidonem, qui pater fuit Milonis II. Comitis, & fratris eius Manaſſis Epiſcopi Lingonenſis, atque Iſabellæ coniugis primum Anſelmi de Triangulo, deinde Theobaldi Comitis Barroducenſis. Meminere enim eius Guidonis Catalogi Epiſcoporum Lingonenſium, Manaſſis autem, Milonis & Iſabellæ Alberici Chronicon anno cIↃccxIV. Cæterùm, Milonem hunc ſecundum Comitum Barri ad Sequanam extremum fuiſſe tradunt Annales Franciæ recentiores, quippe qui in bello ſacro contra Albigenſes ſine prole perierit. Omninò verò conſpirare cum eis videntur tabulæ anni cIↃccxxIII. quibus Laurentia Pontij de Cuiſello coniunx ita enunciat cum viro ſuo. Conceſſimus nos bona fide ratum habituros, & firmiter obſeruaturos quidquid Dominus Pontius de monte ſancti Ioannis faceret erga Dominum Comitem Campaniæ de Eſcheeta, quæ ad me Laurentiam iure hæreditario deueniet ab auunculo meo Milone quondam Comite Barri ſuper Sequanam, in Comitatu ſcilicet dicti Barri. Non potuit huic Laurentiæ ius eſſe in Comitatum auunculi, niſi ille orbus deceſſiſſet. Orbum dixi, quia non eſt dubium eum & coniugatum, & patrem fuiſſe Galcherij, quem Albericus in Chronico Milonis Barri Sequanici Comitis filium fuiſſe, & Eliſabethæ Cortenacenſi coniugatum obiiſſe teſtatur. Quòd verò Laurentia non Galcherij, ſed Milonis

In Hiſtor. Drocenſi. — Ibidem. — In Hiſtor. Vergiacen.

ſe hæredem nuncupat, id argumento eſt Galcherium è viuis ante patrem deceſſiſſe. Verùm dum Milo dicitur Comitum Barri huiuſce extremus, id non ita eſſe accipiendum, vt nullus poſteà Comes fuerit eius loci liquidò aperiunt hæ tabulæ Reomaenſes, quæ ad annum cIↄccxc. alium rurſùs Milonem & Galcherium ſuggerunt. Finiit ergo in Milone II. & Galcherio eius filio ſtirps eorum Comitum maſcula, ſed per Laurentiam neptem, Iſabellæ ſororis ex priore, vt ſuſpicor, coniugio Anſelmi de Triangulo filiam, alia ſtirps Comitum eſt exorta, cuius caput fortè fuerit Hugo eius Laurentiæ filius, qui in tabulis anni cIↄccxx. ætate adhuc minor dicitur. Potuit enim per ætatem pater fuiſſe huius Milonis III. qui in hiſce tabulis de Helixende Comitiſſa iam ſuſceperat Galcherium filium conſenſus, aut diſſenſus capacem. Planè verò hæc nominum Milonis, & Galcherij cum præcedentibus ſimilitudo, docere videtur iſtos ab eorum conſanguinitate non fuiſſe alienos. Idque eo eſt veriſimilius, quòd alij Milonis hæredes Iacobus de Dutnay & Simon de Rochefort partes ſuas hæreditatis Barri Sequanici non retinuere, ſed Comiti Campaniæ vendidere, vt conſtat ex tabulis anni cIↄccxxIII. initio probationum Hiſt. Caſtillioneæ Du Cheſne. Ibidem.

De permutatione cum Roberto Duce redituum Belaonis pro Marcis Sinemuri.

CCVI. *Robertus Dux Burgundiæ Dominus noſter.*] Sancitum erat iam olim ab Eccleſia licere Principibus rem Eccleſiæ immobilem ſanctione pragmatica cum ſua item immobili, vel æquali, vel meliori commutare, vt videre eſt cap. 1. de Rerum permutatione. Id an ſupremis tantùm Principibus, an etiam inferioribus eſſet conceſſum, vocarunt aliqui in dubium, eapropter actum eſt, vt opinor, hoc loco à Roberto Duce, vt ſua permutatio prouentuum Reomaenſis Camerarii apud Belaonem cum prouentibus Sinemuri, Regia pragmatica ſanciretur. Cæterùm Marcæ, pro quibus iura Belaonis comparat hic Robertus, non ſunt pondera argenti, vel auri octo vnciarum, vt vox hæc, ſeu Gallica, ſeu Germanica ſonat. Sed præſtatio quædam non ſolùm feudorum nobilium, ſed etiam prædiorum quorumlibet, cùm poſſeſſorem mutarent, vel cùm aliqua vertiſſent annorum interualla. Quòd enim tunc annuos prædiorum prouentus ſibi vendicarent Domini feudales, ac directi, eorúmque prouentuum valor aliquo æris, argentíve pondere, quod Marca dicebatur, ſoleret æſtimari, factum eſt, vt Marcarum nomine prouentus, vel annui, vel certorum annorum cenſerentur. Hunc vocis vſum inuenies in iure municipali Meledunenſi art. 55. vbi agro, cuius prouentus excedunt libras æreas viginti indicitur Marca, quæ ſit librarum decem, quoties in noui poſſeſſoris Pag. 293.

manum ager venerit. Item, ius Meldenſe art. 138. Marcam argenteam indicit eodem caſu, ſi eam agri precium exceſſerit. At Ducatus Borbonii peculiares quidam agri, non in poſſeſſoris tantùm, ſeu clientis, verùm & in Domini, ſeu patroni qualibet mutatione Marcagio ſunt obnoxii. Denique fuit id quoque olim onus impoſitum Diuionenſibus, quòd Hugo IV. remiſit. Sic enim inſinuant verba Guillelmi Vergiacenſis in tabulis anni CIↃCCXXXI. Quando, inquit, Hugo Dux Burgundiæ contulit libertatem Marcarum ſuis hominibus Villæ Diuionenſis, quam tunc per ſacramentum ſuum in perpetuum tenere promiſit, ego ſimiliter iuraui dictam libertatem, ſicut in litteris Ducis eſt expreſſum, firmiter obſeruare.

Quid eſſet Librata terra.

Pag. 254. CCVII. *Quater viginti libras terræ.*] Menſuras ſeu modos agri in his vocibus quidam intelligunt, rati libram terræ non eſſe aliud, quàm libratam, libram verò idipſum quod iugerum. Vt enim vnciam, ſextantem & ſcrupulum terræ à menſoribus agrorum vſurpata ſcripſit Varro lib. 1. de re ruſtica cap. 10. ſic & libram cuius illæ ſunt partes, ſuſpicantur modo cuidam agri ſignificando vſitatam. Sed cùm illud non ſatis videatur conſtare iugerum libram à Latinis olim appellatum, licèt partes iugeri, partium libræ nomina eſſent ſortitæ, ſicut nec pes libra eſt dictus, quamuis eius partes vnciales & ſeſcunciales dictas ſciamus, tum illud certò demonſtrari poſſe cenſeo libratam terræ à iugero diuerſiſſimam fuiſſe, nec aliud apud Gallos ſignificaſſe, niſi eam agri terræve quantitatem, cuius annui fructus nummorum vel Turonenſium, vel aliorum libra æſtimarentur. Cùm ergo libra Turonenſis hodie aſſibus viginti æquiparetur, librata terræ ea hodie fuerit, pro eius ſæculi in quo hæc ſcribebantur vſu, cuius prouentus annui ſint aſſium viginti. Docent id quidem inprimis hæ tabulæ Magiſtratus Sinemurenſis, quibus ſpondet tandiu ſe pro Roberto Duce ſuo ſoluturum octoginta libras Turonenſes annuas, donec, inquit, prædictus Dominus Dux, vel ſui hæredes vobis aſſignauerint quater viginti libratas terræ ad valorem Turonenſium, in redditibus & prouentibus aliis, ſingulis annis in perpetuum leuandis, ac percipiendis. Vbi diſertè vides libratas terræ æquari libris Turonenſibus percipiendis ex annuis prouentibus, totidémque ſponderi libratas, quot debebantur libræ annuæ. Quis autem credat iugerum terræ non pluris fuiſſe quotannis, quàm viginti aſſium. Deinde alio pertinere non poſſunt verba pluribus in tabulis huius temporis obuia. Librata terræ ad monetam vel Turonenſium, vel Diuionenſium. Sic enim

Hiſtor. Vergiac. anno CIↃCCXXXIX. Guillelmus Montis ſancti Ioannis Dominus paciſcebatur cum Hugone Duce Burgundiæ quingentas libratas terræ ad monetam Diuionenſem pro dote filiæ, & anno CIↃCCXXIX. Philippus

pus Rex Franciæ dorabat filiam ſuam Margaretam de duodecim mil- Hiſt. Burgund.
libus libratarum terrę ad paruos Turonenſes. Senſus nimirum in his eſt, vt patet, libratas illas iuxta valorem pecuniæ, vel Diuionenſis, vel Turonenſis fuiſſe à patribus coniugandarum mulierum ſoluendas. At ſi vox libratarum menſuras terræ exprimeret, ſuperfluum ſanè fuiſſet genus monetæ quo ſoluerentur contractui adiicere, cùm nihil inde vel commodi, vel incommodi manaret in contrahentes, maximè ſi de antiquis patrum poſſeſſionibus dos ſoluenda fuit, vt in his contractibus cautum eſt. Prætereà non deſunt tabulæ, in quibus libratæ terræ ſoluantur ex vectigalibus, quæ certè non ſunt agri. Nam anno cIↃccxvII. tabulæ Odonis Ducis Burgundiæ ſic loquuntur. Anſellus de Triangalo aſſignauit Garnero de Triangulo fratri ſuo triginta libratas terræ, ſuper pedagio pontium. Addi eo poteſt libratas terræ interdum exponi per libras pecuniæ annui redditus, quaſi per voces ſynonymas. Itaque extant tabulæ coniugales Petri filij S. Ludouici Regis Francorum cũ Ioanna Caſtillionæa, quibus Rex filio attribuit anno cIↃccLXIII. duo millia libratarum terræ annui reditus, quæ in aliis tabulis anni cIↃccLXXXII. ab ipſo Petro dicuntur duo millia annua librarum pecuniæ Pariſienſis. Sed perſpicua inprimis ſunt verba tabularum anni cIↃcccXVI. *Comme noſtre tres-cher Seigneur & pere Monſeigneur Charles fils du Roy de France Comte de Valois,* &c. *ſoit tenu aſſigner, bailler, & deliurer heritablement pour cauſe de nous Marguerite ſa fille mille liures de rente tournois o toute iuſtice & ſignorie haulte, & baſſe, leſquelles il nous promit, & donna en mariage faiſant de nous Guy & Marguerite deſſuſdits. Et icelles mille liures de terre il nous ait aſſignées,* &c. Ex quibus apertè conficitur libratas terræ nihil illis ſęculis fuiſſe aliud, niſi pecuniarias libras, quę ex terrę annuo prouentu perciperentur. Itaque Carolus V. Rex Francię ſic loquebatur in tabulis anni cIↃccccLXIV. *Donnons & ottroions quarante liures de rente en terre à les tenir, & poſſeder par noſtre dit Couſin.* Hinc factum, vt ad extremum promiſcuè librata non minùs diceretur de pecunia, quàm de terra, & viciſſim libra non minùs de terra, quàm de pecunia. Ita in tabulis anni cIↃccXXXIII. legitur. Duodecim libratas redditus Pariſienſis apud Pariſios percipiendas, videlicet octo libratas in cenſu de clauſo Malauicini, & quatuor libratas in redditu ſalis. Et viciſſim in tabulis ſuprà citatis anni cIↃccLXIII. Pręfatus autem Petrus tenebitur eidem Ioannę aſſignare vſque ad duo millia librarum terrę.

Margin notes: Hiſtor. Caſtillonæa. — Hiſt. Lucemburg. — Hiſt Caſtillon.

IN REGMVNDVM DE CVMMINES.

De Regmundo & eius contractibus.

Pag. 500. CCVIII. REGMVNDVS *humilis Abbas Monaſterij Reomaenſis.*] Regmundus, ſeu Regnemundus, ſeu quod alij ſcribunt Regnemodus Gaudricum paucis ab obitu diebus excepit. Nam vides extremas Gaudrici tabulas poſt feſtum beati Barnabæ, primas autem Regmundi Dominica, quæ id feſtum eſt ſequuta, datas. Cognomen eius fuiſſe de Cummines prodidit Ioannes Cabilonenſis, Comes Autiſiodori, & Tornodori, vt habes infrà in tabulis anni cIↃCCCXV. id cognomen nihil habet commune cum eo, quo vtebatur Philippus Cominæus Hiſtoricus, qui altero ferè poſt Regmundum ſæculo res Ludouici XI. Regis perſcribebat. Nam Philippus ex oppidulo Flandrico Comines nomen duxerat, primúſque è ſuis in Franciam à Ludouico XI. eſt traductus. Hic autem Regmundus hoc iam nomine cenſebatur in Burgundia, cùm nulla dum fuiſſent Principatus Burgundici cum Principatu Flandrico commercia. Non enim ad vnum peruenere ante annum cIↃCCCLXI. Qua verò gente, aut familia ortus fuerit Regmundus non liquet. Sanè Præfecturæ initia habuit, neque felicia, neque quieta, vt docent contractus, ſeu vſufructuarij, ſeu cenſuales, ab eo initi cum nepote Epiſcopi Lingonenſis, & cum Duce Burgundiæ. Cùm enim iam tum opes Eccleſiæ laicis eſſent inuidioſæ, ſenſimque flacceſceret eius iuriſdictio, labor erat maximus in agris, vt Eccleſiarum, ac Monaſteriorum Præfecti à popularibus atque nobilibus cenſualium, feudalium, aut decimalium agrorum poſſeſſoribus, ſuum contra vim & fraudem ius obtinerent. Itaque niſi Epiſcopos, ac Principes aliquo ſibi deuincirent benefacto, multis fiebant detrimentis obnoxij. Hinc natæ plures contractuum rationes, quibus non leuiter debilitatæ ſunt temporis decurſu Eccleſiarum facultates. Nam præter aduocatias, & cuſtodias, quæ iam olim erant in vſu, excogitati ſunt, vt vides hoc loco, vſufructuarij contractus, quibus Principi, aut Epiſcopo, aut viro potenti concedebantur ad vitam ſacrorum prædiorum prouentus, vt refractarios populares, ac nobiles cogerent agnoſcere onera, ad quæ tenebantur, iuráque ſtabilita, ac reformata Eccleſiis reſtituerent morientes. Valuit ad tempus hoc remedium, ſed relabentibus ad peruicaciam populis, poſt deceſſum virorum id genus potentium, inuecta eſt labes maior in Eccleſiam, vt de iure, ac prouentu Eccleſiæ pars dimidia decideretur in perpetuum cum Principe, quo pars altera tuta eſſet, id quod poſteriora ſæcula dixere Pariagium, ſuúmque habet etiam hoc tempore vſum.

Quid Abonnagium, ſeu Abornagium à Remundo conceſſum.

CCIX. *Libertate, ſeu Abonnagio antedictis.*] Clara eſt deſcriptio A-bonnagij in verbis huius tabulæ. Abonnamus, inquiunt, & liberos eſſe volumus ab omni talia, coruea, queſta, & ab omni alio genere & onere ſeruitutis pro quatuor libris ceræ: ſaluis tamen cenſiuis, coſtumis, manu-mortua, iuſtitia, dominio, & aliis iuribus conſuetis. Ex quibus liquet Abonnagium non fuiſſe ius plenum libertatis, ſed nonnullam onerum, quæ à Domini pendebant arbitrio, pro certa ac determinata penſitatione moderationem. Origo vocis Gallica eſt, quòd Gallis termini ſint *Bornes*, vel *Bonnes*, & quod limitatum, ac determinatum eſt, dicatur *Borné*, & apud aliquos *Bonné*. Vnde non abs re ductam putant aliqui vocem corruptæ Latinitatis Bunnuarium, qui erat certus, ac limitatus agri modus. Porrò Abonnagium ritè dictum ſeruilium onerum limitationem, intelligitur ex variis iuris Galliæ municipalis locis. Nam ius Turonenſe art. 122. Hominij iuramentum in certam pecuniæ ſolutionem commutatum nominat Abonnagium. Andegauenſe art. 131. Equi militaris præſtationem pecunia item certa æſtimatam eadem voce exprimit. Carnotenſe art. 16. Si feudum, inquit, eſt Abonnatum, ſeruetur lex Abonnagij. Denique iuxta huius loci vſum Abonnagium dicitur in hominibus, cùm vel tributa, vel operæ ſeruiles Domini arbitrio priùs præſtandæ ad certos limites rediguntur in iure locali Turonenſi apud Azaicum, & Buſancium. Vbi ſcribitur Dominos eorum locorum habere quoſdam homines pro libito ſeruientes, & quoſdam Abonnatos. Quædam alia iura Abornatos, & ſtatum eorum Abornamentum vocant, vt Andegauenſe art. 209. Chaſſanæus in Conſuetudines Burgundiæ cap. 9. art. 18. quæſitum ſua ætate refert an Clerici, qui Reomaenſi Abbati ſuberant, haberi deberent pro hominibus ad arbitrium ſeruientibus, an verò Abonnati (non, vt illic ſcribitur, Abommati) ita eſſent, vt ex vi Clericatus tributa non tenerentur quotannis ſoluere, iudicatúmque pro Clericis contra Abbatem, quod probatum fuerit Conſuetudinem veterem illis fauere. Communi tamen iure contrarium verius eſſe exiſtimatum. Pag. 301.

De terris tertialibus Remundo donatis.

CCX. *Tertias ſuas quas habet annuales in terris tertialibus.*] Mos fuit nonnullis earum gentium, quæ Romani Imperij ditiones inuaſere, vt cum antiquis poſſeſſoribus agros ſibi partirentur, atque aliquæ dimidiam, aliquæ tertiam, aliquæ aliam ſibi agrorum partem vſurparent. Gotti enim in Italia tertiam abſtulere, plerunque agrorum partem poſſeſſoribus duas reliquere, quam rem deputationem Tertiarũ vocat Theodoricus apud Caſſiodor. lib. 2. epiſt. 16. Burgundi verò in Gallia tertiam mancipiorum, & duas agrorum partes ſibi vendicantes cætera poſſeſſo- Pag. 303.

ribus reliquere; niſi fortè agros quis eorum à Rege ſibi tributos peculiariter poſſideret. Ita docet Gundobaldus in Lege Burgundica tit. 54. §. 1. Eodem, inquit, tempore, quo populus noſter mancipiorum tertiam, & duas terrarum partes accepit, eiuſmodi fuerat à nobis emiſſa præceptio, vt quicunque agrum cum mancipiis, ſeu parentum noſtrorum, ſeu noſtra largitate perceperat, nec mancipiorum tertiam, nec duas terrarum partes ex eo loco, in quo hoſpitalitas fuerat delegata requireret. Hinc, vt opinor, orta eſt conſuetudo apud eas gentes, vt non ſolùm redemptores, ſed etiam colonos in agris ſuis partiarios cōſtituerēt. Ac neſcio an fallar, ſi dixerim veteres fortè poſſeſſores ea lege in agris priſtinis omnibus interdum degere permiſſos, vt ex eorū cultura, vel tertiā, vel binas fructuum partes aduenis hiſce Dominis penſitarent. Sanè quin Gottorum Principes de ea, quæ ipſis obuenerat parte agrorum ita conuenerint cum poſſeſſoribus non videtur ambigendum. Eò enim pertinet hoc præceptum Theodorici apud Caſſiodorum lib. 7. epiſt. 22. Quæ de binis & ternis quantitas ſolemniter poſtulatur ad Comitis ſacrarum ſcrinia poſtpoſitâ dilatione dirigatis. Et lib 1. epiſt. 14. genus Tertiarum quotannis in tributaria ſumma perſolui concedit, frugum videlicet penſitatione in pecuniam commutata. Eodémque ſenſu lib. 2. epiſt. 17. Tertiarum illationem commemorat. Hæc, vt opinor, fuit & tertiarum, & tertialium terrarum origo, aut exemplum. Quanquam in Romanorum legibus ruſticis mentio etiam eſt τῆς μορτῆς, quæ erat fructuum inter dominum & colonum partitio, tit. 2. §. 1. τῆς ἡμισείας, quæ fuit locatio ad fructuum medietatem, tit. 3. §. 1. Apud Græcos autem memorat Plutarchus in Solone colonos fuiſſe ἑκτημόρους, id eſt qui ſextam Dominis partem frugum penderent.

De miſſione Regmundi in poſſeſſionem per chartæ traditionem.

Pag. 307. CCXI. *In poſſeſſionem corporalem inducendo traditione præſentium.*] Conſuetudinis fuit non parùm antiquæ in Gallia maximè, & Germania, vt rerum poſſeſſio nec adiretur, nec abiiceretur, ſine ſolemni alicuius rei corporeæ vel acceptione, vel abiectione. Vt enim omittam quæ vir clariſſimus Hieronymus Bignonius hac de re præclarè obſeruauit in notis ad formulas, illud eſt, vt puto dignum obſeruatu, Germanos, & Gallos non rarò tabulis contractuum ſolitos adiicere eas fuiſſe ſtipulatione ſubnixas, quod etſi nonnulli interpretentur de ſolemni verborum ſtipulatu per interrogationem & reſponſionem, tamen ego non temerè ſuſpicor de ſtipulæ, ſeu feſtucæ traditione, dum mutabatur poſſeſſio, intelligendum eſſe. Nam libro 1. Traditionum Fuldenſium, cùm occurrant plurimæ tabulæ, quibus hæc additur clauſula, *ſtipulatione ſubnixâ*, tum in aliis pluribus eius loco iſta adiicitur, *culmo ſubnixa*. Itaque lib. 1. cap. 10. Hæc traditio, inquit, coram teſtibus peracta eſt, & culmo ſubnixa.

& cap.5. habeatis poteſtatem culmo ſubnixam: & lib.2.cap.44. firmiſſimam habeatis poteſtatem culmo connexam. Pro culmo ramum & ceſpitem, cerei incenſionem, ſtolæ comprehenſionem, in iis quæ tradebantur Eccleſiæ videas interdum vſurpari. Cuius rei exemplum ſuggerunt tabulæ anni CIƆCCCIV. apud Miræum lib.1. Diplomatum cap. 90. Maior, inquit, Monaſterij cereus illuminatus fuit, & prædictus miles dominus Theodoricus cum viridi ceſpite, cui viridis ramus infixus exiſtit, arrepta etiam ſtola, qua frater Ioannes de Valla Dei Monachus, & dicti Monaſterij Confeſſor præcinctus erat, & ſubſcriptis teſtibus, ad perhibendum ſuper hoc teſtimonium efficax, cum inſtantia conuocatis, obtulit ſcienter, & ſpontaneè ſuper altare dicti Monaſterij Domino Deo hæreditariè decimam prænarratam. Apud eundem, in Donationibus, Tabulæ, quibus Matilda Gregorio VII. & Romanæ Eccleſiæ, bona ſua confert, ſic habent. Per præſentem chartulam offertionis ibidem habenda confirmo, inſuper per cultellum, feſtucam nodatam, guantonem, & quaſcionem terræ, atque ramum arboris, & me exinde foras expuli, garpiui, & abſentem feci. Peculiare eſt quod ſcribitur in tabulis Beſuenſibus anni CIƆXXXI. Olgeri Abbatis primo. Omnia reddidit per caligulam ſuam, quæ vulgò Oſa dicitur quam impleuit de ipſa terra, & virgulam de viridario ſumpſit ad teſtimonium, quæ videlicet tranſmiſit per Nuncios ſuos. Hac ferè aut non valdè diſſimili ratione adiri, vel abiici ſolita eſt poſſeſſio rerum non mobilium, ac corporearum. Sed res quaſi incorporeæ, vt honores, officia, beneficia diuerſam habuere ſolemnitatem quæ exemplis aliquot melius, quàm verbis patefiet. Illuſtre illud eſt ex tabulis anni CIƆCCCXL. quibus Humbertus Dalphinus Ainardum Comitem Clarimontis ad dignitates, & officia admittens. Per traditionem, inquiunt, vnius annuli, & vnius enſis in ſignum Vicecomitatus, & vnius penuncelli cum cauda, poſiti in vna lancea, armis Delphinalibus inſigniti, in ſignum Capitaneatus, & per traditionem vnius virgæ albæ in ſignum Magiſterij, & in ſignum inueſtituræ, & traditionis omnium præmiſſorum inueſtiuit. De Beneficiis Eccleſiaſticis illud occurrit ex tabulis Henrici fratris Ludouici Iunioris Regis Francorum circa annum CIƆCXL. Præbendam in manibus meis per panem, & librum reddidit, & ego conſequenter ſimiliter per panem, & librum in manibus venerabilis Theobaldi Prioris de Campis eam ſepoſui, & per illum Eccleſiæ, cui præerat in perpetuum poſſidendam contradidi. Verùm haud ſcio, an quidquam frequentiùs fuerit in omni adeundæ, vel renunciandæ poſſeſſionis genere, quam quæ hoc loco ſuggeritur in Reomaenſibus tabulas traditio Chartarum, aut librorum, quibus, vel contractus de rebus corporeis, vel collatio dignitatum, officiorum, aut beneficiorum conſcripta eſſet. Ita Tabulæ circa annum DCCCCLIII. lib.1. Diplomatum Belgicor. cap.18. Per hanc Chartulam donationis, ſiue per feſtucam ad opus Sanctorum à die præſenti donamus, tradimus, ac per-

Hiſt. Dalphinorum Viennenſium.

Ex Hiſtor. Dioceſi.

perualiter transfirmamus. Et Tabulæ anni CIↃLXXII ibidem cap.31. Damus, inquiunt, tibi, tum Abbatiam de Echam, tum etiam res, quæ infrà dicentur ſolemni dono, & hac pariter ſcriptura inueſtimus, vt poſt geminam inueſtituram nihil ſit, quod infirmare poſſit: Eodem ſenſu dictum eſt in tabulis Hugonis Burgundiæ Ducis anni CIↃCVI. Hoc donum (id eſt donationis contractum) in manu Domini Papæ poſui, & in tabulis anni CIↃCLXXIII. ferens librum in manibus obtulit Domino omnia ſupraſcripta, & anno CIↃCLXXX. Hoc donum conceſſum eſt, & poſitum in manu Abbatis. Videre etiam tabulas quaſdam contigit, quæ narrarent donationes ſacras Regulis Monaſteriorum primum inſcriptas, ac per Regularum ſubinde traditionem Monachos in rerum donatarum poſſeſſionem miſſos. Tabula Beſuenſis. Propria manu donum roborauit ſuper altare per librum qui vocatur Regula S. Benedicti coram multis teſtibus. Nec ab his diſtat admodum hoc item Tabularum Beſuenſium Roberto Epiſcopo Lingonenſi, & Stephano Abbate. Per textum, inquiunt, Euangelij ſuper ſanctum altare ſupradictorum Apoſtolorum tenimentum Germani Preſbyteri dedit.

Ex Hiſtor. Vergiac.

IN GVILLELMVM V.

Cur Eccleſia Mundaenſis libera à procuratione Legatorum Papæ.

Pag. 307. CCXII. *Non teneri ad procurationem*] Prouincialium ſumptibus Legatos Principum exterorum viatico inſtrui, gentes propè omnes voluere, ſubditorum non item. Nam quādiu Romanis legibus integra vis ſua fuit municipiorum, ciuitatum, immo & Romanæ vrbis ſumptibus, quæ legatiua dicebantur, Legati aut intra, aut extra imperium à Romanis ſunt deſtinati; niſi fortè quod interdum fiebat, aut liberam, aut gratuitam legationem obirent. Ita ferunt hæc Arcadij Iuriſconſulti, D. lib. 50. tit. 4. l. 18. Legati, inquit, qui ad ſacrarium Principis mittuntur viaticum, quod legatiuum dicitur interdum ſolent accipere. Et hæc alia Vlpiani ibidem tit. 7. l. 2. His, inquit, qui non gratuitam legationem ſuſceperunt, legatiuum ex forma reſtituatur. At labente iam Republica legúmque vigore flacceſcente excogitatæ ſunt artes nonnullæ, vt Legatorum munera in Prouincialium, per quos iter habebant onera, verterentur. Saluianus lib. 5. de Gubernatione Dei. Veniunt, inquit, plerumque noui nuntij Epiſtularij à ſummis ſublimitatibus miſſi, qui cōmendantur illuſtribus paucis ad exitia plurimorum, decernuntur his noua munera, decernuntur nouæ indictiones, decernunt potentes, quod ſoluant pauperes. Minuit id malum, non ſuſtulit Iuſtinianus poſtrema Codicis lege. Verùm de Legatis gentium Principúmque exterorum, qui hoſtes non eſſent perpetuum id, ac conſtans videtur fuiſſe, vt Prouincialium, per quos illis iter

erat, liberalitate fouerentur, atque honeſtarentur. Nam vt Romæ, ſic & in Prouinciis lautia, atque hoſpitia Legatis hiſce publicè data obuiis hiſtoricorum autoritatibus docemur. Burgundi Reges, qui in res Romanas ſucceſſere, ſic de re iſta ſanxerunt in lege Gundobaldi tit. 38. lib. 3. De Legatis, inquiunt, extraneatum gentium, vt dictum eſt, id volumus cuſtodiri, vt vbicunque eos manſio contulerit vnum porcum, aut vnum veruecem præſumendi habeant facultatem, & quod datum fuerit Legatis ei, qui dedit ab iis, qui intra terminum villæ ipſius commanent, compenſetur. Idem addunt lib. 4. de feno & hordeo, & lib. 5 de manſione. Francorum lex hac de re clariſſima occurrit in Capitularibus Caroli Magni lib. 2. cap. 16. De inhonoratione, inquit, Regis, & Regum & mala fama in exteras nationes diſperſa propter negligentiam eorum, qui legationes ad nos directas in ſuis manſionibus, aut malè recipiunt, aut conſtitutam à nobis expenſam non tribuunt, aut parauereda dare nolunt, &c. Hoc omnibus notum eſſe volumus, quod quicunque ex his, qui honores noſtros habent abhinc negligentiam hanc emendare non certauerit, &c. nec noſtrum, nec regni honorem vlterius volumus vt habeat. Huiuſcemodi cùm eſſent mores Francorum, & aliorum erga Legatos gentium omnium, mirum eſſe non debet, quod ab eis erga Legatos Pontificios eadem ſemper vſurpata ſit munificentia. Quamquam extremis ſæculis ob frequentiſſimos Legatorum commeatus, id ſit ſancitum à Pontificibus, vt eorum tantùm, qui Eccleſiaſticis potirentur beneficiis ea eſſet curatio, atque expenſa Innocentius III. de Cenſibus cap. 17. Cùm omnes Eccleſiæ Legatis, & Nunciis Sedis Apoſtolicæ procurationes impendere teneantur, ab earum præſtatione nullam habere volumus excuſatam cauſam cur teneantur adiicit in Conſtitutione integra, quæ extat Collect. 3. cap. 2. de Cenſib. quod per Legatos, Eccleſiarum negotia à Pontificibus expediantur. Tria tamen Eccleſiarum genera procurationum eiuſmodi immunitate donata Canones innuunt. Primum, quod priuilegio Sedis Apoſtolicæ ab eis eſſet exemptum, cuius generis exempla extare non credit Innocentius loco iam citato. Alterum, cuius eſſent tam tenues facultates, vt Oratorij potiùs, quàm Eccleſiæ nomine eſſet cenſendum. Quod genus Gregorius IX. procurationibus non eſſe obnoxium declarat cap. vlt. de Cenſibus, & S. Dionyſio Pariſienſi id priùs conceſſerant Honorius, & Innocentius III. vt eius Monaſterij tabulæ referunt. Tertium genus fuit earum Eccleſiarum quæ Monaſteriorum adminiſtris ad ſeruitia Monaſtica eſſent attributæ. Quod enim illorum beneficia cohærerent quodammodo cum Abbatis, cui miniſtrabāt dignitate, nec decimas, nec procurationes alias, quàm quæ nomine Abbatiæ impenderentur ab Abbate, exſoluere cogebantur. Ita Nicolaus S. Euſebij Cardinalis, qui Reomaenſes has tabulas dedit, inſinuabat in aliis tabulis Dionyſianis anni cIɔccccxIII. Abbas, inquit, ſoluendo Decimam, Procuratione, ſeu alia impoſitione, Camerarium liberat, maximè cum

omnia bona, quæ ſunt de cuſtodia Camerarij, ſint de ſui Abbatis Camera, ſiue Cella. Eadem mens & enunciatio fuit Petri Præneſtini, & Ambaldi Tuſculani Cardinalis in tabulis item Dionyſianis anni cIↃCCCXLVIII. Ego cenſeo Eccleſiam Mundaenſem, aut extrema hac de cauſa, de qua tamen hactenus mihi non ſatis liquet, aut priore procurationibus Legatorum fuiſſe exemptam. Eſt enim exigua Eccleſia & matricis alterius ſubadiuua, nec Oratorio admodum diſpar.

De Duelli ad lites decidendas ortu, ritu, & interdicto.

Pag. 311. CCXIV. *En champ de bataille.*] Duello lites decidere moris fuit non ſemper damnati. Nam cùm duellorum ſeu certaminum ſingularium tria ferè, extra gladiatorum artem, genera cenſerentur, quod belli publici paucorum periculo finiendi, quod honoris priuati reſarciendi, & quod iuris ſui Iudicibus probandi cauſa ſuſceptum eſſet. Primum genus nullo non æuo licuiſſe docent omnium ætatum exempla. Secundum, ſi autoritate priuata, & vindicandæ iniuriæ ſtudio niteretur, lex & ratio ſemper eſt deteſtata, ſin autem publica autoritas ſciſceret, & periclitantis innocentiæ extrema neceſſitas ſuaderet, probi aliquando mores non reſpuere. Tertium huius eſt loci proprium, qui vt eius origo, ritus, atque interdicta, leuiter delibentur, poſtulat. Inſtitiam cauſæ ſuæ ferro probare antiquiſſimi, quod hactenus occurrerit, apud Germanos moris fuit, vt Paterculus lib. 2. teſtatur. Item apud Burgundos, vt docet lex Gondobaldi tit. 4. §. 1. 3. & apud Alemannos legis eorum tit. 43. §. 1. & tit. 56. §. 1. & apud Pannoniæ incolas, quo tempore Theodoricus Gottus dominabatur Italiæ. Sic enim ille apud Caſſiodorum lib. 3. epiſt. 24. ad Pannonios. Cur ad monomachiam recurritis, qui venalem Iudicem non habetis. Quid opus eſt homini lingua, ſi cauſam manus agat armata? Apud Baioarios circa eadem tempora duplex fuiſſe modus ius ſuum repetendi monomachia traditur tit. 8 §. 1. legis Baioaricæ, de iis qui ſibi limites inuicem inuadunt. Si alia, inquit, probatio nuſquam inueniri dignoſcitur, nec vtriuſque inuaſionem compenſare voluerint, tunc ſpondeant inuicem quòd dicimus *Vuehadinc*, Vuadehinc, (& Vvandehinc in Synodo Bauarica Taſſilonis) & in Campiones non ſortiantur, ſed cui Deus dederit fortiam & victoriam ad ipſius partem deſignata pars, vt quærit, perueniat. Vides enim hîc diſtingui Vuehadinc à Campionibus, & illic robur & victoriam propriam iſtic ſortes interuenire Campionum. Itaque in hac, vt opinor, primùm lege occurrit mentio probationis per Monomachiam Campionum pro re aliena pugnantium. Quæ ſubinde frequens eſt in lege Anglorum tit. 14. in lege Friſionum tit. item 14. ſed multo maximè in lege Longobardorum lib. 1. tit. 1. l. 7. tit. 9. l. 23. & alibi: Inde veriſimile eſt eam ad Francos dimanaſſe, Carolo & Ludouico Pio rerum potiente. Nam lib. 2. legis Longobardicæ tit. 55. l. 23. & libro 2. & 4. Capitularium

pitularium, prima eius apud Francos offertur memoria, vt & in appendice ad legem Salicam, quæ omnia Carolo & Ludouico regnanto ſunt ſancita. Porro fuit is per Campiones probationis ritus, quem diſertè exprimit lib. 4. Capitul. cap. 23. Ludouicus, & alij alibi, his legibus. I. Si quis cum altero de qualibet cauſa contentionem habuerit, & teſtes contra eum per iudicium producti fuerint, ſi ille falſos ſuſpicetur, liceat ei alios teſtes, quos meliores potuerit, contra eos opponere, vt veracium teſtimonio, falſorum teſtium peruerſitas ſuperetur. II. Si ambæ partes teſtium ita inter ſe diſſenſerint, vt nullatenus vna pars alteri cedere velit, eligantur duo ex ipſis (ſortito, vt ait lex Baioarica) id eſt, ex vtraque parte vnus. III. cum ſcutis, & fuſtibus in campo decertent, vtra pars falſitatem, vtra veritatem ſuo teſtimonio ſequatur. Idem ſtatuit Carolus Magnus lib. 2. leg. Longob. tit. 55. cap. 33. mutauit hac in lege Francica humanitas feritatem Burgundicam, & Alemannicam, quæ rem ſpatha tranſigi voluit locis citatis. IV. Campioni, qui victus fuerit propter periurium, quod ante pugnam commiſit dextera manus amputetur, cæteri verò eiuſdem partis teſtes, qui falſi apparuerunt, manus ſuas redimant. Cuius cõpoſitionis duę partes ei contra quem teſtati ſunt, detur, tertia pro fredo ſoluatur. V. Hæc lex Campionum in alterius, vel vtriuſque laici lite locum habeat, in duorum Eccleſiaſticorum lite non habeat. Hactenus Ludouicus. VI. In omni contentione, præterquam de infidelitate, fuſtibus tantùm, & ſcutis pugnetur, Lotarius Imperator lib. 2. leg. Longob. tit. 55. cap. 29. VII. In quibuſdam criminibus accuſator ipſe, & reus, non Campiones pro ipſis lecti depugnent, vt in crimine falſi, negati depoſiti, furti violenti, Otto Imperator eodem loco. Et in Parricidio Henricus lib. 1. leg. Longob. tit. 10. cap. 4. VIII. Quandoque etiam lites aliquæ non per pugnam eiuſmodi, ſed per iuramenta partium decidi iuſſæ, vt lis de legitimis natalibus, & de cæde vxoris immerentis. Quia, vt ait Rotaris Rex Longobardorum, graue & impium videtur eſſe vt talis cauſa ſub vno ſcuto per pugnam dirimatur. Itaque leuium litium pugna, grauium iuramento cum duodecim ſacramentalibus finem fieri poſtulat, lib. 2. leg. Longob. tit. 55 cap. 1. 2 & ſeq. IX. Propoſito ante aliquot dies certaminis pignore, ſeu Vuadio, quæ ſæpe fuere Chirothecæ, ab iis, qui ſunt inituri certamen, dicta à Iudicibus die ad meridiem cõuenire eos oportet in deſignatum campum, ſcuto & nodoſa fuſte ad manus, corióque aut lana, aut ſtupa, circa corpus inſtructos. Tunc flexis medio in campo genibus actor reum manu ſiniſtra corripit, iurátque eum parricidio teneri. Reus ex aduerſo iurat actorem teneri periurio. Facta ſubinde proclamatione, ſi quis alteri eorum ſubſidio proſilierit capitale fore proſilienti, certamen vſque ad ſtellarum exortum peragunt. Quo tempore ſi reus manet inuictus, actor cauſa cadit. Veteres Normaniæ conſuet. cap. 68. Iam interdictum huius certaminis probatorij, etſi pridem conceptum erat gentium ſenſu, vt docẽt verba Rotaris Regis lib. 1 leg. Longob. tit. 9. cap. 23.

vbi ſic ait, Multos audiuimus per pugnam ſine cauſa ſuam cauſam perdere, ſed propter conſuetudinem gentis noſtræ Longobardorum legem impiam vetare non poſſumus. Nihilominus nullum occurrit expreſſum eius interdictum ante Canonem Concilij Valētini, anni Chriſti DCCCLV. Ad armorum, inquit, certamina ſolet prorumpi, & crudeliſſimo ſpectaculo effunditur cruor belli in pace. Statuimus iuxta antiquum Eccleſiaſticæ obſeruationis morem, vt quicunque tam iniqua, & Chriſtianæ paci inimica pugna alterum occiderit, ſeu vulneribus debilem reddiderit, velut homicida nequiſſimus, & latro cruentus ab Eccleſiæ, & omnium fidelium cœtu ſeparatus ad agendam legitimam pœnitentiam modis omnibus compellatur. Ille verò qui occiſus fuerit tanquam ſui homicida, & propriæ mortis ſpontaneus appetitor à Dominicæ oblationis commemoratione habeatur alienus, nec cadauer iuxta ſanctorum Canonum decretum, cum pſalmis, vel orationibus ad ſepulturam deducatur. Scio Agobardum Lugdunenſem Epiſcopum, in Epiſtola ad Ludouicum Pium contra legem Gōdebadam, inſinuare eiuſmodi certamina probatoria ab Epiſcopis Galliæ iam ſua ætate fuiſſe damnata. Sed vel ille loquitur, vt conſequentia indicant, de priuata damnatione extra Synodum, vel quod priora eius verba ſuadent de Synodis quibus homicidæ voluntarij, & ij qui ſe voluntariè morti exponerent communione, & Eccleſiaſticis poſt mortem ſuffragiis priuati erant in Agathenſi Concilio cap.37. & Antiſiodorenſi cap.17. Itaque expreſſum huius certaminis, ac publicum interdictum Valentino iſto prius, nullum, vt opinor, hactenus competitur. Nicolaus etiam primus haud multo poſt hanc Synodum Monomachiam iſtam negauit pro lege habendam, 2.q.5.Can.22. Non tamen obtinuit, aut Synodus, aut Pontifex, vt ea lex non innouaretur à Lotario, ac ſubinde ab Ottone I. & Henrico II. Imperatoribus, quos ſuprà citauimus. Quin & finis erat nullus eius obſeruandæ ducentis ferè poſt Henricum annis, cùm Cœleſtinus & Innocentius III. ſuis iterum reſcriptis eam abrogare conati, vt videre eſt Can.1. & 2. de Purgatione vulgari, non tamen obtinuere, vt ne Fridericus II. eam de nouo ſanciret legibus Siculis, lib.1. tit.21. Primus in Gallia Philippus Pulcher ad annum CIↃCCCIII. probatoriam Monomachiam edicto ſuſtulit: ſed triennio poſt, cùm ſicarij pluriùmque criminum clancularij rei impune graſſarentur, legem, quæ hactenus extat edidit, vt graui in crimine, excepto furto, cùm nullæ aliæ probationes ſuppeterent, licitum eſſet ad hoc certamen recurrere, quibus in prouinciis id priùs iure licuiſſet. Sed præualente ad extremum iuris Canonici autoritate, lex quoque iſta conſuetudine contraria eſt abrogata. Quod verò eam maximè retinuerat in quibuſdam Galliæ Prouinciis, multiplex fuit emolumentum, quod in regionum dominos, quibus ius eſſet gladij ex his certaminibus promanabat. Vt enim taceam de cæteris Prouinciis, extant è Burgundia in qua verſamur Hugonis III. Ducis tabulæ anni CIↃLXXXVII. quibus ita tranſegit

cum Diuionenſi communitate. Si compoſitio de Duello ante ictum, vel poſt ictum fiat, XXXII ſolidos, & ſex denarios habebo. Si duellum victum fuerit, victus LV. ſolidos perſoluet. Hæc dixerim de certamine probatorio. Nam de eo quòd parando, vel reparando honori, ac famæ crudo ferro inſtituebatur longè alia ſcio dicenda, quæ tamen video à multis autoribus cum his immeritò fuiſſe confuſa.

De familiis de Marmellis, Beauuauoir, Caſtelu.

CCXIV. *Milo de Marmellis*] Nexæ fuerunt hæ familiæ partim obſequiis, partim matrimoniis, eámq; ob rem huc à me ſimul collatæ quamuis diuerſis huius Monaſterij tabulis memoratæ, in primis familiæ de Marmellis capita duo, Andream, vt arbitror, patrem & Milonem filium eruere licet, tum ex his tabulis, tum ex aliis Gallicis, quas hîc non putaui repræſentandas. Fuit verò Andreæ frater, qui in aliis tabulis nominatur Ioannes de Rauieres, ab oppido quod hodiéque extat ad fluuium Serenum: ſed is nomen ſimul, & ditionem de Marmellis fratri ceſſerat, quàm tum ipſe, tum Milo filius in ius Reomaenſium ſucceſſu temporis ferè tranſtulerunt. Porrò feudali obſequio aſtringebantur, qui Marmellas poſſidebant Guidoni ac Ioanni de Beauuauoir, vt eædem tabulæ prodidere: quæ familia, etſi olim diſtincta fuit à familia de Caſtellu, tamen hodie vel connubiorũ iure vel aliquo, nomina de Beauuauoir & de Caſtellu, in Comitibus de Caſtellu coaluere. Eſt verò illud obiter obſeruatione dignum in nomine de Beauuauoir cõpendij ſtudio factum, quod ſolet vt Beauuoir proferretur pro Beauuauoir, quod diſtinctè ſic effertur hiſce in tabulis. Sed nomen alterũ eiuſdem familiæ de Caſtellu, à quibuſdam traducitur ad loca longè à Burgundia diſſita ratis eo exprimi Caſtrum lucij, quod tamen in Aquitania collocatur ab Epitaphio Cardinalis de Maloſicco apud Dominicanos Pariſienſes. Occurrere mihi quædam Reomaenſes tabulæ in quibus ſcriptoris, vt opinor, vitio hoc nomen efferebatur Caſtellud, quaſi dixerit Caſtellum ludi. Sed quia id nominis alibi non occurrit in monumentis Burgundicis, malo Caſtellu interpretari Caſtel leu, id eſt, vt Burgundi enunciant, Caſtelli locum. Nullóque modo ambigo quin is ſit Caſtrilocus, de quo Chronicon S. Petri Viui ſuprà citatus in Bernardo II. cap. 2. Pro Comite, inquit, de Montebardo, & Clarembaudo de Capis apud Caſtrilocum Conuentu habito, idem Valbertus Epiſcopo & Duci, aliiſque Principibus Burgundiæ ſe præſentauit. Pag. 312.

De Sigillis Curiarum, Conſilij, & Prætorum Burgundiæ.

Pag. 315. CCXV. *Curiam Domini Ducis Burgundiæ.*] Nulla extant in hoc tabulario ſigilla Curiarum iuridicatum, quæ annum Chriſti CIƆCCL. antecedant. Vt veriſimile ſit eas antea ſigillo non vſas alio, quàm quo Princeps ipſe acta abs ſe priuatim confecta confirmaret, quæ ſigilla, vt alibi obſeruauimus, illius ferè imaginem, & inſignia exprimebant. At ab illo circiter anno occurrunt ſigilla Curiarum, in primis Epiſcopalium, non nihil à priuatis ſigillis diuerſa. Nam tabulæ anni CIƆCCLIII. ſigillum habent, cui impreſſa effigies pectoralis Epiſcopi infulati, adiecta hac limbo inſcriptione, Sigillum Curiæ Niuernenſis. Et tabulæ anni CIƆCCLXVII. ſigillum præferunt Senonenſis Curiæ, cui impreſſa imago virilis tunicata, & aperto capite, virgam dextra, librum ſiniſtra geſtans, cum hoc limbo. Sigillum Curiæ Archiepiſcopi Senonenſis. Denique tabulæ anni CIƆCCLXXX. ſigillum habent Curiæ Ducis Burgundiæ, longè ab eius priuato ſigillo diuerſum. Præerat enim tunc Robertus II. cuius extat in hoc tabulario ſigillum authenticum, ſed priuatum, in quo viſitur Dux ipſe in equo armatus, Burgundiæ inſignibus maiorum more in ſcuto, ac toto equi ſtramento inſignitus, ſed in ſigilli ſecreto peculiaris illi eſt triplex gemmæ impreſſio, quarum vna fortitudinem, altera prudentiam, tertia iuſtitiam, vt opinor, repræſentat. In limbo legitur. R. Burgund. Dux. At ſigillum Curiæ eius habet in medio virum tunicatum quadrato tectum pileo, arcæ inſidentem, dextra pluteo lectorio nixum, & ſiniſtra ſcutum Burgundicum ſuſtentantem. In limbo. Sig. Curiæ Ducis Burgundiæ. In ſecreto inſignia Burgundiæ. Hæc tantùm ſigilla Curiarum ſuggerit hoc tabularium. At Concilij intimi, ſeu Conſiſtorij Principis ſigillum, habent tabulæ anni CIƆCCCLX. in quo circulus medius ſcutum inſignium Burgundiæ amplectitur, & in circuli ambitu quatuor ſemicirculi quadrato inſcripti, in quorum ſummo, & imo Angeli paſſis alis, in dextro, & ſiniſtro leones extimis cruribus inſidentes, & ſcutum primis pedibus ſuſtentantes conſpiciuntur. Poſtremò, occurrunt in hoc tabulario ſigilla aliquot Prætorum, qui peculiari iuridicinæ Præfecti Bailliui à Gallis nominantur. Tabulæ enim anni CIƆCCLXVIII. ſigillo firmantur Prætoris Autiſiodorenſis Guidonis de Meſo, cui impreſſa ſunt inſignia ciuitatis Autiſiodorenſis, leo pedibus ſurſum nitens, & pitaciola duodecim quæ Galli billetas vocant circum leonem ſparſa, lilia præterea duo extra ſcutum in latere vtroque, limbus huiuſmodi *Seau Gui don mes.* Aliæ tabulæ eiuſdem anni ſigillum habent Petri de Roceio Prætoris Niuernenſis, cui ineſt ſcutum ſcacario, vt vocant impreſſum in capite, & quatuor in imo faſciis ſeſe decuſſantibus. Extremæ anni CIƆCCLXIII. obſignatæ fuere ſigillo Guillelmi de Chacei Prætoris Alexienſis, cui inſunt enſes duo decuſſati, & in ſecreto ſcutum tribus in capite guttis & faſcia tranſuerſa notatum. Hæc ſemel notaſſe placuit, ne perirent.

De iuriſdictione Reomaenſium in Curtem Morini.

CCXVI. *De la haulte iuſtice de toute la ville de Courmorien.*] Curtem Morini, ſuſpicor, non fuiſſe diuerſam à Villa Morina, cuius Eccleſiam Monaſterio Reomaenſi donaſſe Galterum Lingonenſem Epiſcopum refert Innocentius III. in priuilegio ſuprà edito. Vt enim in Epiſcopatu Trecenſi Curtis fuit Morini, quæ memoratur in Epitaphio Heruei Epiſcopi his verbis. Pag. 313.

Præſul Trecenſis prius autem Pariſienſis,
Verbi diuini Doctor de Curte Morini;
Paupere gente ſatus iacet Herueus hic tumulatus.

Quæ tamen Curtis hodie dicitur Villa Morini, vt teſtatur Camuſatus, ita promiſcuè, vt opinor, Lingonenſis Villa Morini dicta eſt etiam Curtis Morini. Cæterùm cur de iuriſdictione eius Villæ quæſitũ ſit, cùm lis proximè verſaretur inter Ducem Burgundiæ, & Monaſterium de Sue aberrante, ſeu ἀδεσπότῳ, nemo facilè intellexerit, cui notum non fuerit caput primum Conſuetudinis Burgundicæ, quod ſic interpretari licet ex Gallico. Omnes Eſpauæ, id eſt animalia aberrantia, quæ intra alicuius dominij limites reperiuntur, ad eum pertinent, cuius eſt iuriſdictio regionis, & ius gladij. Quærendum ergo hoc loco fuit, Ducíſne, an Monaſterij eſſet ea iuriſdictio, ac ius gladij, vt conſtaret, ad quem ius Eſpauæ pertineret. Eſpauam porrò pecudem, quaſi expauefactam dici putant, quòd pauore plerunque deerrare à grege, aut caula ſoleat, quanquam aliis quoque ex cauſis id crebrò contingat. Leges Ruſticæ Græcorum tit. 4. §. 2. vniuersè vocant ζῶον ἀπανὲς, quod ita exerrarit, vt à Domino repeti non poſſit, id illæ occupantis eſſe ſanciunt, non Domini regionis. In Prooemio, τὰ εἰωθότα ἐπιστρέφειν εἰ μὴ τὴν συνήθειαν φυλάξουσι τοῦ περιλαμβάνοντος γίνεται. Quæ reuerti ſolent ſi morem non ſeruent, fiunt occupantis. Gentium alius mos fuit, ac licèt non omnes eidem, omnes tamen alicui terræ Domino animalia aberrantia attribuerunt. Burgundi, vt hoc loco vides, proximo Domino, qui ius gladij haberet, aliæ Gentes Regi ſoli attribuere, lex Ripuaria tit. 77. §. 1. Si quis Caballum, hominem, vel quamlibet rem in via propriſerit, aut eum ſecutus fuerit, per tres marcas ipſum oſtendat, & ſic poſteà ad Regis ſtapplum ducat. Sin autem aliter egerit, fur iudicandus eſt.

De Noualibus, & Rupticiis.

CCXVII. *Etiam in Noualibus, ſeu Rupticiis.*] Noualia, & Rupticia non ſemper eſſe ſynonyma doceri poteſt ex eo, quòd etiamſi omnia Rupticia ſint Noualia, non tamen omnia Noualia ſunt Rupticia. Etenim Noualia tribus modis in iure accepta ſcitum eſt. Primò pro Pag. 316.

agris qui cultura innouantur alternis annis, & alternis ceſſant, ff. de verb. ſign. l. 30. Noualis eſt terra præſciſſa, quæ anno ceſſauit, quam Græci νέαχιν vocant. Torſit hæc vox Græca hactenus iuris interpretes, dum alij eam mutant in νέατον, alij in νέαμα, alij in νέωμα, alij in quidpiam his deterius: ſed perſpicuum mihi videtur eam eſſe natam ex errore eius, qui Pandectas ex manuſcripto expreſſit, & litteras haſce capitales N E A C I N arbitratus eſt non differre à νέαχιν; ſed illæ exprimebant νέασιν, quæ vox Græcis eſt terra noualis. Gloſſæ veteres Græco-Latinæ νέασις, noualis, noualis terra, νεάσιμον nouale. Quamobrem in Epitome Baſilicorum lib. 2. tit. 2. l. 30. definitur, νεατὴ γῆ ἣν οἱ χωρι-κοὶ νέασιν καλοῦσι, noualis terra, quam Græci νέασιν vocant. Cæterùm, abeunt nonnihil à Iuriſconſultis quidam Grammatici, qui noualem terram non eo tantùm quòd alternis annis, ſed quòd poſt meſſem per ſingulos annos, vt Seruius in Virgilium ſcribit, nouari ſoleat, dictam interpretantur. Nec deſunt, qui noualem etiam eſſe velint, quæ poſtquam ſemel arata eſt ante ſementem, offringendæ, vt vocant, glebæ cauſa iterùm proſcinditur, quod Tullius agrum nouatum appellauit. Non eſt autem, vt opinor, dubium, quin ad iſta pertinere vis vocis poſſit. Sed his omnibus illud eſt commune, quòd terram, vt eſt in Baſilicis loco citato προτμηθῆναι priùs exaratam, ac ſubinde anno, vel menſibus aliquot, vel breuiori tempore interiecto innouatam inſinuent. Secundò autem vſurpatur nouale pro eo agro, qui non priùs cultus, aut vtilis ad nouam ſementem aratro ſciſſus, vel aliter vtilis eſt factus. Innocentius III. de verb. ſignificat. cap. 21. Nouale exponit agrum de nouo ad cultum redactum, de quo non extat memoria, quòd aliquando cultus fuiſſet. Addit hoc nomine non cenſeri locum, qui licèt de nouo colatur, tamen dum incultus eſſet, magnam vtilitatem præbebat. Quo videlicet indicat nouale ex vſu Canonum non cenſeri, quod ex prato, aut ſtagno, aut loco paſcuo, aut vite conſito, aut eiuſmodi in ſementem redigitur. Sed quod ex palude ſiccata, ex receſſu maris, aut fluminis ex campo arenti, ac ſterili, ducta aqua fœcundato, aut id genus incipit ſeminari. Quo ſenſu tum alij Pontifices aliis Monaſteriis, tum Gregorius IX. Reomaenſi, vt ſuprà edidimus, noualium decimas eſt elargitus. Tertiò, in noualis cenſum maximè venit ager, qui extirpatâ ſyluâ, aut ſaltu ſementi, aut plantationi fructuoſæ fit idoneus. Iuriſconſultus ff. de termino moto l. 3. nouale ex ſylua nominat. Hoc verò eſt quod ætas poſterior Rupricium dixit, in quo terra non ſcinderetur aratro propter obuias arborum, fruticúmque radices, ſed bidente, aut ligone rumperetur. Sic enim propriè loquebatur in tabulis

Hiſtor. Montmor. ↀↃↃLX. Matthæus Montmorenciacus. Inter me, & Monachos ſtatutum eſt de foreſta de Nongenteis, quòd nihil rumpent de nemore à dextra parte riuuli: & in tabulis anni ↀↃↃLXVI. Guido de Montegao, cùm inter ipſum & Monachos S. Mariæ de Gornaio querela mota eſ-

ſet de decima Rupticiorum, quæ infrà Parochiam de Horeor, & territorium Montiſgai fiebant, concedit Monachis non ſolùm decimam de Rupticiis quæ facta fuerant, ſed etiam de omnibus illis quæ adhuc fient. Manſit ad hanc diem vſus vocis, vt Ruptæ, ſeu *Routes* dicantur viæ per ſyluas extirpatis arboribus apertæ, & agri mediis in ſyluis culti. Pertinet verò ad hoc noualium genus id de quo Ieremias cap. 4. v. 4. *Nouate vobis nouale, & nolite ſerere ſuper ſpinas.* Nempe ſuper agros ſentibus ac frutetis obſitos, quos olim Galli Vaſtinas, ſeu Guaſtinas dicebant in tabulis anni CIↃCCIX. Vaſtinæ, inquit, terræ ſilueſtres dicuntur. Diplom. Belgic. lib. 1. cap. 71.

De iure ſuccedendi illegitimis Monaſterio adiudicato per Senatus Burgundiæ conſultum.

CCXVIII. *Adiugeons auſdits Religious la ſaiſine des biens des baſtars.*] Pag. 318.
Non iiſdem ſemper moribus, aut legibus reguntur Prouinciæ. Nam Burgundica Conſuetudo ab extremis Ducibus probata, cap. de ſucceſſionibus illegitimorum, §. 1. ſic habet, Nothus, aut Notha, ſi deceſſerint ſine liberis legitimo matrimonio quæſitis, Ducem ſortiuntur ex aſſe hæredem. Quæ lex cùm generalis ſit, & abſque exceptione, non eſt dubium quin vetuſtiori huic Senatuſconſulto ſit aduerſa. Sed nimirùm locus hac in re erat legi Francicæ maior, dum Burgundia potiebantur priores hi Duces, quàm dum poſtremi. Scitum autem fuit legis Francicæ, quam refert Bacquetus tractatu de Albinatis, vt ſucceſſio illegitimorum ad Dominos Rege inferiores, qui ius haberent gladij pertineret, ſi & liberis carerent, & in ditione eorum Dominorum ortum, domicilium, ac fatum nacti eſſent. Sanè ius gladij in Reomaenſis oppidi incolas apud Abbatem & Monaſterium iampridem fuiſſe profeſſus eſt Hugo III. circa annum CIↃCLXIV. vt docent tabulæ ſuprà editæ. Quæ, vt puto, cauſa fuit, cur Senatus Burgundiæ hoc loco ius illis in Nothorum, qui carerent liberis hæreditatem adiudicarit, ſi Reomao, aut Vineis eſſent oriundi. Omninò verò docent hæ tabulæ poſtulatum à Monachis ius illud ſuccedendi, non in his tantùm duobus, ſed in omnibus etiam ditionis Reomaenſis oppidis; ſed de horum tantùm duorum iure ideò eſt, vt aiunt tabulæ, Senatuſconſulto decretum, quod de his tantùm eſſet probatum. Non facilè autem apparet cur id de ſingulis oppidis probari oporteret, niſi quia non erat id ius commune, vel Monachorum, vel Dominorum omnium, ſed eorum tantùm, qui ſe in aliquem populum ius vitæ & necis, ſeu gladij, aut altioris iuſtitiæ habere docerent. Quæ res argumento eſt Senatum Burgundiæ veteres Franciæ leges tunc eſſe ſequutum.

De antiquo Burgundiæ Parlamento.

Pag. 318. CCIX. *A noſtre-dit Pallement.*] Parlamenti Burgundici ad annum ↀↀCCCX. Roberto II. rerum potiente faciunt mentionem hæ tabulæ, non abſque maxima in ratione temporis difficultate. Nam ſi Epitaphium Roberti apud Ciſtertium mortem eius collocat ad annum ↀↀCCCIX. atque ad diem ſancti Dionyſij, vt teſtatus eſt Du Cheſne in Hiſt. Burgundiæ, non ſatis poſſum expedire, quomodo verum ſit quod ſcribunt hæ tabulæ. *An viuant de noſtre cher & bien amey Pere lou Duc Roubert, cui Dieux abſoille, à ſon Pallement, qu'il tint l'an mil trois cens & dix.* Neceſſe enim eſt alterutro loco aliquem memoriæ lapſum interueniſſe. Vtcunque tamen hæc res ſe habeat, certè vetuſtiſſima iſta eſt in hoc Tabulario Parlamenti Burgundici memoria, quæ ſatis inſinuat Parlamentum tunc non fuiſſe perpetuo ac peculiari loco ſtabile, ſed pro Ducis arbitrio coram eo indictitium. Itaque Odo IV. de ſuo Parlamento anno ↀↀCCCXXXVIII. ſic ſcribit. *Com cauſe fut à Beaulne por deuant nous à noſtre Pallement, qui commencit lo dimoinge apres la ſainct André.* Vbi vides non tantùm Duce præſente habitum eiuſcemodi Parlamentum, ſed etiam ad certam diem ceptum, certa, vt veriſimile eſt, concluſum. Miratus eſt Chaſſanæus in Proœmio Conſuet. Burgund. quomodo Dux Burgundiæ ſibi Parlamentum vendicaret, qui ſupremus Burgundiæ Dominus non eſſet, quique adeò Cancellaria ex priuilegio tantùm Regis vteretur, atque omninò ſupremam iuriſdictionem Senatui dare non poſſet, qui ipſe ſibi non haberet. Eſt hæc admiratio meritiſſima, cogitque vt dicamus non fuiſſe tunc voci Parlamenti eam vim, quæ nunc eſt dum ſupremo Senatui accommodatur. Itaque vt obſeruari poteſt vocem Parlamenti interdum tributam Iudicum inferiorum cœtui, quod docet Epilogus Conſuetudinum Burgundiæ nominans Parlamentum S. Laurentij, quæ eſt exigua indicij ſedes. Ita generales hi Conuentus Parlamenti nomen abuſu vocis ſunt nacti; cùm plus poteſtatis non haberent, quàm Principis illis præſentia impertiretur, cuius non fuit ſuprema poteſtas.

Cur Monachos tricenis plures eſſe non ſit paſſus Guillelmus.

Pag. 310. CCXX. *Numerum triginta Monachorum.*] Deſierat hoc iam tempore Monachos facere non tantùm propria, ſed etiam parentum, aliorúmque deuotio, nec aliud intrudendis in ordinem Monaſticum hominibus quærebatur, niſi vt familiæ nobiles ſuos collocarent liberos. Ac fortè inde ab hoc tempore nata eſt ea in hoc Monaſterio conſuetudo, quæ ad hanc ætatem viguit, vt nullus niſi antiquæ nobilitatis Monachus in Collegium aſciſceretur. Quamobrem infinitæ propè fuere omnis ordinis hominum etiam Regum, Principum, ac Prælatorum, vt hîc

loquitur Guillelmus, flagitationes, vt Monachi quipiam cooptarentur, quibus dum non poteſt ſatis reſiſti inconditæ ſuccreſcebant turbæ, nec facultatibus, nec diſciplinæ Monaſteriorum conſentaneæ. Natum hac circiter ætate hoc vitium docent etiam tabulæ Dionyſianæ, in quibus videas anno cIↃcccLXXXIX. Nicolaum Papam IV. ſic ſancientem. Vt ad receptionem alicuius in Monaſterio veſtro in Monachum, & in fratrem, antequam quartum decimum annum ætatis ſuæ exegerit, minimè teneamini, neque ad id litterarum Sedis Apoſtolicæ, vel Legatorum eius, vel aliâ quauis authoritate poſſitis à quoquam aliquatenùs coartari. Et in tabulis anni cIↃccxcIV. Bonifacius VIII. inhibet, ne vltrà numerum ducentorum ad receptionem Monachorum eo in Monaſterio procedatur, neve illegitimum aut annis decem & octo minorem cogerentur admittere, niſi ex mandato Sedis Apoſtolicæ expreſſiſſimè huic indulto derogante.

IN STEPHANVM DE VARENNIS.

De Stephani Præfectura.

CCXXI. FRATER *Stephanus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Abbas.*] Fuiſſe Stephanum principio Abbatem Reomaenſem, deinde Autiſiodorenſem tradit antiquus huius Monaſterij Catalogus, cuius poſtrema additio vltrà ipſum non progreditur, proindéque eius æuo facta videri poteſt. Sed in Catalogo Autiſiodorenſi, quem Claudius Robertus dedit duo cenſentur ad iſta tempora Stephani, alteri cognomen eſt de Chitry, alteri de Varennis, inter quos medius fuit Guillelmus Grimoardus, qui poſteà Pontifex dictus eſt Vrbanus V. Ex huius autem temporibus facilè conficitur non Stephanum de Chitry, ſed Stephanum de Varennis Abbatem primò Reomaenſem, tum Autiſiodorenſem fuiſſe. Nam Vrbanus ad Pontificatū venit anno cIↃcccLXII. ante quem Maſſilienſis Abbas pluribus annis vixit, vtpote pluribus in Italia legationibus ea in dignitate functus. Si ergo priùs Autiſiodorenſibus quàm Maſſilienſibus præfuit, oportet Stephanum de Chitry, qui eius apud Autiſiodorenſes præceſſor fuit, haud procul anno cIↃcccL. deſiiſſe, Autiſiodori præeſſe. At Stephanus noſter Reomaenſibus adhuc præerat, vt docent tabulæ, quas edidimus anno cIↃcccLI. Igitur ad Autiſiodorenſes tranſire non potuit, niſi poſt Vrbanum V. idémque eſt cum Stephano de Varennis. Quæ familia eſt apud Burgundos nobiliſſima, atque vt teſtatur SanIulianus eadem olim fuit, cum familia de Chitrei, ſed lapſu temporis ſeparata cognationem retinuit, quæ fortè huic poſteriori Stephano, & nomen, & ſucceſſionem Præfecturæ Autiſiodorenſis attribuit. Pag. 321.

De Philippo veterum Burgundiæ Ducum poſtremo.

Pag. 303. CCXXII. *Depuis que nous eumes le gouuernement de nos terres.*] Annus vix vnus nunc abierat, cùm ſuæ poteſtatis factus erat Philippus quarto-decimo ætatis ſuperior. Nam & hoc ipſo anno coniugij cum Margarita Flandrica pacta conuenta à tutoribus, & agnatis ante aliquot annos inita rata habuit, tanquam ætate maior. Franciæ Regibus mos antehac dederat, vt anno decimo-quarto omnia gererent, perinde atque ſi Maiores annis fuiſſent, vt de ſancto Ludouico teſtatus eſt Carolus V. Rex Franciæ in conſtitutione anni CIↃCCCLXXIV. Eum morem Burgundi Principes ad ſe quoque voluerunt deriuari. Itaque Hugo IV. illo iam vſus ſcribitur in Epitome Chronici Abbatis Maceriarum apud Ex Hiſtor. Vergiac. Belnam anno CIↃCCXXVIII. Sed is, quem dixi Carolus quintus eum morem pro ſolis primogenitis, qui ius proximè ad Regnum habent, valere voluit conſtitutione citata, cui ea in re ſubſcripſit Carolus VI. alia conſtitutione anni CIↃCCCXCII. Cæterùm, quòd hæ tabulæ Philippi Ducis poſtremi notentur anno CIↃCCCLXI. ad diem XIX. Auguſti, id apertè conuincit hallucinatos eſſe, qui eius mortem circa Paſcha eiuſdem anni collocarunt. Mortuum verò illum ante exitum menſis Nouembris illius anni docent litteræ Ioannis Regis, quibus Burgundiam Regiæ coronæ vniit eodem menſe apud Du Cheſne in Notis ad Philippum Ducem vltimum. Diem XXI. Nouembris poſtremum illi fuiſſe quidam tradidere. Quòd verò quinto poſt eius mortem anno refertur in hoc Tabulario præfuiſſe Iuliacenſibus, quibus nunc proſpicit hic Philippus, Margaritam Flandriæ Comitiſſam, & Regis Franciæ Philippi Longi filiam id argumento eſt eam Philippo ſucceſſiſſe, non tantùm in Comitatum Burgundiæ, & Attrebatum, & in Dominatum Salinarum, ſed etiam inſulæ in Campania, cui tunc Iuliacum erat attributum.

IN GVIDONEM DE IACVRIA.

De Præfectura & familia Guidonis.

Pag. 324 CCXXIII. L'AN *de grace mil trois cens ſoixante.*] Cùm Vrbanus V. vt iam diximus, Monachis Maſſilienſibus præfuerit annis aliquot ante CIↃCCCLXII. & iam tum Autiſiodorenſi Præfectura ceſſerit Stephano, neceſſe eſt vt Reomaenſem Stephano vacuã eodem tempore adierit Guido de Iacuria, quem tabulæ anni CIↃCCCXII. Abbatem iam nominant. Fuit is gente nobiliſſima, quæ hodiéque in duas eſt tributa familias Iacuriæ nomine inſignitas. Altera in Burgundia degit

cognomine *de Bazores*, agnomine *de Iaucour*, ſiue *de Ville Arnoul*, cuius mentio eſt in actis Curiæ Pariſienſis inde ab anno cIↃccxc. vt refert Andreas Du Cheſne in Notis ad Hugonem IV. Burgundiæ Ducem, altera in Campania Remenſi domicilium poſuit, cui agnomen *Des Chenets*, & *De Tintauille*. Ex vtra prodierit Guido Reomaenſis Abbas, & qui eum ſequutus eſt Ludouicus non ſatis certò poſſum affirmare. Quanquam duo ſunt, quæ ſuadeant è priore potiùs prodiiſſe, tum quòd Burgundica eſt, ſunt & Monaſterium, tum quòd in Commentariis legationis Romanæ Franciſci de Tintauilla Epiſcopi Autiſiodorenſis editum ſit ſtemma eius familiæ, in quo nulla eſt horum Abbatum Reomaenſium memoria.

Stemma Comitum de Buſſy Rabutin, in quo Aimo Rabutinus Camerarius Reomaenſis.

CCXXIV. *Pro fratre Aimone Rabutini.*] Fecerimus, vt opinor, operæpretium ac compendium, ſi gentis Rabutinæ ſtemma ſub vnum conſpectum hoc loco dederimus, quo illius primum nomen in hoc Monaſterio occurrit, ne ſubinde cùm poſt Aimonem Camerarium Sebaſtianus Abbas, Franciſcus, & alij eodem ex Monaſterio memoriæ erunt commendandi ſcriptionem hanc noſtram moleſta repetitione autorum gentis ſpectatiſſimæ, nec militari minus decore quàm religionis ſtudio inter Burgundicas celeberrimæ, interpellare cogamur. Nomen itaque atque originem huic genti dedit Caſtrum Rabutinum, quod Matiſconenſium olim Comitum ditione comprehenſum, ſucceſſu temporum Cadrelenſi, vulgò Charolenſi, iuriſdictioni ceſſit. atque in Comitum Cabilonenſium poteſtatem veniens, ad quos ea iuriſdictio pertinuit, venditione Matildis Comitiſſæ Cabilonenſis, quæ Ioanni Burgundiæ Comiti nupſerat, Ducem tandem Burgundiæ Hugonem quartum habuit ſuperiorem Dominum, cùm tamen ſuprema illius iura apud Regem Franciæ iam olim reſiderent, vt anno cIↃccxxxix S. Ludouico liquidò profeſſus eſt idem Hugo quartus. Hæc ſit Cadrelenſis iuriſdictio ſiue vt is Hugo vocat Caſtellania, in familia Ducis Burgundiæ annis non pluribus quàm octo & triginta. Nam ad annum cIↃccLxxvii. tranſiit in familiam Roberti Claromontenſis Comitis, qui filius fuit S. Ludouici Francorum Regis, vt dotalis poſſeſſio Beatricis filiæ Ioannis Burgundi, qui eam teſtamento Hugonis patris obtinuerat. Itaque ſuperiùs dominium tum Caſtri Rabutini, tum Cadrelenſis iuriſdictionis, quæ illud complectebatur, in familia Claramontana, quæ Borboniæ nomen ab eadem Beatrice tunc ſumpſit ſubinde perſeuerauit annis tribus & ſexaginta. Nam anno demùm cIↃcccxL. altera Beatrix Borbonia, Ioannis Borbonij vnica filia, eius qui non amplius Caſtellanus ſed Baro iam Cadrelenſis diceba- tur, hoc dominium dotale tranſtulit ad Ioannem primum Comitem Ar-

meniacum, cuius poſteri Ioannes, & Bernardus anno poſt hæc quinquageſimo, qui fuit Chriſti cIↃCCCXC. Philippo Audaci Burgundiæ Duci, id denuo Comitatus iam donatum nomine vendiderunt, ac penes eius Philippi hæredes Hiſpaniæ Reges, hodiéque manet ſupremo Regis Franci dominio, vt olim ſubmiſſum

Igitur Caſtrum Rabutinum, pars hodie Cadrelenſis eiuſce ditionis, fundus fuit nominis, ac nobilitatis familiæ Rabutinæ, nec alias in manus longiſſimo temporum decurſu peruenit, quàm eorum, qui hac familia propagati Rabutinum etiam nomen obtinuiſſent. Verùm non paucis abhinc annis, dotis an emptionis nomine incertum, in familias aliorum nominum tranſiit, cúmque plures annos in Cadotiorum Matiſconenſium poteſtate fuiſſet, ante annos circiter ſexaginta, quam hæc ſcriberemus, emptione de heredibus Cadotiorum, venit in poteſtatem viri illuſtris Ioannis de Boyer Domini de Saillant, vt tradit SanIulianus libro tertio rerum Matiſconenſium capite de familia Siuolieres. Verùm, quæ temporum fuit calamitas, eius hodie ſolæ ſuperſunt parietinæ in media ſylua Rabutina, quæ ſtagno imminet, cui etiam Rabutini nomen adhæſit. Vetuſtate, an incendio, an bellorum iniuria, an hominum incuria hanc labem pertulerit, non eſt compertum; ſed antiquas tamen eſſe illius ruinas docent annoſæ quercus inter ipſa ædificij rudera enatæ. Quis ædificarit aut poſſederit primus nondum vlli, vt puto conſtitit, nec ego diuinare laborabo, ſatiſque honori eorum, quibus hoc loco operam præbeo, fuerit, vt opinor, tributum, ſi maiores ipſorum ab ea, quæ ſit certiſſima & antiquiſſima, memoria repetantur. Eſt ergo eorum quorum mentio ad nos peruenit familiæ huius Principum.

I. MAIOLVS RABVTINVS.

CVIVS ſeruata eſt memoria in primis apud tabularium Cluniacenſe, ex quo edita eſt in Bibliotheca Cluniacenſi Bulla Eugenij III. Pontificis, quæ recitat contractum, venditione, donatione ac permutatione mixtum de poſſeſſione quadā Burgi Ledonis inter Petrum Venerabilem, & VVillelmum Comitem Matiſconenſem, initum, teſte ac vade Maiolo Rabutino, vt hæc verba ferunt. Proceres, inquit, terræ eiuſdem Comitis Hugo videlicet de Berziaco, Henricus Groſſus, & Iocerandus frater eius, Guillelmus de Neblens, Paganus de Claſſiaco. Bernardus Paganus, Maiolus Rabutinus, & Stephanus de Baſeners iurauerunt, quòd ſi prædicta pactio non teneretur, aut aliquo caſu infringeretur commoniti à fratribus Matiſconem venirent, & ibidem obſides manerent, donec re pacificata cum licentia Abbatis Cluniacenſis redirent. Annus huius Bullæ eſt Incarnationis Chriſti cIↃCXLVII. dies VIII. Kalend. Septemb. Indict. X. Eugenij Papæ III. annus III.

Ex hoc verò loco tum alia, tum hæc videntur obſeruanda. Primum fuiſſe iam tum Maiolum vnum è Proceribus Comitatus Matiſconenſis, atque inter octo nobiliſſimos non extremum. Non enim dubium erit, viros hoſce fuiſſe nobiliſſimos, ſi ex duobus eorum Henrico Groſſo, & Iocerando, Branceduni Dominis, fiat de cæteris coniectura. Celebre enim fuit Iocerandi huiuſce nomen in bellis ſacris illius æui, geſtiſque Magiſtratibus militaribus inſigne. Secundum pertinuiſſe tunc Caſtrum Rabutinum ad Comitatum Matiſconenſem, ſicut & Brancedunum, & Claſſiacum, quæ loca hodie, aut Cabilonenſi, aut Cadrelenſi attribuuntur, docéntque veram eſſe coniecturam SanIuliani Comitatum Matiſconenſem, plurimum eſſe hoc tempore acciſum. Itaque magnæ tunc nobilitatis eſſe oportuit Maiolum, qui inter primos magni Comitatus Proceres cenſeretur.

Præter hanc extabat inſignis altera mentio Maioli Rabutini in tabulario Eccleſiæ Matiſconenſis, quam deſcripſit SanIulianus libro primo rerum Matiſconenſium, ex tranſactione inter Rainaldum Balgiacenſem, & Eccleſiam Matiſconenſem his verbis concluſa. Acta, inquit, ſunt hæc anno ab Incarnatione Domini CIↃCLIX. Epacta IX. concurrente V. Indictione XII. regnante Ludouico filio Ludouici Regis Francorum in præſentia Domini Pontij tunc Matiſconenſis Epiſcopi, D. Hugonis Cantoris, D. Stephani tunc Dapiferi, D. Gaufridi Gaſtinelli, D. Guichardi de Leuiniaco, D. Gatini de Vgiaco, D. Vvillelmi de Caſtellione, D. Hugonis Ruis, D. Humberti de Brancione, D. Bernardini de Chaſtenay, D. Bernardi de Montgirbert, D. Vvidonis Silueſtris: Vlrici de Felins, Maioli Rabutini Hugonis de Veila, Bernardi Pagani, Gaufredi de Maiſiaco, Vvichardi Vigerij, Stephani de Baſeneriis, Guidonis Bermundi, Bernardi Bermundi, Hugonis de Ponte, Guidonis Dapiferi, & aliorum plurium, qui ibidem interfuerunt.

Quo in loco vides poſt Eccleſiaſticos Domnos cenſeri inter Laïcos teſtes. Secundo loco Maiolum Rabutinum, cùm tamen ei ſubiiciantur non pauci illuſtri apud Matiſconenſes loco orti, vt Paganus, de Vela, de Maiſiaco, & alij, quorum aliqui celebres etiamnum familias reliquere.

II. ISABELLA DE RABVTIN.

Extitit Iſabellæ de Rabutin haud pridem monumentum in Monaſterio Montis S. Vincentij, plurimáque hactenus eius veſtigia feruntur ſupereſſe, ex quorum inſcriptione intelligitur coniugium illi fuiſſe cum Roberto de Charolois dum viueret, atque illud commune dum morerentur ſepulcrum, cui inſignia, quibus hodiéque vtitur Rabutina familia, ſunt impreſſa. Facit ratio temporis, vt veriſimile ſit Iſabellam iſtam Maioli Rabutini filiam fuiſſe, aut neptem. Robertus verò Cadrelenſis non facilè alius quàm ex Comitum Cabilonenſium gente vnus eſſe poſuit.

Nam Cadrelæ per hæc tempora, nullius alterius gentis, quàm Cabilonenſis imperio paruiſſe comperiuntur. Fieri igitur potuit, vt cuidam ex ea Comitum familia natu minori attributæ fuerint in partem hæreditatis Cadrelæ, indéque illi vt tunc ſolebat nomen ſit factum, quòd Robertus hic noſter ab eo progenitus retinuerit, etiamſi eam hæreditatis partem non obtinuerit, vtpotè quæ ad Rabutinos ab ipſo propagatos non peruenerit; ſed ad Cabilonenſes haud diu poſthæc redierit, vt conſtat ex iis, quæ initio dixi. Cæterùm Robertus cum Iſabellæ hæreditate nomen quoque, & inſignia Rabutina in poſteros tranſmiſit, vt mox apparebit. Nam ex eo produxiſſe fertur.

III. PETRVS DE RABVTIN.

Quem iniiſſe matrimonium cum Cathatina de Salornay monumenta familiaria teſtantur. Eſt autem gens Salornæa inter Matiſconenſes cùm primis nobilis, vtpotè quæ inde ab anno CIↃCCCXII. nobiliſſimo Canonicorum Lugdunenſium Collegio ſodalem dederit Petrum Salornæum, nec longè poſteà Cabilonenſi throno Epiſcopum Ioannem Salornæum. Secundum illum Rabutinæ gentis caput fuit.

IV. N. DE RABVTIN.

Cuius etſi nomen, ac coniugium in obſcuro manſere, tamen ratio temporis cogit, vt diſcrimen à præcedentibus, & ſequentibus agnoſcamus. Si enim poſt id tempus, quo Acta ſuperiùs citata Maiolum Rabutinum plenæ ætatis ac ſapientiæ virum fuiſſe indicant id eſt annum Chriſti CIↃCCXL x. ita partiamur tempora, quibus eius poſteri nuptias contraxere, vt viris annum triceſimum mulieribus viceſimum dicamus fuiſſe nuptialem (quæ ſanè vulgò longiſſima ſolent eſſe vtrique ſexui tempora connubiorum) ſequetur Petrum, vel eum qui mox ſequitur Antonium anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo ſexto vxorem demum duxiſſe. Nam Guillelmi qui filius fuit Antonij tabulæ nuptiales, quæ in tabulario Rabutino adhuc ſuperſunt, ſcriptæ fuerunt anno Chriſti CIↃCCCXXVI. Itaque inter Petrum & Antonium inſerendus eſt aliquis qui tanti interualli capedinem ex parte impleat, & tam præpoſtero matrimonio locum non relinquat.

V. ANTONIVS DE RABVTIN,
Dominus d'Epiry.

Hic primus, quod conſtet, fuit, qui à Cadrelenſi ditione in Auguſtodunenſem demigrarit. Inuitante enim, & armorum ſtudio, & noui Domini Ducis Burgundi potentia, qui Antonio primam adoleſcentiam in-

eunte Cadrelenſium, vt diximus, dominatu adhuc potiebatur, illius ſequutus auſpicia eam in re militari laudem tulit, vt dignus fuerit viſus, qui labentem domum nobiliſſimi viri Renaudi Domini d'Epiry, & Iolandæ de Vergy, ducta in coniugium vnica, atque hærede eorum filia Angelica d'Epiry ſuſcitaret ac fulciret. Quo ſanè coniugio illi fortunatiſſimè cedente factus eſt quatuor filiorum parens.

Guillelmi de Rabutin de quo mox agemus.

Ioannis de Rabutin, qui armorum gloriæ auidus, paternis egregiè inhæſit veſtigiis, ſed matrimonio carere maluit, quàm quæſitæ gloriæ moras vllas ſibi afferre.

Aymonis de Rabutin, qui cœleſtis militiæ cupidior à prima adoleſcentia Monaſtico ſe iugo ſubmiſit, eóque religioſæ vitæ gradu ſtetit, vt quo tempore Monaſtica officia non ambitioni, ſed meritis per electionem deſtinari conſueuere, Camerarius celebris Monaſterij Reomaenſis legitimis ſuffragiis crearetur, vt docet Pariſienſe Senatuſconſultum anni Chriſti CIↃCCCLXXIII. quod ſuprà deſcripſi.

Hugonis de Rabutin, qui etiam ſine coniugio vitam in militia traduxit. Huius extat memoria in Catalogo militum Odonis IV. Burgundiæ Ducis, in bello ad S. Audomarum anno CIↃCCCXL, vbi ſe vocat Hugonem Armigerum Dominum d'Epiry, quod, vt puto, indiuiſas hactenus cum fratre Guillelmo facultates habere. Retulit hunc Catalogum autor Hiſtoriæ Caſtellanorum Inſulæ lib. II. cap. III.

VI. GVILLELMVS DE RABVTIN Dominus d'Epiry.

Cùm militaria decora fratrum exemplo ſtudioſus ambiret, videretúrque ſuis pluſquàm par eſſet matrimonij negligens, celebris fratrum, cognatorum, agnatorúmque conuentus, ad eum coiit, qui nominis, familiæque ſtudium ei ſuaderent, nuptiáſque, vt natu maximo propè neceſſarias, non vt aliis fratribus arbitrarias aſtruerent. Quorum ille autoritate adductus, eo ipſo in conuentu Ioannam de Marigny ſibi matrimonio copulauit. Atque hæc omnia tabulis nuptialibus anni Chriſti CIↃCCCXXVI. quæ in Rabutinæ gentis tabulario adhuc ſuperant, ſunt conſignata. Erat porrò Ioanna de Marigny ortu Cadrelenſis ex nobiliſſima familia de Vichy, vt intelligitur ex San Iuliano lib. III. rerum Matiſconenſium cap. de Marigny. Factus eſt ex ea Guillelmus duorum liberorum pater.

Ioannis de Rabutin, de quo mox.

Ioannæ de Rabutin præfectæ poſteà Monaſterio Virginum ſancti Martini de Chaumes, quæ inſignem ſui memoriam eo in Mo-

naſterio hactenus reliquit, tabularium Monaſterij ex Chartis deſcriptum authenticis.

VII. IOANNES DE RABVTIN D. D'EPIRY, de Balorre, de la Grange de Pramay, eques.

Iunctus eſt matrimonio Mariæ de Balorre, quæ filia fuit Philippi Domini de Balorre in ditione Cadrelenſi, & Margaritæ de Beſſey antiqua ac nobili familia fœminæ, vtpotè ex qua prodiere Guillelmus de Beſſey, qui centenis ferè ante hanc Margaritam annis, duxerat vxorem Ioannam Croniam Comitis Arſchotti filiam, Abbas ſancti Benigni Carolus de Beſſey, Abbas Ciſtertienſis Ludouicus de Beſſey, Abbas Maceriarum Claudius de Beſſey, Abbatiſſa de Tardo Margarita de Beſſey, viriq; alij illuſtres magno numero. Extant in tabulario Rabutinæ familiæ huiuſce matrimonij tabulæ, quibus cauetur, vt omnia bona familiæ de Balorre Mariæ, eiúſque liberis cedant ea lege, vt Balorræa inſignia, vnà cum Rabutinis quadripartito in ſcuto gemina locarentur. Scriptæ fuerunt eæ tabulæ anno Chriſti Incarnati CIƆCCCLX. quarum cautione hæſerunt annis pluſquàm ducentis in familia Rabutinorum Caſtrum Balorræ, & Grangiæ de Pramay, alio poſteà deriuata. Hoc verò ex matrimonio ſuperſtes parentibus fuit is qui ſequitur.

VIII. HVGVENINVS DE RABVTIN D. D'EPIRY, de Balorre de la Grange Pramay, eques.

In cuius manum conuenit nobiliſſima matrona Philiberta de Chaſan, cui pater erat Bertrandus de Chaſan Dominus de Miſſery, de Nanton, de Santoſſe, d'Eſcutigny, mater autem Charlota de Charny, antiquæ ambo nobilitatis. Nam pater, & ipſe Eques erat, & Equitum ſtirpe progenitus. Iam enim Chriſti CIƆCCLXV. anno coaluerat familia de Chaſan, cum familia Vergiaca, vt docent Monumenta Collegij Cluniacenſis Pariſiis, in quibus Iuo de Chaſan Abbas Cluniacenſis, viceſimus ſextus fuiſſe dicitur, nepos Iuonis de Vergiaco præceſſoris ſui. Vtriuſque verò Iuonis opera excitatum eſt Cluniacenſis illius Collegij ædificium. Atqui ſi temporis habeatur ratio Bertrandus, qui Philibertam Hugnenino de Rabutin dedit vxorem Iuonis illius Cluniacenſis cenſeri poterit pronepos, familia proinde Vergiaca, tot honoribus illuſtri tertio gradu propagatus. At Charlota de Charny Philibertæ mater, filia fuit Godefridi de Charny Domini de Sauoyſi, qui ex paterna ſtirpe genus ad Montis ſancti Ioannis toparchas, ex materna ad Vergiacos proceres referebat. Ipſe autem Godefridus geſtis honoribus celeberrimus, Camerarius Philippi Valeſij Regis Francorum, Picardiæ Gubernator, Regis Ioannis Vexillifer, cecidit in bello Pictauico. Extant huius matrimonij tabulæ in Rabutino

butino Tabulario, ſcriptæ anno cIↄcccxcI. Prodiere autem ex eo iſti liberi.

Amatus de Rabutin, de quo poſteà.

Antonia de Rabutin Præfecta deinceps Monaſterij S. Iuliani ad Dunam fluuium.

Ludouica de Rabutin, quæ nupſit Ioanni Domino Des loges, de la Boulaie, Chailly, &c. extántque apud Rabutinos tabulæ nuptiales anni Chriſti cIↄccccxv. Fluxit ab hoc còniugio familia Dominorum Des-loges, de la Boulaïe, &c. quæ diutiſſimè Auguſtodunenſem Bailliuatum geſſit, pluréſque Ordinis Regij Equites dedit.

IX. AMATVS DE RABVTIN D. D'EPIRY, de Balorre, de la Grange, Pramay, de Varennes, &c. Eques.

Fuit Amatus inter ſæculi ſui Equites nominatiſſimus, ſiue ludicrò, ſiue ſeriò tractaret arma. Oliuarius Marchanus duobus locis ludicras eius exercitationes deſcribit. Alter eſt lib. I cap. IX. cùm ille ad Caroli Magni arborem altero à Diuione lapide, eques congreſſus eſt aduerſario. Quæ ex re familiaria eius, ac duodecim ſociorum inſignia ad fontem Caroli tunc exædificatum inſculpta, ad noſtram ætatem perſeuerarunt, & ſuſcepta eſt exercitatio ad annum Chriſti cIↄccccxLv. Alter eodem libro cap. XXI. cùm ad vrbem Cabilonem pedes rem geſſit contra exercitatiſſimum eius ætatis militem Iacobum Lalanum. Quo in certamine adfuiſſe illi ſcribit tanquam cognatum Antonium, quem etiam Claudium dictum mox conſtabit, de Montagu veteri Ducum Burgundiæ ſanguine propugnatum. Nam hæc cognatio recens fuerat nuptialibus vinculis cum Amati filio colligata. Cæterùm tanta fuit in hoc certamine pugnantis virtus, tantus armorum veſtiúmque apparatus, vt voluptas ſit non vulgaris Marchanum omnia diſertè perſcribentem legiſſe. Finiere hæc ludicra anno Chriſti cIↄccccL. atque iam inde ſucceſſerunt arma ſeria ad cIↄccccLII. Quo anno rebellantibus contra Philippum, vt vocabant, Bonum Burgundiæ Ducem Gandaui ciuibus, data eſt Amato præfectura centum Cataphractorum equitum, quam ille toto bello Gandauico laudatiſſimè geſſit: In primis verò in pugna Gaurica, vbi dextra exercitus ala cum ſuis conſtitit, & primam ac potiſſimam Gandauenſibus turmis cladem intulit, vt eodem libro cap. XXVIII. Oliuarius, qui aderat, eſt teſtatus. Nullæ poſthæc à Burgundionibus ſuſceptæ expeditiones, in quibus non egregiam operam præbuerit Amatus, donec ingraueſcente iam ætate Bellouacenſis illum obſidio ſuſtulit. Periiſſe verò tunc Burgundiæ Duci fortiſſimum equitem Oliuarius, Ducem veteranum optimum, celeberrimúmque Philippus Comminæus teſtatur. Incidit eius mors in annum Chriſti cIↄcccLXXII. Annis ante quadragenis conciliatum illi

fuerat matrimonium cum nobiliſſima fœmina Claudia de Traues, cui pater erat Petrus de Traues, Dominus de la Porchereſſe, antiqua Chaſeolorum gente in plures hodie tributa familias, geſtiſque honoribus illuſtri oriundus; mater Catharina de Ragny non diſpari nobilitate. Superſunt eius matrimonij tabulæ apud Rabutinos ſcriptæ anno CIↃCCCCC. XXI. Sex porrò inde liberi propagati.

Hugo de Rabutin, de quo ſtatim.

Guillelmus de Rabutin, Prior Beatæ Mariæ du Charnier apud Senones.

Chriſtophorus de Rabutin, Dominus de Balorre, & de la Grange de Pramay, in Comitatu Cadrelenſi.

Cyprianus de Rabutin, Dominus de Varennes propè Cabilonum.

Ludouica de Rabútin, Præfecta Monaſterij Sancti Iuliani ad Dunam fluuium.

Ioanna de Rabutin, quæ in matrimonium conuenit cum Palatino de Dyo, antiqua Comitum Burgundiæ Palatinorum proſapia prognato.

X. *HVGO DE RABVTIN BARO D'EPIRY, de Sully, de Borbilly, de Hubanc, &c.*

Longè ante patris mortem contraxerat matrimonium cum Ioanna de Montacuto, filia Claudij de Montacuto, qui Ducum Burgundiæ veterum progeniem maſculam à Roberto Regis Franciæ Roberti filio deriuatam, extremus clauſit. Is cùm ditionem Feriratis Calderonis, Eſpiſſiæ, Colcharum, & alias tranſtuliſſet ad alios variis ex cauſis, tum Hugonem de Rabutin dotalibus ditionibus de Sully, de Borbilly, de Hubanc, donatum voluit. Tabulas nuptiales ſcriptas ante annum Chriſti CIↃCCCCL. intelligitur ex Oliuario Marchano, qui, vt antè diximus, Antonium de Montacuto illo iam anno adfuiſſe ſcribit Amato de Rabutin, apud Cabilonem ludicra ſe pugna exercenti, quaſi vnum è præcipuis illius affinibus. Certum eſt autem ex dictis hanc affinitatem aliunde, quàm ex matrimonio filiæ Montacuti cum Hugone deriuari non poſſe. Quamobrem adoleſcentes quoque de Bleſy, qui Amato tunc adfuere armigeri, nepotes eius ab Oliuario nominantur; cùm tamen ea tantùm Montacuti affinitate ipſum attinerent, vtpotè qui Bertrandum à Turre Comitem Aruerniæ, vnà cum Montacuti coniuge haberent materni generis autorem communem. Sanè quem Oliuarius vocat Antonium Montacutum, cum omnia monumenta domus Rabutinæ Claudium vocant, vt neceſſe ſit, vel deceptum in nomine Oliuarium, vel hunc Montacutum Claudium ſimul & Antonium vocitatum eſſe. Omnino verò Claudij nomine crebriùs cenſetur, quàm alio. Nam inter Equites Velleris aurei à Carolo

Burgundiæ Duce anno cIↃCCCCLXVIII. acceſitus, Claudij tantùm nomen vſurpauit. Eius itaque gener factus Hugo de Rabutin partibus Burgundi Ducis adhæſit, vſque ad cladem Nanceianam. Claudius enim Montacutus duobus antè annis Burgundis ſtudere pergens facultatibus, quas inter Francos habuit multatus, ac fato erat interceptus. Hugo verò ad Francos tranſiit ab illa clade, fuitque adeò ſubinde Carolo VIII. acceptus, vt cum regno Neapolitano ab Aragonenſibus vendicando Italicam expeditionem ſuſcepiſſet, ac Burgundiæ Gubernatorem Mareſchallum de Baudricourt ſe in Italiam ſequi iuſſiſſet, Hugoni de Rabutin Gubernatoris in Burgundia vices attribueret, quod literæ Regiæ in Tabulario Rabutino hactenus ſeruatę teſtantur. Porrò numeroſæ prolis ex Ioanna factus eſt parens Hugo; duos quippe ſupra vicenos liberos memoria eſt ex ea genuiſſe: ſed qui ætatem longiuſculè produxerint, hi tantùm memorantur.

Claudius de Rabutin, Baro d'Epiry, & de Sully, de quo infrà.

Ioannes de Rabutin, Dominus de Bourbilly, cuius ditio breui rediit ad gentis Rabutinæ Principem Chriſtophorum, de quo poſteà.

Blaſius de Rabutin Dominus de Hubenc, cuius ditio à Comitatu Niuernenſi circa annum cIↃC. ſeiuncta, atque Aimoni vni liberorum Archembaldi Borbonij attributa, fortè an per matrimonia, aut per venditiones, tandem ad Montacutios eſt deuoluta, atque Rabutinorum per Hugonis, vt dixi, matrimonium hoc tempore facta, Blaſióque ſubinde hæreditario, cedens in poſterorum eius poteſtate Rabutini hodiéque nominis perſeuerauit.

Ludouica de Rabutin nuptum eſt data Franciſco de Maugiron Delphinati Baroni de la Roche, cuius illuſtriſſima fuit in bello fama, ſiue dum Carolus octauus Rex Francorum, ſiue dum Ludouicus duodecimus Mediolanenſes, aut Neapolitanas ditiones ſibi in Italia vendicarent, vt ex illius æui hiſtoriis eſt compertum.

Antonia de Rabutin coniugem ſortita eſt Ludouicum de Montgommery Equitem Dominum de Lantenay. Fueritne hic Ludouicus ex Normanno, aut Anglo Burgundus, an è contrario non ſatis conſtat, licèt hoc poſterius Golluto magis arrideat. Illud tamen non eſt obſcurum familiam Montgommeriam circa hæc tempora prædiis ac ditionibus in Burgundia non paucis potitam. Nam libro 3. Matiſconenſium rerum refert SanIulianus ſua adhuc memoria Guillelmam de Montgommery in Thiardorum familia nupſiſſe, quam de eius Ludouici gente fuiſſe ratio temporis perſuadet. Cæterùm longè hac antiquior memoria Montgommeriorum reperitur apud Anglos, cùm in

Hiſtoriis Normannicis mentio ſit Hugonis de Montgommery, in prædium quodpiam, aut feudum admiſſi à Guillelmo Notho Rege Anglorum ad annum Chriſti CIↃLXXXVII.

Hugo de Rabutin Sedis Apoſtolicæ Protonotarius.

Sebaſtianus de Rabutin Monaſterij ſancti Ioannis Reomaenſis Abbas, qui eam dignitatem fratrum ſuffragiis extremus eſt adeptus poſt annum Chriſti CIↃCCCCXCI. Nam qui deinde ſunt ſequuti non electione, ſed commendatione Pontificum Abbates ſunt dicti.

Suſanna de Rabutin data eſt in coniugium Domino de la Tournelle apud Niuernenſes.

Anna de Rabutin nupſit Iacobo de Neufchaſtel Domino de Cernay en Dormois; quæ familia eſt Burgundici Comitatus, vnde alius quidam Ioannes de Neufchaſtel Dominus de Cernay oriundus erat, qui haud multò poſt iſta tempora affinitatem cum Caſtellionæis à Comite Bleſenſi ortis contraxit.

Claudia de Rabutin, & Amara de Rabutin vitam egerunt religioſam in Monaſterio S. Iuliani ad fluuium Dunam.

XI. CLAVDIVS DE RABVTIN EQVES BARO d'Epiry, & de Sully.

Carolo octauo rerum in Francia potiente ductor fuit centum Equitum, vt litteræ Regiæ anni CIↃCCCCLXXXIII. ac ſubinde anni CIↃCCCCXCIV. hactenus edocent. Inde Ludouico duodecimo imperante Heluetiis Præfectus, nec multò poſt Regio ſatellitio Dux fuit attributus. Erat enim in Regis gratia Caſtillionæo & Bonneuallio, qui plurimùm tunc potuere, non diſpar. Sed non idem illi poſt hæc apud Franciſcum primum gratiæ locus fuit. Interueniente enim offenſiunculâ Venetis militatum iuit. Breui tamen reuocatus in Gallias ſtrenuam in pugna Marigniana operam præbens, cæſus, atque apud Franciſcanos Marigniani conditus fuit. Duplex anteà matrimonium inierat, alterum cum Barbara Dalmacij vulgò *de Damas*, quæ filia fuit Domini de la Bazolle in agro Matiſconenſi ex gente Dalmacia oriundi. Eius verò gentis illuſtriſſimum iam olim nomen atque inſignia cùm fateantur omnes ab iis, qui Marciliaco dominantur, in varias familias de Tianges, de Digoine, de Baxelle, de Benes, aliâſque deriuatum; tum varias in origines pro ſuo quique ingenio varij torquent. Alij enim d'Amas id eſt de Congerie; alij Damaſc, quaſi Damaſcenos dictos volunt. Sed veteres Chartæ Latinæ aut Gallicam vocem Damas, vel Damax retinent, aut Dalmatios nominant, quod nomen in veteribus Senatuſconſultis, aliiſque actis crebrò occurrit. Copioſa verò fuit hæc gens Dalmatia Proregibus, Equitibus, Belli Ducibus, Abbatibus, atque Ec-

cleſiarum Pontificibus. Alterum porrò matrimonium contraxit Claudius de Rabutin cum Ioanna de la Vernade vidua Domini de Monglas. Fuiſſe autem per ea tempora celebrem familiam de la Vernade ex eo conſtare poteſt, quòd anno CIↃIↃCCCCXCIX. legatus fuerit à Rege Ludouico duodecimo cum aliis Carolus de la Vernade Eques ac Dominus eiuſce loci ad Philippum Archiducem, ac Flandriæ Comitem, vt iuramentum ab eo fidelitatis ac ſummiſſionis exigeret, quod Francici teſtantur Annales. Verùm poſterius hoc matrimonium ſine liberis fuit; ex priore hi iam erant procreati.

Chriſtophorus de Rabutin, de quo mox.

Hugo de Rabutin Baro d'Epiry, cuius ditio haud multò poſteà deficiente ipſius progenie, reuertit ad Franciſcum nepotem, vt infrà dicam.

Marguarita de Rabutin.

Ludouica de Rabutin.

XII. CHRISTOPHORVS I. DE RABVTIN Baro de Sully & de Bourbilly, Præfectus Arci & vrbi Sinemurienſi apud Alexienſes.

Conciliatum eſt illi matrimonium cum Claudia de Rochebaron, quæ filia fuit Franciſci de Rochebaron Comitis de Berzé in agro Matiſconenſi, & Ludouicæ de Saillant, cui pater fuerat Guillelmus Hugoneti Dominus de Saillant, Eſpoiſſe, &c. ſummúſque Burgundiæ Cancellarius. Cæterùm Comitis de Berzé antiqua eſt ac primaria nobilitas, vtpote qui Matiſconenſis Comitatus primus Baro ſemper eſt habitus, atque è Burgundiæ Ducibus, ac Comitibus Palatinis, Ducibus Britanniæ, Regibus Aragoniæ per varias Maiorum ſuorum affinitates eſt propagatus, cùm rectà ipſe linea à Comitibus Foreſienſibus eſſet oriundus, vt videre eſt apud Sanlulianum lib. III. Rerum Matiſconenſium. Decem ex hoc coniugio liberos ſuſtulit Chriſtophorus. Sed iſti tantùm viriles annos attigerunt.

Carolus de Rabutin Sédis Apoſtolicæ Protonotarius.

Celſus de Rabutin Baro de Bourbilly, cuius ditio tertio abhinc gradu ad Celſum Benignum de Rabutin Guidonis nepotem eſt reuerſa.

Guido de Rabutin Baro de Chantal, de quo infrà.

Ioannes de Rabutin Dominus d'Arie.

Franciſcus de Rabutin Baro de Buſſy, de quo etiam poſteà.

Amata de Rabutin data eſt in coniugium Philippo Domino de Ieu in Eduis. Erat is de gente de Vichy, quæ latiſſimè fuſa tres in Burgundia ampliſſimas familias conſtituerat, Cadrelis fami-

liam de Marigny, in Eduis familiam de Ieu, Matiſcone familiam Campi Rotundi, quam cæterarum fontem ac caput fuiſſe SanIulianus loco citato aſſeuerat.

XIII. GVIDO DE RABVTIN BARO DE CHANTAL.

Etſi non ſatis liqueat quid rerum geſſerit, ex familia tamen de Couſſé inter Burgundas inſigni, ſibi coniugem aſciuit, quæ parentem illum fecit vnius filij, qui nominis ac fortunarum eius hæres dictus eſt.

Chriſtophorus de Rabutin, vt nunc dicam.

XIV. CHRISTOPHORVS II. DE RABVTIN *Baro de Chantal.*

Iunctus eſt matrimonio Ioannæ Franciſcæ Fremiot, quæ filia fuit V. C. Benigni Fremiot in Dinionenſi Senatu Præſidis, & Margaretæ Berbiſy ex eiuſdem Curiæ Senatoribus prognatæ. Geſſit Benignus honores in patria primos, ac plurimos, ſed illuſtri ſobole cum primis eſt nobilitatus. Filius enim illi fuit vir illuſtriſſimus Andreas Fremiot Bituricenſis Archiepiſcopus; nepos Iacobus de Neufchezes Epiſcopus Cabilonenſis, ex filia altera Margareta, quæ Ioanni de Neufchezes Domino Desfrans Baroni de Bucy nuptum erat data. Sed Chriſtophorus armorum gloria inſignis vitam breui inter labores militares depoſuit, fueréque illi ſuperſtites hi liberi.

Celſus Benignus de Rabutin, de quo nunc.

Amata de Rabutin, quæ connubio iuncta eſt N. de Sales Domino de Toran in Sabaudia. Huic frater fuit Franciſcus de Sales Geneuenſium Epiſcopus integerrimæ vitæ homo; altérque Franciſcus, qui in prioris vitam ſimul ac Sedem ſucceſſit.

Franciſca de Rabutin data eſt in coniugium Domino de Toulongeon, qui Pignerolo apud Inſubres regio nomine Præfectus, obiit anno Chriſti CIƆIƆCXXXIII.

XV. CELSVS BENIGNVS DE RABVTIN BARO *de Chantal, de Bourbilly & de Montelon.*

Cùm matrimonio iunctus fuiſſet Mariæ de Coulanges clara ac copioſa apud Pariſienſes familia, plenus animi ac fortitudinis nullam ſibi gloriæ militaris occaſionem paſſus elabi, ad Inſulam Ream Rupellanorum, atque Anglorum inuaſione periclitantem Regni ac fidei propugnandæ cauſa adnauigauit; dúmque inter primos eſcendentibus in Inſulam hoſtibus fortiter obſiſtit, nauali tormento ictus interiit anno Chriſti CIƆIƆCXXVII. Deſiit in eo ſtemmatis huiuſce primaria linea, à Chriſtophoro

primo bifariam ſecti. Superſtes enim fuit Celſo Benigno vnica filia.
Maria de Rabutin.

XIII. *FRANCISCVS DE RABVTIN BARO DE BVSSY, d'Epiry, de Forleans, &c.*

Propagauit ſtemmatis ſeriem poſt fratrem Guidonem, cúmque eſſet omnium natu minimus, tamen bellica gloria, opibus, ſobole nulli priorum fuit inferior. Inprimis enim turmæ equitum leuis armaturæ Præfectus inſignem Regi præbuit operam. Tum datus eſt rector vrbi, ác caſtro Nuceriarum in Burgundia, ac ſubinde militum Tribunus, & Campi-ductor fuit inſtitutus. Duplex illi coniugium fuit: alterum cum Nicolaa de ſainct Belin, cuius familia, ob Godefridum de ſainct Belin Calui Montis Baillinum in bello ad Monté Leterici Ludouici vndecimi, ob alios in bellis Franciſci Regis Italicis, ac deinde Gallicis Caroli noni, nominatiſſima fuit. Sed cùm illa ſex liberos teneris in annis extuliſſet, nec ilii diu ſuperſtes fuiſſet, alterum iniit Franciſcus coniugium cum Heliade de Damas, cui pater fuit Leonorius de Damas Baro de Tianges, mater Claudia Dorges Leonorij nobiliſſimum erat, & antiquiſſimum genus è gente Dalmatia in Tractu Cabilonenſi, quæ olim Vicecomitatus dignitatem Cabilone gerebat, & Burgundiæ Ducum ſtirpi per Montacutios agnata magno in Burgundia loco pace ac bello ſemper fuit. Francorum verò Regum ſanguini per Rocacauardos Drocenſi familiæ coniunctos, Leonorium mater ſua Ioanna de Rochechouard recens admiſcuerat. Porrò octo liberos ex Heliade ſuſtulit Franciſcus de Rabutin, mares quinque, tres fœminas, qui his fuere nominibus diſtincti.

Leonorius de Rabutin Comes de Buſſy de quo infrà.

Hugo de Rabutin Eques ac Præceptor Ordinis ſancti Ioannis Ieroſolymitani, qui & Ordinis ſui in Gallia Procurator fuit, & clarus in bello militum Ductor.

Chriſtophorus de Rabutin Baro de Forleans ſine liberis è vita abiit.

Franciſcus de Rabutin Dominus de Creus, & ſubinde Baro d'Epiry Eques ac peditum Ductor coniugem ſortitus eſt Margaritam de la Magdelaine Franciſci Marchionis de Ragny, Proregis Niuernenſis, atque Ordinis ſancti Spiritus Equitis filiam.

Guido de Rabutin Prior generalis Ordinis Vallis Callium litteris politioribus Philoſophicis ac Theologicis præclarè excultus, primariam Ordinis ſui Domum ſentibus ac ruderibus obſitam in priſtinum ſtatum ac ſplendorem excitauit.

Claudia de Rabutin conuenit in manum Claudio de la Ferté, Domino d'Aloſſe, de Dracy, &c.

Iſabella de Rabutin apud Marciniacum Ordinis Cluniacenſis Mo-

naſterium, vitam eſt profeſſa religioſam.

Carolota de Rabutin Præfecta eſt ſacris Virginibus Monaſterij Sancti Iuliani ad flumium Dunam, & S.Germani Des-Bois, & S.Martini de Chaumes.

XVII. LEONORIVS DE RABVTIN EQVES, Comes de Buſſy, Baro d'Epiry, & de Forleans, Dominus de Chaſeu, &c. Prorex Niuernenſis.

Cùm à prima adoleſcentia paterno ſtudio ita eſſet ad literas politiores tum Latinas, tum Græcas informatus, vt ex prouectam eius ætatem etiamnum magnopere exornent, in Batauia, quæ militaris peritiæ primaria tunc habebatur ſchola, rudimenta poſuit bellica. Inde in aulā productus Regiā, in primis Herico IV. tum Ludouico XIII. carus fuit. Non longo poſt hæc interuallo additus eſt Comes Hiſpanici itineris Henrico à Lotaringia Duci Meduanæ, qui ad Ludouici XIII. cum Anna Hiſpani Regis filia conciliandas nuptias, Legatus extra ordinem miſſus eſt anno cIɔIɔcXII. Biennio pòſt, cùm totius regni comitia Regis imperio Pariſiis coacta eſſent, vnus è tota nobilitate Eduenſi delectus fuit, qui illis intereſſet. Præfuit ſubinde turmæ Equitum leuis armaturæ, quam Sabaudiæ Duci bello Hiſpanico occupato ſuppetias duxit. Nec multo poſteà inuitante Rogerio Duce Bellagardæo, qui & Burgundicæ Prouinciæ Rector, & Regiis præſepibus præfectus erat, vexillum ac mox vicariam ſuſcepit curam centum Cataphractorum equitum, qui illius ductu regebantur. Inter hæc tumultuantibus tota Gallia hæreticis Tribunum militum agere à Rege iuſſus, & Septimaniæ perduellibus eſt oppoſitus. Ibi cùm alia plurima ſtrenuè, ac præclarè geſſit, tum obſidioni vrbis Gallarguæ præfuit, qua nongenti perduelles editis in Catholicos ſtragibus nobiles in poteſtatem venere. Anno demum cIɔIɔcXXIX. Tribunus denuo militum Alpes Regio iuſſu tranſcendit, dùmque Pignarolum ab exercitu Regio vallo, & foſſa cingeretur, ea fuit apud Cardinalem de Richelieu ſagaciſſimi ingenij virum opinione, vt ſuas ei partes eo in obſidio attribuerit, eiúſque operam prolixis laudibus nullo non loco commendarit. Retraxit eum in Galliam poſt pugnatas ad Auillianam & Carinanum celebres pugnas, morbus peſtilentiſſimus, quo etiam Amato filio incomparabili orbatus fuit. Anno ab his Italicis bellis tertio ad Tribunatum militum rurſum euocatus, & Niuernenſis Prorex eſt lectus, ſed ille non ante Magiſtratum iniit, quàm bello Germanico egregiam ſolido biennio operam pedeſtribus copiis nauauit; collectámque nobilium ſuæ prouinciæ Equitum pluſquàm trecentorum turmam hoc anno Chriſti cIɔIɔcXXXV. eodem ſuſcepit deducendam. Coniux illi obtigit ante annos quinos ferè, ac vicenos Maria Diana de Cugnac cordatiſſima fœmina, & ingenio, pietate, ac nobilitate ſpectatiſſima. Pater eius fuit Franciſcus

ciſcus de Cugnac Marchio de Dampierre, & de Boucar, vtriuſque Ordinis Regij Eques longa auorum ſerie nobilis, qui Henrici IV. Francorum Regis ſequutus auſpicia vitam in armis contriuit, fuitque non minimum momentum illius ad Eccleſiam Catholicam reuerſionis. Matrem habuit Diana, Annam de Beauuoir le Loup, quæ Franciſco viduo nupſit, vidua Andreæ du Reau Baronis Doyes, & Caſtri Montani, &c. Ei parentes fuere hinc Blanius XI. le Loup, Rupis brunæ in Aruernis Toparcha, inde Carolota de Bellanaue, antiquiſſimæ ambo nobilitatis.

Fecerunt Leonorium hæ nuptiæ quinque liberorum parentem, in quibus cum nobilitate certaret indoles. ij fuere.

Amatus Claudius de Rabutin, qui vix ephebus ſtipendia merere orſus, nec multò poſteà militum Ductor, cùm animi magnitudine, vigilantia in re gerenda, & imperij ſuauitate omnibus eſſet acceptus, peſtilenti morbo eſt immaturè ſubductus in Italia.

Hugo de Rabutin deſiit viuere prima in pueritia.

Rogerius de Rabutin ſpes familiæ, parentis ſtudio, & exemplo nullis non artibus nobilitatis inſtitutus, litteras inprimis impensè adamauit, cúmque inſignem è politioribus fructum retuliſſet, Philoſophicas etiam ſtudioſè percurrit. Inde verſus ad arma, paríque ſtudio defunctus eorum tirocinio ducatum militum in Montenſis Caſtri obſidione adorſus pergit paternis auſpiciis ad ſummas militaris gloriæ laureas aſpirare.

Cæſar de Rabutin puer ſuauiſſimus non adoleuit, fato oppreſſus intempeſtiuo Pariſiis.

Guido Leonorius de Rabutin moribus atque indole præſtans, puberes nunc primùm annos armis initiat.

De auditoribus appellationum Burgundiæ.

CCXXV. *A Beaulne deuant les auditeurs des appels dou Docubie.*] Pag. 328.
Fuit inter Græcos ruſticum quoddam Iudicum genus, quos ἀκροατὰς dixit Iuſtinianus Legum Ruſticarum tit. 1. § 9. τηρείτωσαν οἱ ἀκροαταὶ, καὶ τῷ διακρατήσαντι ἐπὶ ἔτη πλείονα ἀποδιδότωσαν τὸ δικαίωμα cognoſcant auditores & poſſeſſori plurium annorum ius attribuant. Auditores etiam verò apud Pariſienſes dicti, vſque ad tempora Caroli noni Iudices Prætorij Pariſienſis, vt ex Conſtitutionibus Franciſci I. anni CIↃIↃXXVII. & anni CIↃIↃXLIII. conſtare poteſt. Quin & apud Ambianos cap. LXV. & LXVII. antiqui iuris municipalis tribuitur eiſdem Iudicibus idem nomen. Inſulana verò apud Flandros Conſuetudo, non alios, quàm ſupremi, vt vocat, Prætorij Iudices, ita nominauit cap. 67. & 213. Illud his omnibus Iudicum generibus eſt commune, vt ab eis liceat prouocare. Quo argumento confici poteſt hos quoque Burgundicos Auditores, etſi de totius

Ducatus prouocationibus cognoſcerent, ſupremâ tamen iudicandi poteſtate caruiſſe. Et verò id non ex his tantùm tabulis, quæ prouocatum referunt ab his Auditoribus ad Parlamentum Regium Pariſios, ſed etiam ex præcedentibus liquidò conſtat, in quibus ſic definit Curia Parlamenti Pariſienſis. Dictum, inquit, fuit prædictos Auditores malè iudicaſſe, & appellantes benè appellaſſe. Quod iudicium cùm latum fuerit anno CIↃCCCLXXIII. Carolo V. annum iam decimum in Regno Franciæ agente, intelligere poſſumus Ducatum Burgundiæ eâ lege Philippo Caroli fratri datum, vt à Iudicibus Burgundiæ prouocatio eſſet ad Curiam Parlamenti. Etſi enim ſub priore Ducum ſtirpe plura Reges gererent in Burgundia pro ſupremis dominis, neſcio tamen an aliquod extet eo tempore exemplum prouocationis à Iudicibus Burgundis ad Curiam Parlamenti Pariſienſis. Huic tamen legi obnoxios fuiſſe Belnenſes Auditores hoc tempore ex tabulis hiſce addiſcimus. Sunt autem qui exiſtiment eos ſucceſſiſſe in locum Parlamenti Burgundiæ veteris, de quo actum ſuprà; ſed fefellit eos, vt arbitror, ratio. Nam id Parlamentum nulli addictum erat loco. Hi autem Auditores, vt vides in his tabulis, Belnam incoluere. Deinde Parlamenta potiùs, quàm Parlamentum, dixerunt Burgundi, quòd Conuentus eſſent non ſtati, ſed aliquoties in anno Indictitij. Denique etiam ſub poſterioribus Ducibus mentio eſt Præſidis horum Parlamentorum, non Belnæ, ſed Diuione reſidentis, in Præfatione Conſuetudinum à Philippo Bono probatarum. Alij veriſimiliùs tradunt Auditores hoſce præfuiſſe Tribunali Ducis, quatenùs Par Franciæ fuit. Nam & Hiſtoricus Niuernenſis eiuſdem nominis Iudices appellationum Niuernenſi Duci, quatenus erat etiam Par Franciæ, attributos memorat. Qui tamen ad annum CIↃIↃLXIII. partim Edicto Regio, partim Ducis voluntate in aliud genus fuere commutati.

IN LVDOVICVM DE IACVRIA.

De Præfectura Ludouici, decimis, & actionibus recuperatoriis.

Pag. 331 CCXXVI. FRERE *Louys de Iaucour.*] Longiſſimum vt vides interuallū eſt inter Guidonis, vt opinor, patrui, & Ludouici nepotis Præfecturæ memoriā. Hic enim ante annū CIↃCCCCIV. non occurrit, cùm ille, vt docuimus, anno CIↃCCCLX. exorſus ſit Magiſtratum. Inter quæ tempora intercedunt anni quatuor, & quadraginta, quorum partitionem inter hoſce duos Abbates nemo certò poteſt inſtituere. Illud tantùm conſtat Ludouicum ante milleſimum quadringenteſimum ſextum deſiiſſe, quo tempore Simon iam præſidebat. Incidit verò, vt opinor, in eius præfecturam ſolutio decimæ Sicilienſis, quam tabulæ Reomaenſes indi-

ctam hîc tradunt anno ciɔccccxcii. cùm vulgò Hiſtorici Gallici eam ad ſequentem retulerint. Sed in actionibus recuperatoriis, quas hîc ab eo factas prodimus, quædam ſunt notatu non indigna, quæ ab hodierno iure Burgundico ſunt nonnihil aliena. Illud in primis, quod Feudum ſupremæ iuriſdictionis, ſeu iuris gladij ei, qui nobilis non eſſet, interdicitur, ac Monaſterio vendicatur. Quod ſcitum eſt hodie in Burgundia locum non habere. Deinde quod aſſerunt Reomaenſes pluribus ſe hominibus dominari, qui ſerui eſſent corpore, id apertè pugnat cum iure municipali cap. de Manibus mortuis §. 1. vbi negatur vllum eſſe in Burgundia corpore ſeruum. Sed neſcio an hoc ius Clericis iuxta ac laïcis fuerit latum.

IN SIMONEM.

Tiſiacenſem Prioratum Abbati attribui ſatagit.

CCXXVII. SIMONI *Abbati Monaſterij S. Ioannis.*] Notæ ferè ſunt Abbatum poſtremorum familiæ, ſed de Simone nihil hactenus potuit ſubodorari. Antonij verò de Chalanco, qui Simonis ſuaſu Tiſiacum Abbati attribuit, non ignota eſt gens Allobrogica, & Epiſcopatus Lauſanenſis. Fuit hic tertio poſtquàm has literas dederat anno inter Concilij Piſani columina, deſertóque ſemel Benedicto, quem hîc nominat XIII. non quieuit donec cum aliis in Concilio Conſtantienſi Eccleſiam ſchiſmate diuulſam reſarciit. Cæterùm quid cauſæ fuerit, quòd iſta Tiſiaci attributio fruſtrà fuerit, non ſatis conſtat, fruſtrà tamen fuiſſe docent literæ Sixti IV. qui eam innouauit anno poſt hunc ſexageſimo, vt infrà conſtabit in rebus Philiberti Hugueneti. Pag. 345

IN GVIDONEM IV. ET HVGONEM V.

CCXXVIII. FRATER *Guido de Lugniaco.*] Ortus eſt Guido in Burgundię Comitatu oppido Lugniaco haud procul à flumine Dubi, cui familia ipſius dominabatur. Hugonis verò non ſolùm ortus, ſed etiam tempus eſt in obſcuro. De ortu enim nihil planè liquet. De tempore Præfecturæ nihil habemus, niſi additiones ad veterem Catalogum, quæ eum præponunt Stephano. In quo, perſpicuè pugna eſt cum iis, quæ tabulæ funerariæ tradunt Hugonem Romæ fato functum in carcere. Nam alio quàm Pontificio carcere incluſum ſuſpicari non poſſumus. At toto tempore Stephani, eiúſque præceſſoris Guillelmi V. mò & ſucceſſoris Guidonis III. abfuere Roma Pontifices Sede Auenio- Pag. 136.

nem tranſlata. Igitur dubium non videtur, quin error inciderit, vt ſæpè alias, in hoc additamentum Catalogi ordine nominum perturbato. Itaque cæteris temporibus Hugonis præfecturæ non congruentibus, quod vel abeſſet Roma Pontifex, vel alij Abbates Reomai præeſſent, vt ex tabulis conſtat, hunc ei locum alioqui vacuum cenſuimus tribuendum, iuuante in primis ea coniectura, quòd nulla alia cauſa carceris Hugonis veri ſimilis occurreret, niſi quod aduerſantem habuerit Philibertum Huguenetum, qui primus hoc tempore commendatio nomine Præfecturam à Pontifice nactus fuerit, fratríſque ſui Guillelmi Hugueneti Burgundiæ Cancellarij factione Hugonem, vel cum primum electum, vel alicuius vitij inſimulatum loco depulerit, ac minus Pontifici obſequentem carcere damnari curarit.

IN PHILIBERTVM HVGVENETVM Cardinalem S. R. E.

Pag 344. CCXXIX. PHILIBERTVS *tituli S. Luciæ in Silice Presbyter.*] Duos hactenus Præfecturæ modos à ſuo conditu expertũ fuerat Monaſteriũ Reomaenſe. Alter fuit ſolennis & Canonicus per Monachorũ ſuffragia, & inſtitutionẽ, qui locũ habuit abſq; controuerſia in decem primis Abbatibus. An autem perſeuerarit in vndecimo qui Cuſtos Regius fuiſſe ſcribitur, & in duodecimo, qui Lingonenſis fuit Epiſcopus, non ſatis liquet. Nam decimus-tertius, & decimus-quartus, etſi Epiſcopi fuere, tamen Abbates priùs, quàm Epiſcopi fuiſſe in monumentis Monaſterij ſcribuntur. Sex proximi eodem genere inſtitutionis ad Præfecturas peruenere. Alter certò interceſſit in Modoino, Lotario, Carlomanno, qui ſola Regum voluntate adminiſtrationem, ac poſſeſſionem facultatum Monaſterij fiduciario titulo adiere. Tunc enim illud ſibi ſumebant Reges, tanquam fundatores, aut protectores, vt facultates Monaſteriorum Epiſcopis, aut Clericis, imò & laicis committerent in Monachos diſpenſandas, addito iure conuertendi, quæ ſupererant in vſus proprios. Deſiit hic vſus, ſeu mauis abuſus ad tertiam Regum ſtirpem, cum eorum conſenſu conſtituta eſt, aut reſtituta per Cluniacenſes, Vvillelmum Abbatem, & alios diſciplina Benedictina omnibus ferè in Monaſteriis Galliæ. Ab eo enim propè tempore continua fuit Abbatum ferè quinque, & triginta ſeries, quorum nullus aliis quàm fratrum ſuffragiis creatus ſcitur. Tertius modus, vt multo ſecundo melior, ita primo haud paulò ad religioſam diſciplinam minus accommodatus, per Pontificis commendationem, aditum habuit in hoc Monaſterium ob Philiberti Hugueneti potentiam Guillelmi fratris Burgundiæ Cancellarij, ac viri eloquentiſſimi autoritate ſubnixam. Reuocatus tamen eſt mos Canonicus haud mul-

to poſteà in Petro de Aligny, vt mox dicemus. Nam Ioannem de Cuſſigniaco ceſſione Philiberti à Pontifice inſtitutum ex eo conficitur, quod longè ante Philiberti mortem præfuerit. Non enim deſiit hic viuere ante annum cIɔcccclxxxiv, vt Panuinius & Ciaconus teſtantur; & tamen Ioannes, vt ex hoc tabulario docetur, anno iam cIɔcccclxxvi. Reomaenſibus Præfectus erat.

IN IOANNEM DE CVSSIGNY, Petrum d'Aligny, & Sebaſtianum de Rabutin.

CCXXX. FRATRI *Ioanni de Cuſſigny Abbati.*] Erat nomen Ioanni de Cuſſigniaco à Caſtro familiæ nobilis in Du Pag 347.
catu Burgundiæ haud procul ab agro Belnenſi: ſed profeſſio Monaſtica ab eo ſuſcepta eſt in Balmenſi Monaſterio agri Sequanici. Hinc illi grauis contentio cum Ludouico XI. Rege Franciæ ſubigente Burgundiam, atque ad extremum exilium in Flandriam, vnde à Carolo VIII. reuocatus fuit. Petro de Aligny nomen itidem fuit ex Caſtro Ducatus Burgundiæ in agro Auguſtodunenſi, cui nobilis admodum familia dominabatur is per viam Spiritus ſancti, vt tabulæ Procuratoriæ, quas hîc damus, ſignificent, electus fuit nulla poſt prædeceſſoris fata dilatione interpoſita, quod fiduciariæ Abbatum inſtitutiones inter moras, facilè per ea tempora electiones interturbarent. Sed breuiſſimum illi Præfecturæ tempus fuiſſe oportuit, cùm Sebaſtianus Rabutinus, de cuius familia abundè ſuprà eſt actum, interceſſerit inter ipſum, & Guillelmum Machecot claræ apud Diuionenſes familiæ virum, qui commendatitio titulo poſſeſſam Præfecturam anno cIɔIɔv. fato functus alteri reliquit eodem titulo poſſidendam, nec vnquam deinceps ad Monachorum electionem reuerſuram. Ex quo patet trium Abbatum Præfecturas annos ſimul quatuordecim non exceſſiſſe. Hæc hactenus, cùm cætera inter mores propè hodiernos acta luce non egeant.

FINIS.

INDEX
RERVM ET VERBORVM
QVÆ IN HOC LIBRO CONTINENTVR.

A

AALIS Duciſſa Burgundiæ. 247
Abbas Ionas diuerſus ab aliquot eiuſdem nominis. 466
Abbatis peregrè redeuntis honorifica exceptio. 569
Abbates tribus modis Reomaenſibus dati, electione Monachorum, Regiâ deſtinatione, & Pontificum commendatione. 692
Abbatis & Conuentus æquata poteſtas in negotiis quando. 654
Abbonnagium. 301. quid eſſet. 659
Abbonnagium feudi, equi militaris, hominis. *ibid.*
Abonnati Clerici tonſuræ cauſa. 659
Achardus Abbas ſancti Germani Autiſiodori. 178
Acelinus Abbas Regniaci. 215
Adalardus Comes Vaifarium Ducem Aquitaniæ cædit. 78. Carlomano Rege mortuo ad Carolum magnũ accedit. 79. Comes fuit Palatij. *ibid.* an Dux Burgundiæ, an Comes tantùm. 544
Adalardus miles. 51.534
Adalbertus Tuſciæ Marchio. 563
Adalberti duo Eporediæ Marchiones. 563
Adalbero Metenſis Epiſcopus. 152
Adminiſtratio Palatina Epiſcopo interdicta. 97
Adminiſtrator ne ſit Epiſcopus Canone III. Calcedon. 553
Adminiſtrator eſt qui poſſeſſiones Principis mercede conducit, qui ſæcularia eius negotia gerit, qui bona gubernat, qui actor ac procurator rerum eius. *ibid.*
Aduocatio Regia. 29
Aduocationis, ſeu protectionis Monaſteriorum leges. 615
Æmulanda potiùs ſolida, quàm ſublimia. 62
Afer Scitæ, aut Scithiacæ incola. 494
Agiare lina & cannabos. 268
Aglantina Abbatiſſa Putei Orbiaci. 215
Agreſtius Magnimontenſis. 12
Agrippinus Diaconus. 12
Aimo de Martineio Conneſtabi-

lis Burgundiæ. 12
Aimo RabutinusCamerariusReomaenſis. 316
Aimus Comes Alſinſis. 173
Airardus Abbas Perſeniæ. 205
Alaiſia Niuernenſis, Comitiſſa Autiſiodorenſis. 284
Albertus de Subernio. 192
Alinardus Abbas Diuionenſis. 169
Almuror, ſiue Almanzor Rex Saracenorum in Hiſpania. 175. pater & filius. 586
Alphonſus du Pleſſis Cardinalis Lugdunenſis, Reomaenſis Abbas. 413. ſucceſſit Iacobo Pleſſæo propatruo in Epiſcopatu Lucionenſi. *ibid.* ſed ante conſecrationem Carthuſianum amplexus Inſtitutum, Armando fratri ceſſit. *ibid.* ab ea quiete eductus Aquis primùm Sextiis, tum Lugduno eſt datus Archiepiſcopus. 414. Cardinalis dictus ab Vrbano VIII. *ibid.* à Rege Romam extra ordinem legatus. *ibid.*
Alpium iuga in Peninis, mons Iouis, vulgò S. Bernardi. 610
Altare impoſitum corpori S. Ioannis autoribus Epiſcopis. 41. vt ſolemniter coleretur. 513
Amaſire. 262. quid ſit. 638
Amingus Dux belli Italici ſub Theodoberto. 491
Anachoreſis prima & ſecunda S. Ioannis. 474. 475
Anachoreſis prima & ſecunda ſancti Sequani. 32. 35. 513
Andreas de Eſpiſſia. 255
Andreas de Marmolio, vel Marmellis. 667
Andreas de Montebarro. 205
Andreas Dominus Rupis fortis. 262
Andreas de Sauoyſiaco. 262
Andreas de Rubeomõte. 268. 642
Andreas de Brocia. 278
Annariæ leges ſuſcipiendi Ordines in ſancto Sequano non obſeruatæ. 33. quænam tunc fuerint. 517
Annona Vallis Callium. 273. 644
Annaciarum iura. 648
Anſcharius Eporediæ Marchio. 563
Anſelmus de Triangulo. 654
Antonius de Chalanco Cardinalis legatus Eccleſias vnire potuit. 334
Antonius Rolin Dominus d'Eſmeries. 349
Apollinaris Abbas Reomaenſis. 79. Clericus. 80
Aquam precio dare illicitum, niſi ſeruitus hauriendi aut portandi accedat. 642
Archiclauus, vel Archiclauis. 190. Monachis & Clericis communis. 598. Idem cum Theſaurario. *ibid.* & cum cuſtode. 599
Archiclauis Lingonenſis Lambertus. 190
Arduinus Rex Longobardorum ex Marchione Eporedienſi. 134. Ottonem Henrici Germaniæ Regis legatum ad Cluſas profligat. 573. ſed ab Arnulfo Mediolanenſi Epiſcopo viciſſim profligatus Regno ceſſit. 574. Monaſterio Fructuarienſi ſe condidit, ibique interiit. 160. 574
Archidiaconi Eduenſes, Gaufridus, Siguinus, Humbertus. 191. Henricus. 192. Ancherius. 172. Girardus. *ibid.* Ioannes de Borbonio. 301

Archidiaconi Lingonenſes Gocelinus, Guido, Garnerius, Fulco. 194. 196. Pontius. 195. Stephanus. *ibid.* Hugo. 211. Girardus. *ibid.*

Archipresbyteri rurales, aut Vicani iidem cum Decanis ruralibus. 629

Armandus Ioannes de Richelieu Cardinalis, Abbas Reomaenſis. 403. natus Pariſiis anno 1585. patre Franciſco Pleſſæo de Richelieu, matre Suſanna de la Porte Vezins. *ibid.* Pater per Franciſcam de Rupe Cauardi matrem, Drocenſium Principum ſanguini inſertus, cùm Henrico III. & IV. diu militaſſet Eques Ordinis ſancti Spiritus, & magnus rerum capitalium in Aula Quæſitor, in obſidione Pariſienſi viuere deſiit. 404. Armandus litteris principio, tum armis initiatus, Epiſcopatui Lucionenſi ceſſione fratris deſtinatur, literíſque animum egregio fructu & laude reſtituit. *ibid.* facta ætatis gratiâ Epiſcopus conſecratur. *ibid.* ad Regni Comitia cùm veniſſet, Ordinis Eccleſiaſtici Orator eſt lectus. 405. magni Eleemoſynarij munere apud Annam Auſtriacam Regis coniugem eſt aliquandiu functus. *ibid.* legationi Hiſpanicæ deſtinatur. *ibid.* Regi fuit à ſecretis mandatis. 406. ſcripſit contra hæreticos Prædicantes, & Inſtitutionem Lucionenſium ſuorum. *ibid.* Pacis inter Regem & Reginam matrem conciliator fuit. *ibid.* à Gregorio XV. Cardinalis aſciſcitur. 407. Reipublicæ gerendæ à Rege admouetur. *ibid.* Rupellanorum & Anglorum coitionem ad arces Reæ Inſulæ obſidendas conſilio & prouidentia diſiicit. 40. Rupellam incredibiliter munitam mirificis molitionibus duodecimo menſe in Regis poteſtatem adducit. 409. Italica ſequuta expeditio in qua Regio ductu, & Armandi conſilio perruptis Italię clauſtris diſſidentes Principes ad concordiam adacti, Caſale & Italia metu liberata. 409. præficitur exercitibus Regiis, moxque Priuatæ vnde fuerat origo rebellionis ferro & flamma delentur. 410. Vrbes tricenis plures deiectis propugnaculis Regi ſubduntur. *ibid.* Eccleſiaſtici antiquis ſedibus redduntur, pluréſque à fide Catholica deuij ad Eccleſiam reuocantur. 411. Recrudeſcente in Italia bello exercitui Præfectus vrbes aliquot ſubigit. *ibid.* Caſale & Mantuam recipit, Mantuanum Principem reſtituit, Pignarolum Regno adiicit. 412. Reomaenſem Præfecturam fratri mox defert. *ibid.*

Armigerorum varia genera. 534

Arnaudus Abbas S. Petri Viui Senonibus. 183

Arnulfus miles de Liniaco. 192

S. Arnulfi Monaſterium emendat Guillelmus I. Abbas Reomaenſis. 152

Arnulfus Abbas S. Petri Autiſiodori. 252

Ἀῤῥαβωνισμός. 612

Aruius de Safra. 222

Attra-

Attractum, vel attractus. 10. quid ſit. 510
Auallonenſe, vel Auallenſe caſtrum. 13.52.167
Audeburgis Abbatiſſa Fontis Ebraudi. 207
Auditores appellationum Burgundiæ apud Belnam. 327. 338. non fuerunt ſupremi Iudices Parlamento non ſolùm Pariſienſi, ſed etiam Burgundico inferiores. Ducis Burgundiæ, vt Paris Franciæ Iudices. 690
Auiuialo Abbas Pultarienſis. 208
Aurelianus Abbas Reomaenſis. 113
Aureo pugillo murum frangere ferreum. Prou. 165
Autiſiodorenſes Epiſcopi, Ricardus. 171. Heribertus. *ibid.* Hugo. 225

B

BALTICHILDIS Regina. 1. 465
Barnabas Græcus Epiſcopus fit Monachus. 158
Baſiliſcus à S. Ioanne necatus. 9. vocis catachreſi ſic dictus. 480. Diademato aut acuminato fuit capite. 481
Bauduinus Abbas Caſtellionenſis. 192
Bartolomæus de Poleiſy. 230
Bellum Italicum Regis Theodoberti. 18
Belnum caſtrum. 149.167
Belnenſes Canonici. 226
Benedictiones puerperarum, nuptiarum, iudiciorum. 193.253
Benedictio, artarum & annuli ſponſalitij. 612
Benedictio baculi peregrinantium. 611
Benedictio ſportæ, ſeu peræ. 611
Benedictus Papa. 169.579
Benedictus Abbas Claſſenſis fit Diuione Monachus. 158
Benedictus Abbas S. Arnulfi Metis. 152
S. Benigni Monaſterium à Gregorio Lingonenſi fundatum, à Guntramno Rege ſtabilitum, & dilatatum, à Carolo Caluo agente Iſaac Epiſcopo reſtauratum, à Brunone Epiſcopo, & Vuillelmo Abbate extructa Eccleſia renouatum. 156.157
Benignus Epiſcopus Diuione fit Monachus. 158
Berengarius ſenior. 565
Berengarius iunior Eporediæ Marchio. 565
Berengarius armiger. 52
Bernardus I. ſeu Bernus Abbas Reomaenſis. 90. à Carolo Caluo poſtulatur in Epiſcopum Auguſtodunenſem. 91. quando ſederit Auguſtoduni. 530
Bernardus II. Abbas Reomaenſis. 183. conuenitur in Synodo Lingonenſi ab Arnaudo Abbate S. Petri Viui apud Senonenſes, ob Eccleſiam Ritiacenſem. *ibid.* litteris etiam compellatur. 184. in conuentu politico apud Caſtrilocum dies illi dicitur. *ibid.* deſerit vadimonium. 185. ad Cononem Legatum & Calliſtum II. Pontificem lis defertur. *ibid.* quia ſigillo carebant litteræ S. Petri manſit Reomaenſe Monaſterium in poſſeſſione Eccleſiæ Ritiacenſis. *ibid.* & 588. Eccleſiam Reomaenſem à fun-

damentis reſtaurauit. 190. Epitaphium eius. *ibid.*
S. Bernardus de Alpium iugis. 217. primùm Auguſtæ Prætoriæ Monachus, deinde Eremita in Alpium iugis. 610. longè diuerſus à ſancto Bernardo Clareuallenſi. *ibid.* non fuit Ordinis Benedictini, nec domus eius primaria, eſt Ciſtertienſium, ſed Xenodochium, cui præſunt Canonici regulares. *ibid.*
Berno Abbas Augiæ. 165
Bertoldus Epiſcopus Leucorum. 156
Bertrandus Epiſcopus Niuernenſis. 317
Beſinus de Valle. 214
Beſuenſis Monaſterij laus. 181
Bobo Abbas Reomaenſis. 74
Boinus Vigerius Caſtellionenſis. 255
Borda. 262
Bordagium. 639
Bordarius. *ibid.*
Bordelagium. *ibid.*
Bruno Epiſcopus Lingonenſis. 129. anno DCCCCLXXXI. præficitur. 570. Manaſſem Præfectura ſancti Benigni deiicit ſubſtituto Aſſone Deruenſi. 571. ſancto Maiolo poſt biennium illud attribuit, mox Villelmo, quem etiam conſecrat. *ibid.* quatuor alia Monaſteria cum Reomaenſi eidem tradit innouanda. 150. eius mores. 571. anno CIƆXVI. moritur. 578
Brunus color Monaſticus. 651
Buccellenus Alemannus. 18.491
Bunnuarium. 659
Burgundi Gallias inuadentes duas agrorum partes, & tertiam mancipiorum ſibi vendicarunt. 659
Burgundiæ antiqua Parlamenta, nec ſtata, nec ſupremæ poteſtatis. 672.690

C

Caducum Archidiaconi. 249 627
Cadrelas primò habuere Comites Cabilonenſes, deinde Hugo IV. Dux Burgundiæ, Matildæ venditione, tum Comites Borbonij dotales Beatricis Burgundæ, poſthæc Comites Armeniaci dotales alterius Beatricis Borboniæ, denique Dux Burgundiæ Philippus Audax venditione Armeniacorum. Cadrelarum Dominus primò Caſtellanus, tum Baro, denique Comes fuit. 675
Calo de Gency. 205
Calliſtus II. Papa. 185.652
Camelinus color. 289
Camerarius Reomaenſis veſtem, ſtragulam, & aliam præbebat Monachis, eam in rem prædiis, ac prouentibus aliquot à Capitulo donatus. 288
Cammundus Abbas Reomaenſis. 79
Campionum oblationes. 612
Candela charitatis. 218
Canonici Eſpiſſiæ. 27
Capellæ Flauigniacenſes. 272
Capellæ ab Oratoriis & Eccleſiis interdum diuerſæ, Oratoria in domibus ad ſolas preces, Capellæ etiam in agris ad ſacrificium, Eccleſiæ in agris & vrbibus ad omnia ſacramenta & preces. 582

Capellæ nomen circa Pipini tempora natum ex Capa ſeu Capſa ſancti Martini. 582. quæ etiam dicta Capella. *ibid.*
Capellis ius fuit Decimarum ſicut Eccleſiis. 583
Capellani priuati olim interdicti. 622. poſteà conceſſi, dum indẽnes præſtarent Sacerdotes matricis Eccleſiæ. 219. 623
Cardinalium Legatorum à procurationibus quædam Eccleſiæ immunes. 307. 662
Carolomanus Caroli Calui filius Abbas Reomaẽſ. 184. 556. natus circa an. DCCCXLVI. Clericus ante pubertatem mox Diaconus nolens conſecratus ab Hildegario Meldẽſi. 108. creatus Abbas ante annum DCCCLXIX. & deiectus ſequente apud Attiniacum. 104. annò verò DCCCLXXI. accuſatus à patre de rebellione apud Epiſcopos Belgij, reiectus eſt ad Senonenſes. 108. Appellauit ad Adrianum Papã; ſed cùm non ceſſaret à Regni vaſtatione, captus & in Synodo totius regni apud Siluanectum depoſitus, & mox in ſæculari iudicio oculis orbatus. 110. Corbeïa vbi fuerat incluſus, in Germaniam ad Regem Ludouicum fugit, S. Albani Monaſterio alendus datur, mox Abbas fit Epternacenſis eòque loco moritur. 111. 537
Carolus Miron Abbas Reomaenſis. 399. Marci Archiatri Regij filius, Franciſci Prætoris Vrbani, ac mox Præſidis frater, Comitis de Carauas, per neptem affinis. *ibid.* Cormeriacenſis Abbas, inde Andegauenſis Epiſcopus. 400. anno CIƆIƆCXXVIII. eſſe deſiit. 401
Carolus V. Rex Francorum. 326
Caſſianus Abbas 8. dictus Abbas Scytha errore librariorum pro Scitæ. 494. non fuit natione Scytha, ſed Latinus, & Latinè ſcripſit, ibid. Græca illius opera quæ inueniuntur, ſunt ex Latinis verſa. 495
Caſamenta S. Ioannis. 236. 620
Καταιωρμός. 612
Κατακοπᾶν. 604
Catalla ſunt bona mobilia quæ nõ ſe mouent, non tamen omnia, ſed quæ fructum aut lucrum non pariunt. 621
Catalla Clerici. 631
Catechumenis ſuſceptores olim ambitiosè quæſit. 122. ij aderãt Catechiſmo imbuendis. 505. infantes dextra geſtabant, maiores pede pedi ſuo impoſito ſuſtentabant. 566. Quadrageſimo ante Baptiſmum die nomen eis imponebant, interdum alio die, *ibid.*
Catenæ ſeu lora S. Ioãnis. 49. Dæmones pellunt. 532
Celſus Abbas Reomaenſis. 75
Cenſuris Epiſcoporum quando exempti Reomaenſes. 244. 626
Centenarij. 29. Vicarij Comitis in minoribus vrbibus. 505
Chauagia. 218. Quænam eſſent. 637
Chriſmale ſiſtit incendium. 153. Id fuit linteum, non quo vas Criſmarium inuoluebatur, nec quo baptizatorum capita tegebantur apud Latinos, vt Chriſma combiberet, vel apud Græcos,

vt galeam ſalutis exprimeret, nec quo frontes in confirmatione cingebantur, ſed pala altaris in qua ſacrificium incruentum peragebatur. 575
Chriſtianus Abbas Reomaenſis. 76
Ciſtertienſis Societas cum Ioanne Cuſſigniaco Abbate. 349
Clamor, litis conteſtatio. 207. 604
Clarembaudus de Capis. 184.237
Clarembaudi de Capis plures. 621
Clarembaudus de Noers. 225.616
Claudius de Toulongeon, Dominus de la Baſtie. 349
Claudius de Toulongeon, Dominus de Traues. 349
Clemens Monachus Preſbyter, ſemel tantùm in vita auſus celebrare ſacra. 155
Clodoueus magnus 3.28.30
Clodouei pro Eccleſiis præcepta multa. 502
Clodoueus præcepta Magiſtratui Eccleſiaſtico ſimul & politico primus direxit. 503
Clodouei annus primus ſuſceptæ Chriſtianitatis, vt côueniat cum anno primo ſubiugatæ Galliæ. 507
Clodoueo Baptiſmus ad Chriſti natale datus, agnoſcitur ex præcepto eius Reomaenſi. 512
Clotarius I. Silueſtro Abbati dedit præceptum immunitatis. 71
Clotarij I. annus v. duplex fuit, alter regni Sueſſionici, alter Burgundici, ille incidit in Chriſti ɪɔxvɪ. iſte in ɪɔxxxvɪɪ. 540
Clotarius III. 1.465
S. Columbani diſcipuli. 1.466
Comes de Montebatro. 184
Comites initio iuri tantùm dicendo, mox etiam armis præfuere. 504
Confeſſores Ebbonis ſacramentum Pœnitentiæ illi non adminiſtrarunt. 548. Arbitri fuere aut Iudices à Reo ſponte electi. *ibid.*
Confugientes ad Eccleſiam non educti, ſed ibi vincti effractis vinculis liberantur. 40
Cono Præneſtinus Legatus Apoſtolicus. 185
Conſtantia Roberti Regis coniunx orta ex partibus Aquitaniæ. 162
Conuerſæ fœminæ Reomaenſes. 289. earum formula. 347
Corpus S. Ioannis Sinemurum defertur. 50
Corporis S. Ioannis relatio ad annum Chriſti DCCCLXXXVIII. 533
Creantum, creantare 250.618
Cuculla. 294.650.
Curia Abbatis Reomaenſis. 212. 606
Curſus Monaſterij 21. Reomai nocte tantùm, & ad veſperam celebratus. 493. cæteris horis preces adiunctæ operi manuum. *ibid.* poſt admiſſam S. Benedicti Regulam curſus etiam diurnus fuit Reomai. *ibid.*
Curtæ & Curtes. 509.510
Cuſtodes Regij in Monaſteriis 76
Cuſtodia, Gardia, Protectio Monaſteriorum. 220. gratuita fuit initio, inde quæſtuoſa & oneroſa 614. à fundatoribus quandoque impoſita, quandoque à Monachis quæſita. 615
Crucis ſignum in ſubſcriptioni-

bus. 30. dictum eſt graphium ſanctæ Crucis. 511.
Crux impreſſa corpori animum immutat. 19.492

D.

Δακτυλοθέτιον. 612.
Dæmon ſæpe exit de corporibus quæ inſedit cum ſputis ſanguineis. 55.56 alia eiuſdem exitus exempla. 536.537
Dæmoni hominem inhabitanti pœnas exaggerat S Ioannes 14. Id fit ob ſcelera quæ quotidie admittit. 488. non ſola apprehenſione, ſed verò pœnarum incremento. *ibid.*
Dæmoni aditis aperitur ad inuadenda corpora, ab ira ac dolore immoderato. 54.&c 535
Dæmonis illuſio. 179
Damnuis Abbatiſſa Rubei montis. 194.
Debitis à Monachis contractis, niſi probarētur in vtilitatem Monaſterij ceſſiſſe, nulla actio recuperatoria data. 274.645
Decani Lingonēſes. Airardus. 190. Seguinus. 206.
Decani laici. 272
Decani Archipreſbyteri Eccleſiis ac Preſbyteris Epiſcopo ſoli ſubditis, in agris præerant. 629. aliter dicti Decani rurales, aliter vicani, aliter Epiſcoporum adiutores, vel miniſtri. *ibid.*
Decani rurales ſub Archidiaconorum cura. *ibid.*
Decani iuriſdictionis Epiſcopalis conductores interdicti. 629. ſuā tamen habere permiſſi. *ibid.*
Decani Chriſtianitatis ferè dicti, qui præerant Eccleſiis & Preſbyteris qui in Monachorum dominatu erant. 251.280.618
Decimas à laicis poſſideri moris fuit ante annum DCCCLXXXVII. 614. redimere eas abſque Epiſcopi conſenſu olim illicitum, ſed priuilegiis poſteà indultum *ibid.*
Decimas oppigneratione ſola poſſeſſas à laicis ſemper licuit redimere. 240
Decima montis Barri Hugoni IV. Duci Burgundiæ, ex parte tertia conceſſa, vt alias partes protegeret. 275.645
Decimæ poſt Concilium Lateranenſe laicis ex cauſa attributæ. 645.
Decimæ Eccleſiaſticæ pro Rege Siciliæ. 330. quo anno in regno Franciæ collectæ.
Deidonus Abbas Reomaenſis 80. 545.
Dei gratia Abbatem ſe inſcripſit primus, quod extet ex Reomaenſibus Hugo III. 228.
Dei gratia Abbates non ſe, ſed alios dixerunt modeſtiores. 615
Dei patientia aut permiſſione Abbates, alij ſe dixerunt ſapientius 619.
Denarius Baptiſmatis. 613
Deodatus Abbas Reomaenſis. 76.
Deuotio parentum liberos olim Monachiſmo obſtrinxit. 123.566
Deuotio admittentium idipſum potuit, ſi pueri eſſent orphani. *ibid.*
Deuoueri Monachiſmo non potuit olim minor duodecimo anno, poſteà tamen potuit minor octauo aut nono. *ibid.*

giis euocata. *ibid.*
Deuoueri non potuit ab alio quã à ſe qui maior eſſet anno decimo quarto. *ibid.*
Deuotus ante annum decimumquartum ſi non haberet ratum poſt annum illum, quod de ſe ab aliis factum eſſet, non obſtringebatur voto. 597
Diaconatus proximè à Clericatu quandoque collatus. 33. quandoque poſt ordinem Lectoris, aut alium è minoribus. 516. probabile eſt, aut plures formas tũc in vna implicatas, pluréſque ſimul applicatas materias, aut plures ordines vna conſequentia comprehenſos. *ibid.*
Dialogiſmo crebro traditæ res virorum ſanctorum. 15.489
Diuionenſe Caſtrum. 167
Diuionenſis Comitatus. 173
Dolores iis qui miraculo ſanantur interdum exaggerantur ante ſanitatem. 48. exempla & rationes eius rei. 529.530
Domeſtici qui villis regiis præfuere. 29. Comitibus interdũ præmiſſi, interdum poſtpoſiti. 505.
Donationum Eccleſiaſticarũ chartæ in manum viri ſpectabilis traditæ, vt authenticæ fierent. 221. 227.617.
Donationes Eccleſiaſticæ interdũ altari impoſitæ eadem cauſa. 618
Donationes Eccleſiaſticæ cur dictæ eleemoſynæ. 257.635
Drogæ Caſtrum. 107
Ducis & Comitis confuſa interdum nomina. 545
Ducum dignitas prima in regno olim poſt Regem Francorum. 504. iuri dicundo ſimul & armis præfuit. *ibid.*
Ducum Burgundiæ maior ætas olim ſerior poſteà ad annum decimumquartum. 674.
Duellum Campionum ſeu probatorium. 511. diuerſum à duello finiendi belli publici cauſa ſuſcepto, & à duello ob honorem aut damnum priuatum. 664
Duellum probatorium in vſu Germanis, Burgundis, Alemannis, Pãnoniis, Baioariis, Anglis, Friſiis, Longobardis, Francis ſub ſecunda Regum ſtirpe. 664
Duellum illud apud Francos & Longobardos ſcuto & fuſte nodoſa, apud Burgundos & Allemannos ſpatha confectum. 665
Duellũ id qui ſubibant apud Francos ſtupa & tomento ſe protegebant, apud alios militaribus armis. 665
Duello victi pecunia interdum multati, interdum aliter. 665
Duello illo quæ crimina probata. *ibid.*
Duellorum eiuſmodi ritus qui fuerint. *ibid.*
Duellorum interdictum apud Lõgobardos, Francos, & alios. 666
Duellum id ab Eccleſia rarò permiſſum ſæpius vetitum. 666
Duellum hoc Reges & Senatus interdum iuſſerunt. *ibid.*
Duella hæc ius Canonicum tandem extinxit. *ibid.*
Duellorum lucra captata à Dominis regionum. 667

E

Eccleſiæ cur Monachis attributæ ab Epiſcopis. 211.606
Eccleſia Piſiacenſis cur nominata

inter Reomaenſes antequam donaretur ab Epiſcopo. 209.

Eccleſias Reomaenſibus tres attribuit primus Epiſcoporum Guidricus Lingonenſis. 188

Eccleſias ſex eiſdem Acchardus Epiſcopus, Eccleſiam vnam Hugo, quatuor Rainardus, Duas Iocerannus Epiſcopi Lingonici dedere. *ibid.*

Eccleſias nouem ſanxerunt Reomaenſibus Stephanus & Humbertus nepos eius Epiſcopi Eduenſes. 191.192

Eccleſias octo dedit eiſdem Godefridus Lingonenſis Epiſcopus, & poteſtatem fecit Preſbyteros ſtatuendi in omnibus Eccleſiis datis. 196.199

Ἐκκλησιασμος. 612

Ἐκπομπευς. 660

Eduēſes Epiſcopi, Adalgarius. 50. Modoinus. 81. Alteus. *ibid.* Bernardus. 90. Valterus. 171. Stephan⁹. 191. Humbertus. 192. Henricus. 205. Galterius. 226. 235. Guido. 264. Gerardus. 276. Hugo. 290. Ioannes Rolin Cardinalis. 540.

Electiones Abbatum factæ olim ab Epiſcopis, maximè in Hiſpania. 593

Electi poſteà Abbates à ſolis Monachis ex Regum, Epiſcoporum, & Pontificum priuilegiis. 593.

Electi demùm à ſolis Monachis ex lege communi quam ſanxit ſanctus Gregorius in Concilio Lateranenſi anno DCI. *ibid.*

Electionis Abbatis Reomaenſis formulæ. 553

Electorum à Monachis Abbatum conſecratio gratuita recuſari ab Epiſcopis non potuit. 594

Eleemoſynæ ſacris locis collatæ ad orationum ſocietatem impetrandam. 225

Eleemoſynæ nomine donata, ſi litigioſa eſſent in foro Eccleſiaſtico diſceptata. 257 635

Ἐπιδημητικά. 609

Epiſcopus ſine Archiepiſcopi permiſſu non potuit aulam Principis adire, vt dignitates aucuparetur ſæculares: ex Can. Sardicenſi. 98.553

Epiſcopus ſine eodem permiſſu non potuit de prouincia in prouinciam tranſire, niſi inuitatus, ex Can. item Sardicenſi 98 554.

Epiſcopus tamen potuit Abbas fiduciarius creari extra prouinciam, ſine permiſſu Archiepiſcopi. 554

Epiſcopi Lingonenſis correctioni exempti Monachi Reomaenſes priuilegio Sigoaldi & ſucceſſorum aliquot Epiſcoporum. 188

Epiſcoporum item correctioni ſubducti eodem modo plures alij Monachi. 594

Epiſcopis tamen in Abbates nulli Abbati ſubditos coërcitionis ius diutiſſimè fuit. 505

Epiſcoporum tamen animaduerſio in Abbates per appellationem ad Metropolitanum & Synodum potuit retardari. *ibid.*

Epiſcopi Abbates loco & dignitate amouere non potuerunt ſine omnium Diœceſis eiuſdem Abbatum aut ſex Epiſcoporum conſenſu. *ibid.*

Epiſcopis tandem omnis coërcitionis Abbatum poteſtas adempta, & ad Pontificem priuile-

Epiſcopis nihilominus non tantùm Præfectarum, ſed etiam Virginum ſacrarũ tributa olim coërcitio, quæ hoc tempore partim alio traducta, partim manſit eis integra. 594
Epiſtolæ duæ Guillelmi I. Abbatis ad Romanos Pontifices. 136.164
Epiſtola Arnaudi Abbatis S. Petri Viui. 183
Epiſtola Cononis Legati Pontificij. 185
Epiſtola Calliſti II. Papæ. 186
Εἰργόχειον Monaſticum. 10
Eſcaſura. 158.159.637
Eſpaua. 314.669
Euacuatoriæ litteræ. 270
Euchariſtiam laïcis non dederunt olim Monachi. 12.485
Euchariſtiam Monachis non potuerunt miniſtrare Sacerdotes non Monachi, potuerunt Epiſcopi. 485
Eugenius III. priuilegium conceſſit Reomaenſibus. 200
Eugenij id priuilegium non Romæ apud S. Petrum, ſed in Gallia apud S. Florentinum eſt datum. 603
Eulogiæ. 11
Eulogiæ pro quolibet genere alimentorum, ac ciborum quandoque acceptæ, ſed frequentiùs pro pane. 484
Euſtadius Presbyter Magnimontenſis. 32.33
Euſtaſius Abbas S. Eligij Nouiomenſis. 182
Euſtorgius Abbas Reomaenſis. 76
Exemptionem ab Epiſcopi iuriſdictione primus Reomaenſibus conceſſit Sigoaldus. 188.592
Exemptionem Reomaenſium probarunt Guillencus & ſucceſſores in ſede Lingonenſi. 188.197
Exemptionem eandem ſanxerunt Eugenius, & aliquot ſucceſſores Pontifices. 200.208
Exilium aut peregrinatio extra ſolum natale indicta olim pœnitentibus quibuſdam à Presbyteris pœnitentiariis. 532

F

FEMVR ferire iraſcentis aut furentis. 490
Ferreis circulis vincti à Presbyteris pœnitentiariis rei magnorum criminum. 45.49
Ferro vincti pœnitentes, ne per Prouincias vagarentur, interdictum à Carolo Magno. 527
Ferro tamen vincti peregrinatio Carolo Caluo regnante. 517
Ferrum ſponte circundatum corpori palàm geſtare vanitati deputatum, occultè habere ſanctitati. 530
Ferrum collo, brachiis, lombis, pectori, & aliis partibus incingere moris fuit aliquibus. 49
Feſta quædam tantùm fœminis ſolemnia apud Reomaenſes. 253
Feſta fœminea apud Ethnicos ferè ſuſpecta. 630
Feſta quædam integræ celebritatis, quædam vſque ad Miſſæ finem, quædam ratione maiorum, & agreſtium operum, non ratione minorum. 630
Feudum Bordæ quid eſſet. 638. quæ eius leges. 639
Feudum in allodio quærere an licitum. 264.641
Feudatarij ac liberti, qui alium à ſuo

ſuo dominum ac patronum agnoſcerent, excidebant bonis, quæ ab iis poſſidebant. 646
Feudararius ligius aut legius ad oſculum admiſſus. 209
Feudum ligium ex vſu Iralorum obſtringit fidelitatem vni cõtra omnes abſque vlla exceptione. 653
Feudum ligium apud Italos de ſupremis rantùm Principibus capitur. *ibid.*
Feudum ligium apud Francos ita vni obſtringit, vt non obſtet fidelitati alterius. 653
Feudum ligium apud Francos obſtringit domino, ſine medio & ratione rei ſuæ vnicuique è pluribus dominis. 653
Feudum ligium Francos cuilibet domino obligat, non exceptis aliis, niſi Rege. *ibid.*
Feudum ſimplex nec obſtringit ſine medio, nec contra omnes. *ibid.*
Feudi poſſeſſione interdicti olim ignobiles in Burgundia. 331
Fidamiolus. 18.401
Fidelitatis iuramentum Epiſcopis facere Monachi recuſarunt, cùm Ordines ab eis ſuſciperent. 125
Fidelitatis iuramentum Monachis viſum repugnare Regulæ quæ vetabat omninò iurare. 568
Fidelitatis iuramentum ſtatui Monaſtico aduerſari creditum 569
Fidelitatis iuramentum vt ſacra obtinerentur, ſimoniæ labem continere creditum. *ibid.*
Fideiubere Monacho, aut vltra centum ſolidos mutuum accipere, iniuſſu Abbatis illicitum. 625
Fideiuſſio aut mutuum Abbati etiam illicitum ſine conſenſu Capituli vltra centum libras. 625
Fideiuſſio demum & mutuum ad eam ſummam, quæ in Capitulo ſtatueretur, tam Monacho, quàm Abbati reſtricta fuit. 625
Fiſcani Eccleſia S. Trinitati dicata 154
Fœminæ Eccleſia Monaſterij quæ eſſet intra ſepta excluſæ. 46.528
Fœminea feſta apud Chriſtianos. 251
Foreſtagij ius quodnam. 648
Franciſcus Cardinalis de la Rochefoucauld Abbas Reomaenſis. 415. natus eſt Pariſiis anno CIↃ·IↃLVIII. patre Carolo Rupifucaldio Comite Randani, matre Fuluia Pica Galearij Mirandulæ Comitis filia. *ibid.* inter prima litterarum ſtudia Trenorchienſis Abbas creatus eſt. 416. Xenodochium Trenorchij reſtituit. *ibid.* ſtudia poliriora, Philoſophica, & Theologica Pariſiis in Collegio Claromontano inſigniret peregit. 417. Capellæ priuatæ Henrici III. præficitur. *ibid.* vt primùm per ætatem licuit Aruernis Claromontenſibus datus eſt Epiſcopus. *ibid.* Regio conſiſtorio adſcriptus eſt. *ibid.* Clericorum quos promouit ad Ordines ſeuerum delectum habuit. *ibid.* Ordines Religioſos omni amore & ope eſt complexus. 418. Præceptoria dignitas Ordinis Equeſtris S. Spiritus ab Henrico IV. fuit illi reſcripto deſponſa. 419. Cardinalis à Paulo V. creatur. *ibid.* ad communia Eccleſiæ negotia in aulam euocatus, Claromontanum Epiſcopatum cum Siluanectenſi commutat. 420. Rò-

mam Regis voluntate adit. *ibid.* ibi S. Officij, Epiſcoporum, ac Regularium congregationi adiungitur. *ibid.* Religioſis Galliæ pluribus, ſed inprimis Franciſcanis ad reſtituendam diſciplinam operam nauat. *ibid.* Ciſtertienſibus protector datur. *ibid.* Societatem Ieſu & Cardinalem Bellarminum præcipuo complectitur affectu. *ibid.* Fungitur Romæ protectoris Franciæ officio. 421. Franciſcanos Recollectos Trenorchij inſtituit, & pecunia iuuat. *ibid.* Siluanecti lectus ad comitia adeunda totius Regni. *ibid.* In comitiis maximoperè contendit, vt Concilium Tridentinum admitteretur. *ibid.* de rebus Eccleſiaſticis ac Theologicis, vt nulla eſſet laicorum cognitio ac definitio, vehementer pugnauit. *ibid.* Siluanectenſes qui in agris erant Presbyteros magna induſtria & cura officio ſuo idoneos conatus eſt facere. 422. Eccleſiis ſuis aſſiduò vt intereſſent effecit. *ibid.* Capuccinos Siluanectum induxit. *ibid.* S. Vincentij Canonicos Auguſtinianos in veteri diſciplina reuocanda egregiè iuuit. *ibid.* Virginum Monaſteria viris enixè obſtruxit. 423. mendicis prolixè prouidit. *ibid.* Cardinali Perronio in munere magni Eleemoſynarij ſuffectus eſt. 424. Eleemoſynas Regias induſtriè ac religioſè diſpenſauit. *ibid.* Xenodochia, quæ ſuæ erant curationis, veris Pontificum priuilegiis muniuit, ſuſpecta aboleuit, multiſque ea rebus fecit meliora. *ibid.* Regi matrem conciliauit. *ibid.* S. Genouefæ Monaſterij Præfectura donatus eſt. 425. Paci iterùm Regem inter & matrem dat operam. 426. reſtituendos veteri diſciplinæ Ordines Religioſos Canonicorum S. Auguſtini Benedictinorum, & Ciſtertienſium ſuſcipit. *ibid.* Regio conſiſtorio præficitur. *ibid.* Monaſterio ſanctæ Genouefæ veterem diſciplinam & ornatum multiplicem inuexit. 427. Viduarum Xenodochio Audriciano apud Pariſios leges autoritate Pontificia imponit. 430. Ordini S. Trinitatis eadem proſpicit autoritate. 429. Clero Francico aſſiduus adeſt in conſilio. 430. Eleemoſynarij magni officium abdicat, & fit Abbas Reomaenſis. 431. Monaſterio S. Dionyſij iuxta Pariſios veterem reſtituit diſciplinam. 433. Ciſtertrienſi Ordini reſtituendo diuturnam dedit operam. 434. Reomaenſi Monaſterio non ſolùm antiquam diſciplinam reddit, ſed plura etiam ornamenta Deo ac S. Ioanni Confeſſori dedicat. 433.

Franciſcus Cardinalis de Turnone Abbas Reomaenſis. 357. Natus eſt Turnone anno CIↃCCCCLXXXIX. patre Iacobo X. Turnonis Domino, matre Ioanna de Poligniaco. *ibid.* Ordini S. Antonij Viennenſis à prima adoleſcẽtia addicitur. 358. Præceptor fit eius Ordinis apud Seguſianos. *ibid.* mox Abbas Caſæ Dei apud Aruernos crea-

tur. *ibid.* dehinc fit Archiepiſcopus Ebredunenſis. *ibid.* Regi Franciſco I. ab Hiſpana captiuitate liberando feliciter laborat. 359. Inde Biturigibus lectus Archiepiſcopus. *ibid.* Ordinis etiam S. Antonij Abbas Generalis. 360. Cardinalis adoptatur anno cIↃIↃXXIX. *ibid.* reuerſus in Hiſpaniam Regios liberos in Regnum reducit. 361. Eleonoram Caroli V. Imperatoris ſororem Regi matrimonio iungit. *ibid.* Romam Legatus Clementem VII. Pontificem Maſſiliam vt veniret adduxit. 362. Neptem eius Caterinam ſecundo Regis filio copulat matrimonio. *ibid.* Præfecturam Monaſterij S. Germani Pariſienſis obtinet. *ibid.* Lugdunenſi Prouinciæ Regio nomine præponitur. *ibid.* Paulo III. Pontifici Nicæam anno cIↃIↃXXVIII. venienti obuiam ire iuſſus eſt. *ibid.* inducias in annos decem inter Reges qui aderant conciliat. *ibid.* Melanchonis in Galliam aduentum à Regio Gynecæo propè confectum impedit. 363. ſubnaſcentem in Gallia hæreſim omnibus opibus opprimere laborauit. 364. Abbas fit Bellilocenſis, ac mox Trenorchienſis. 365. Archiepiſcopus inde Nouempopulorum. *ibid.* Henrico II. Regnum capeſſente Aula deceſſit. 366. Romam iterùm Legatus Iulij III. electioni interfuit. *ibid.* Bellum Parmenſe adminiſtrauit. 367. Albano in Italia, Lugdunenſi in Gallia Epiſcopatui præficitur. *ibid.* Hæreticos Lugduni acriter per ſe & ſuos inſequitur. 368. Romam tertio miſſus Pontificiis cum Hiſpano diſſidiis acciris Francorum auxiliis finem attulit. 369. Pio IV. Pontifice fit Reomaēſis Abbas. 371. mox Oſtienſis Epiſcopus, ac Decanus Cardinalium. *ibid.* Collegium Turnonenſe ædificat. 372. Vniuerſitatis priuilegiis ornari curat, & Societati Ieſu addicit. 373. in Comitiis Aurelianenſibus Procerum concordiam ſarcire multùm ſategit. 374. Piſciacenſe colloquium diſturbare eniſus, cùm non potuiſſet, fecit vt noceret minùs. 375. Æger pridem animi ob infelix illud colloquium etiam corporis ægritudinem extremum incurrit. 378. Polancum è Societate Ieſu cùm ſibi adeſſe voluiſſet, ad purgandas pœnitentiâ animæ generaliter labes, vitam religiosè poſuit. 379. Religionis & eruditionis amore, ac Reipublicæ gerendæ induſtria inſignis fuit. 381. 382

Freda. 30. quid eſſent. 50

Frocus. 294. 650

Fructuarienſe Monaſterium. 134. 573

Fulbertus Carnotenſis. 169. 579

Functiones. 30. quid eſſent. 510

Fundatoribus Monaſteriorum interdum licuit Præfectos eorum loco mouere. 578

Fuſcei Virgines ſacræ. 207 Fontis Ebraudi Ordinem profeſſæ ante cIↃCLV. Chriſti annum. 605

G

GAGERIÆ. 232
Galcherius Comes Barri Sequanici. 292.654
Galli peculiariter dicti Celtæ, ſeu Lugdunenſes. 29.507
Galterus Abbas de Chora. 307
Galterus de Cappis. 622
Galterus alter de Cappis. 622
Garantiæ. 256. aliæ ab autore contractus, aliæ à fideiuſſore. 632. aliæ à defenſore gratuito. 633
Garſias Rex Nauarræ cognomento Sancij. 175.586
Gaſindi. 50. quinam eſſent. 510
Gaudricus Abbas Reomaenſis. 285.649
Gaucherius Abbas Flauigniacenſis. 215
Genuina dies. 613
Gerardus Lingonenſis Archidiaconus. 41
S. Germanus Autiſiodorenſis. 54. Nicaſium Comitem Auallonenſem terret. *ibid.* quâ ſpecie corporis fuerit. 536. ſermones in eius laudem ſcripti, S. Ioanni Reomaenſi aptati. 538. perficit ſanationem à ſancto Syluestro inchoatam. 71
Geſtium Hugonis III. Burgundiæ Ducis. 216
Geſtia quid differrent à Metatis Romanorum. 608
Geſtia quid differrent à Manſionaticis Francorum. 609
Geſtium breuis fuit temporis, & & vnius loci. 609
Geſtium quàm graue & moleſtum. 609
Girardus Abbas Reomaenſis. 457
Glaber Rodulfus. 562
Godofredus Abbas Reomaenſis. 181.
Godofredus præfuit ad CIↃXCVIII. Chriſti annum. 587
Godofredus Epiſcopus Lingonenſis. 212
Godofredus Lingonenſis Epiſcopus, quo anno ceſſerit. 608
Godofredi ſigillum. 608
Gotofredus Guillelmi I. Abbatis frater. 114.159
Gotfredus Archidiaconus fit Abbas Mediolanenſis. 158
Gozbertus Comes Sinemuri. 50. 533
Grafiones. 29. recuperatores fuere. 505. & fiſcales exactores. *ibid.* & defenſores Eccleſiarum. 506
S. Gregorius magnus ſeueritatem Guillelmi I. Abbatis per viſum caſtigat. 150
Guerpitio. 604
Guido I. Abbas Reomaenſis. 175
Guido de Noers. 124.225
Guido de Cappis. 239
Guido Dominus Iollei. 249
Guido II. Abbas Reomaenſis. 240
Guidonis contentio cum Lingonenſi & Lugdunenſi Epiſcopis. 244.245
Guido III. de Iacuria Abbas Reomaenſis. 323
Guido IV. de Lugniaco Abbas Reomaenſis. 336
Guido de Iouis villa Ioannis Seneſcalli Campaniæ patruus. 648
Guido de Beauuauoir. 667
Guido Abbas S. Michaëlis Tornodori. 239
Guillelmus I. Abbas Reomaenſis. 121. eius res geſtas vno libro

complexus eſt Glaber Rodulfus. *ibid.* & Chronicum ſancti Benigni. 146. ortus eſt auo Vibone Sueuo, patre Roberto Inſubro, matre Perinza Longobarda. 122. natus dum pater Robertus obſideretur ab Ottone primo in inſula lacus Verbani DCCCCLXII. Chriſti anno. *ibid.* ab Ottone Imperatore in Catechiſmo, & ab Adelaide eius coniuge in baptiſmo ſuſceptus eſt. *ibid.* anno ætatis ſeptimo deuotus eſt à parentibus, ac traditus Monaſterio Luciacenſi. 123. adultus iam in Capitalem ſcholæ eſt electus. 124. Diaconus dum fieret fidelitatem Epiſcopo iurare renuit. 125. à ſancto Maiolo Cluniacum ductus honorificè eſt exceptus. 127. Monaſterio S. Saturnini, quod nunc eſt S. Spiritus, datus eſt informator. 129. Monaſterio Diuionenſi Abbas conſecratur. 147. Reomaenſe, & alia ſexdecim Monaſteria ad veterem diſciplinam reuocat. 150. 572. ſcholas litterarum in Monaſteriis inſtituit. 131. Reomaenſi Præfectura deiicitur. 158. 578. in Italiam ter minimùm eſt peregrinatus. 574. laudes eius eximiæ. 147. 148. Regum Palatia adibat, vt oppreſſis ſubueniret, & aulicos Chriſto acquireret. 161. Fructuarienſe Monaſterium condit. 160. moritur anno CIƆXXXI. apud Fiſcanenſe. 169. 579

Guillelmus II. Abb as Reomaenſis. 234

Guillelmus III. Abbas Reomaenſis. 261. quando dignitatem adierit, & deſeruerit. 638

Guillelmus IV. Abbas Reomaenſis. 271. 643

Guillelmus V. Abbas Reomaenſis. 309

Guillelmus VI. Machecot Abbas Reomaenſis commendatitio titulo. 353

Guillelmus VII. Fouquet Varanæus Abbas Reomaenſis, & Epiſcopus Andegauenſis. 397

Guillelmus Damax dominus de Siſery, & de Vignes. 332

Guillelmus Flauigniacenſis Abbas. 282

Guillelmus Fontanetenſis Abbas. 192

Guillelmus de Iouis villa Archiepiſcopus Remorum. 649

Guillelmus de Iouis villa frater Ioannis, qui ſcripſit de ſancto Ludouico. 284. 647

Guillelmus Abbas Vergiacenſis. 282

Guillelmus de Grignone. 286

Guillelmus de S. Martino ſuper Oroſam. 277

Guillelmus de Rupe dominus de Nolay. 281

Guillelmus Abbas Regniacenſis. 311

Guillelmus Abbas Ciſtertienſis. 221

Guillelmus Comes Galæciæ. 586

Guntramnus Rex Burgundiæ. 39

H

HEIRARDVS Abbas Reomaenſis. 78. fuit filius Adalardi Ducis vel Comitis Burgundiæ. 544

Heldricus Abbas Reomaenſis. 170. ſanatur ſacramento Extremæ-vn-

ctionis. 171. præficitur etiam Monaſterio S. Germani Autiſiodorenſis. 171. & Flauigniacenſi.173. pulſus eſt Autiſiodorenſi circa CIↃIII. Chriſti annum. 581. id primum obtinuerat tum Flauigniacenſe, & extremo Reomaenſe. *ibid.*
Helias Abbas Colonienſis. 165
Heliſendis Prioriſſa Fuſcei.207.604
Helixandis Comitiſſa Barri ſuper Sequanam. 192.655
Henricus Roberti filius Rex. 167
Henricus Abbas S. Sequani. 182
Henricus I. Dux Burgundiæ. 149. 172.564
Herbertus Abbas S.Stephani Diuione. 100
Hieronymus de Capiteferreo Abbas Reomaenſis, Cardinalis. 355
Hilarius pater S. Ioannis Reomaenſis. 4. Senator fuit Romanus.471. ſepultus propè corpus S. Benigni Diuione. 472. laus eius ex Gregorio Turonenſi. *ibid.*
Hincmarus Laudunenſis, Abbas Reomaenſis. *96*. adminiſtrationem in palatio Regio obtinet. 97. & Abbatiam Reomaenſem. *ibid.* adminiſtratione à patruo Hincmaro Remenſi interdicitur. *ibid.* priuatur adminiſtratione & Abbatia à Rege. 98.554. Regem & patruum grauiter offendit. *99*. accuſatur in Synodo. *ibid.* deponitur in Synodo apud Duziacum. 100. biennio poſt hæc cæcatur. 101.ad Adrianum Pontificem appellat, & auditur. *ibid* permiſſu Ioannis octaui illi ſucceditur. 102. reſtituitur ſubinde ex parte. *ibid.* nec multò poſteà moritur. 103. 555
Homines liberi Eccleſiæ aut Monaſterij. 270. nec ſui, nec fundi cauſa ſerui, ſed cenſui tantùm obnoxij. 626. iis domini debuere tutelam contra aliorum iniurias. 270.627
Hominij liberi formula. 270
Hominij ſeruilis, ſeu manus mortuæ formula. 279.646
Horta villa Nouarienſis Eccleſiæ. 664
Hugo primus Abbas Reomaenſis. 180
Hugo ſecundus Abbas Reomaenſis. 180
Hugo tertius Abbas Reomaenſis. 221.225
Hugo quartus Abbas Reomaenſis. 230
Hugo quintus Abbas Reomaenſis. 357
Hugo frater Rodulfi Regis Dux Burgundiæ. 149
Hugonis Capeti Regis fratres duo Otto & Henricus filij Hugonis magni Ducis Francorum. 149
Hugo tertius Dux Burgundiæ. 211. 221
Hugo quartus Dux Burgundiæ. 235
Hugo de Argentolio frater Milonis de Noeriis. 215
Hugo de Nuceriis Epiſcopus Autiſiodorenſis poſteà à Senonibus poſtulatus Archiepiſcopus. 225
Hugo Abbas S. Benigni Diuionenſis. 282
Hugo Abbas S. Martini Eduenſis. 304
Hugo Tiard Abbas S. Martini Autiſiodori. 348
Hugo Vicecomes Carnotenſis, & Comes Barri Sequanici. 654
Hugo de Chaumont. 219

Hugo Vergiacenſis. 228
Hugo de Mons. 203
Hugo d'Arci Balliuus Alexiæ. 281
Hugo Abbas Flauigniaci. 562
Huilardinus de Quinceio Vicecomitis. 306
Huldierius de Birri. 205
Hunna Abbas Reomaenſis primus S. Columbani diſcipulus. 7
Huualdus Tornodorenſis Abbas ſtrenuus. 148
Hymnus de S. Ioanne Reomaenſi. 539

I

Iacobvs Abbas Caſtellionenſis. 282
Iacobus Abbas Ciſtertienſis. 282
Iacobus Seneſchallus Eduenſis. 282
Iacuria gens familiam habuit alteram in Campania Remenſi, alteram in Burgundia.
Igniculi ex Sanctorum corporibus emicantes futuri miraculi indices. 43. interdum ſtellæ formam habent, interdum faculæ, aut lucernæ, aut radij, aut id genus. 525
Imaginatio, aut ſubimaginatio ſigilli. 590
Ingebrannus Abbas Reomaenſis. 112
Inſignia Gerardi Eduenſis Epiſcopi. 646
Inſignia Lingonenſium & Eduenſium Epiſcoporum quid vulgò differrent aliquandiu. 646
Inuadiationis contractus. 232. 236. idem cum Gageria 235. diuerſus ab hypotheca & contractu cenſuali, quòd res per hos contractus obligata maneat in poteſtate debitoris, per illum autem tranſeat in poteſtatem creditoris cum fructibus. 620
Inuadiatio vſuraria, niſi vel fructus computentur in ſortem, vel res obligata eſſet de feudo mutuantis, aut aliter illi vtilis, & fructus pro penſione computarentur. 621
Ioannelinus Abbas Fiſcanenſis. 166
S. Ioannes Abbas I. & fundator Monaſterij Reomaenſis. 1. vixit annos centum viginti. 23. natus eſt anno Chriſti CCCCXXV. 469. mortuus DXLV. 470. gente fuit Lingonicus. 4. vrbe Diuionenſis. 473 duram anachoreſim ſuſcepit anno ætatis viceſimo in villa remota. 474. duriorem anno viceſimo tertio in Reomaenſi ſilua. 475. præficitur Monachis Conuenis. 5. regulam mutuatur ab antiquis Galliæ Monaſteriis. 6. quænam illa fuerint. 477. aquas ſalubres puteo reddit, ſerpente inſeſſore necato. 9. Lerinum fugit, vt aliis ſubeſſe poſſit. 6. reuocatus Macarij regulam ſuis tradit. 9. matrem obiter tantùm viſit. 10. 481. furi confeſſionem criminis ſecretis vinculis extorquet. 11. muliebres technas eludit. 11. blaſphemum nocturno viſu caſtigat. 12. deſpicientes illius litteras vltio diuina excipit. 13. 16. Lætum Diaconum peſtilenti morbo liberat. 17. ſigno crucis quendam ex otioſo facit ſtrenuum. 19. frumentum multiplicat. 20. obit. 23. ſepelitur extra cœnobium. 495. in vico Corporis ſancti. 498. dæmones infeſtat. 529
S. Ioannis Reomaenſis cum Elia Propheta comparatio. 59. eiuſdem exterior compoſitio. 63
S. Ioannes de Prato, aut de Pratis

idem qui Reomaenſis. 183.588
Ioannes Abbas Fructuarienſis. 151
Ioannes Abbas Capuanus fit Monachus Diuione. 158
Ioannes Abbas S. Apollinaris Rauennatis fit Monachus Diuione. 158
Ioannes Abbas de Chora. 270
Ioannes Abbas Melundenſis. 307
Ioannes ſecundus de Cuſſigniaco Abbas Reomaenſis. 340.341.347
Ioannes Conſul. 5. Rector Galliæ. *ibid.* fuit tantùm honorarius Conſul. 474. Rector Galliæ Lugdunenſis primæ. 475
Ioannes de Beauuauoir. 667.
Ioannes de Marmeaus dominus de Rauieres. 667
Ioannes de Vineis. 256.367
Ioannes Dominus de Rocha Brunin. 265
Ioannes Cabilonenſis Comes Autiſiodori. 284.308.647
Ioannes de Safris. 299
Ioannes Iolis Sacriſta S. Nicetij Lugduni, Nuncius Apoſtolicus, & collector iurium cameræ. 330
Iobertus de Moliny. 223
Iocerannus Abbas S. Rigaudi Matiſcone. 267
Ionas Abbas, Italus non Hibernus, 467. non fuit diſcipulus S. Columbani, ſed ab Attala diſciplinis Columbani imbutus. *ibid.* res geſtas S. Ioannis Reomaenſis ſcripſit iam ſexagenarius. 466. ſcripſerat anteà res Euſtaſij Luxouienſis, Attalæ Bobienſis & Bertolfi S. Columbaui diſcipulorum. 465
Ionæ alij fuere è quibus vnus Monachus Fontanellenſis, alter Epiſcopus Aurelianenſis, tertius Epiſcopus Auguſtodunenſis, omnes ab Abbate diuerſi. 466
Ioſbertus de Melanny. 225
Ioſbertus de Bar. 225
Iſaac Abbas Scitæ. 23.494
Iterius de Brocia dominus Ricei 258
Iudicia, ſeu probationes vulgares quando interdictæ. 601
S Iulij lacus. 564
Iuniores iudicum. 545
Iuriſdictio etiam coërcitiua laïcorum Monachis & Clericis conceſſa à Principibus. 606
Ius Presbyteri Parochi in peras peregrinorum, & baculos. 218. in oblationes ſponſorum. 611. in reconciliationes puerperarum. 612. in oblationes Campionum. 613
Iuſtitia Abbatis Reomaenſis. 212
Iuſtitia Reomai alta, ſeu ius gladij inde à Clodoneo. 607
Iuſtitiam aliam Reomaenſibus confirmat Hugo III. Dux & alij. 671

L

LAici quando Monaſteriis Præfecti. 80
Landricus Comes Niuernis. 173
Laura de S. Martino. 277
Lecolinus Abbas Fiſcanenſis. 154
Legatiuum. 662
Legatorum viaticum apud Romanos, Burgundos, & Francos à Prouincialibus ſolutum. 662
Legatorum Pontificis viaticum ab Eccleſiis ſolutum. 309
Leges paribiles. 601
Leopardinus Abbas Reomaenſis. 40. transfert ſepulcrum S. Ioannis Confeſſ. poſt annum Chriſti DLXXIX. 522

Lepro-

Leproſus ſanatur per ſudorem, lauacrum, & ſquamarum deiectionem. 42.524
Lerini Monaſterium. 6. Abbates eius antiqui. 478
Letaldus Gozberti Comitis Sinemurenſis frater. 51
Letbaldus Abbas Tornodorẽſis. 149
Letericus Abbas Cellenſis apud Trecas. 260
Leuraris Dux belli Italici ſub Theodoberto. 491
Libratæ terræ. 294.656
Lingonenſes Epiſcopi, Gregorius. 7. Becco vel Betto. 41. Sigoaldus. 76. Guidricus. 77. Achardus. 188. Bruno. 129. Lambertus. 169. Hugo. 180. Arduinus. 180. Rainaldus. 180. Robertus. 180. Iocerannus. 185. Guillencus. 187. Godefridus. 193. 194. 195. 196. 197.201 203.206.107. Galterius. 211. 312. Manaſſes. 242. Hugo. 251. Robertus. 252. 258. 267. Guido I. 270. Garnerius. 242. Ioannes I. *ibid.* Guido II. 274. Ioannes II. 299. Hilduinus. 242. 234. Guido III. 342. Ioannes VII. 352
Loerra, vel Lorra ineſcatio piſcium. 278 646
Lotarius Abbas Reomaenſis Caroli Calui filius. 93. non Monachus, ſed Clericus. 551. educatus eſt apud S. Germanum Autiſiodorenſem. 94. vbi etiam Abbas fuit. *ibid.* filius Harmentrudis frater Carlomani, Caroli, Ludouici. 96. mortuus vicennis. 552
Ludouicus I. de Iacuria Abbas Reomaenſis. 310
Ludouicus II. Goufier Abbas Reomaenſis. 402
Lugdunenſis Academia antiquiſſima. 560. mater & nutrix Philoſophiæ. *ibid.* publicum citramarini orbis Gymnaſium. *ibid.* nemo Profeſſis eo in orbe aſcriptus, niſi qui Lugduni examinatus. *ibid.*
Ludouicus de Rochechoüard Abbatis adiutor. 435

M

Macarius, cui Regula inſcripta fuit iunior, ſeu politicus. 24.497
Macarij regula à Reomaenſibus ſuſcepta. 9. Nitrienſium inſtitutis conſentanea. 498. defenditur. 481. 496
S. Maiolus Abbas Reomaenſis 113. ortu Prouincialis, educatione Auenionenſis, patre Fulcherio viro nobili. 114. 558. incurſu Sarracenorum Matiſconẽ pulſus. *ibid* fit ibi Canonicus. 115. Lugduni Antonium Philoſophum audit. *ibid.* Cluniaci profitetur Monachiſmum. 116. factus eſt Abbas anno DCCCCLII. *ibid.* deceſſit anno DCCCCXCII. 120. plura Monaſteria diſciplinæ veteri reddidit. 561 Reomaenſe ſuſcepit circa DCCCCLXXXIII. 561. rexit ad vitæ finem. *ibid.*
Maior & Maioritas Reomaenſis. 606. 189
Manſi indominicati. 639
Manſi veſtiti ingenuiles. *ibid.*
Manſi veſtiti ſeruiles. *ibid.*
Manſi ſeruilis leges 640. quomodo differrent à legibus Bordæ. *ibid.*
Manſiones. 30. quid eſſent. 510
Manufirmationes. 511
Manus mortuæ leges. 281.283
Marcæ Sinemurenſes. 293

Marcæ Diuionenſes. 656
Marcæ iſtę non ſunt pondera octo vnciarum, ſed valores reditus annui feudi ad certam ſummam taxati. 655
Marcagium. 656
Margarita Abbatiſſa de Criſinone. 297
Maria de Tanlayo vxor Guillelmi de Iouis villa. 284.647
Maria de Nuceriis. 194
Martianus Imperator. 3
Maurellus Abbas Reomaenſis. 77
Maximinus Abbas Reomaenſis. 89
Milo Abbas Reomaenſis. 179
Milones Comites Barri Sequanici tres. 192.654
Milo de Caſtellu. 205.667
Milo de Lania. 264
Milo de Marmellis. 312
Milo de Montebarto filius Rainardi. 183
Milo de Noeriis. 215
Milo V. de Noyers. 284.948
Miracula S. Ioanni Reomaenſi peculiaria. 47. vt & aliis Sanctis. 529
Miſſi diſcurrentes. 29. Regibus, Ducibus, Comitibus, Abbatibus, & aliis miniſtrarunt. 506
Modoinus Abbas Reomaenſis. 81. creatus cùm iam eſſet Epiſcopus à Carolo Caluo. 546. priuilegium Eccleſiæ Eduenſi à Carolo Magno, & Ludouico Pio impetrat. 81. laudatur à Theodulfo Aurelianenſi. 82. reſcribit verſu Theodulfo. 84. vnus eſt confeſſoribus Ebbonis. 88. Aruernis præficitur. 89.549
Monachi olim arti Medicinæ operam & ſtudium impendere. 166. 177
Monaſtica officia peculiaribus prouentibus malo exemplo donata. 286.649
Monaſteria Galliæ antiqua. 6. quænam fuerint. 477
Monaſterij Diuionenſis Eccleſiam reſtaurat à fundamentis Guillelmus I. 132
Monſtruoſus. 53 535
Μορτὴ, μορτιτὴς partiarius. 660
Mummolus Abbas Reomaenſis. 72. cur dictus bonus. 543.
Mummolenus dux belli Italici ſub Theodoberto. 18.491

N

NATIONVM ferè omnium commotio contra Paganos ſub Ludouico iuniore. 109. contingit anno CIↃCXLVII. ſtatim à Pentecoſte. 602
Νέασις, νέατος, νέωμα, νεασμὸς, νέαμα. 670
Nicaſius Auallonenſis. 13. Comes eius vrbis fuit. 487. à S. Ioanno & S. Germano ob ſæuitiam caſtigatus. 487
Nicolaus V. Papa. 338
Nicolaus Abbas Caſtellionis. 206
Nicolaus Cardinalis ſancti Euſebij. 309
Nitardus Guillelmi I. Abbatis frater. 134.159
Nitrienſium inſtituta. 499
Nitrienſes lini operarij. 500
Nominatim excommunicati ſoli iam olim euitati. 253. eorum nomina publicata vicinis Epiſcopis. 631. & proſcripta in foribus Eccleſiæ. *ibid.*

Nomina regulæ inſcripta. 225. quo ſenſu. 617
Normanni Burgundiam inuadunt. 50. abiguntur. 56. anno DCCCCXI. vertente. 537
Noualia. 266.316
Noualia tribus modis accepta. 670
Nuceriæ opidum Burgundiæ. 225. 616
Numerus Monachorum interdum à Pontifice conſtitutus Monaſteriis. 673
Numerus Monachorum Reomaenſium ad triginta præſtitutus. 320.672
Nuptialia ſacra prima, triceſima, genuina, & annua die facta. 613

O

OBERTVS Prior S. Symphoriani Eduenſis. 191
Oblagiæ. 404
Oblationes olim debitæ omni Dominica die. 600. circa annum CIƆCXLI. ad diem tantùm patroni Eccleſiæ, & ad feſtum omnium Sanctorum. 193.253
Oblatio præcepti Regij. 30. cuius eſſet. 512
Obſignia. 532.534
Odo I. Abbas Reomaenſis & Autiſiodorenſis. 179
Odo II. Abbas Reomaenſis. 273
Odo II. Dux Burgundiæ. 192. præfuit decennio antequam putent aliqui. 600
Odo III. Dux Burgundiæ. 229.233
Odo IV. Dux Burgundiæ. 33
Oeconomus Reomaenſis. 395
Oecumenici nomen conſenſu Romani Pontificis ſuffurati conatus Euſtathius Conſtantinopolitanus. 163.579
Olbertus Abbas Leodienſis. 165
Oleo ſanctificato ſanati à Sanctis quilibet morbi etiam non periculoſi, nec extremi. 36.519
Oleum tamen id non fuit, cuius in Extrema Vnctione eſt vſus apud Latinos. 520. ſed Græci eo hodiéque vtuntur ad omnem morbum etiam non extremum. *ibid.*
Oleum Extremæ Vnctionis à Latinis olim ad energumenos ſanandos vſurpabatur. 520
Oleum aliud nunc à Latinis Presbyteris conſecratur ad omnem morbum, & ad energumenos ſanandos. 521. id dici ſolet oleum infirmorum, atque interdum oleum in Cœna Domini ſanctificatum. 522
Opus manuum Monachis olim cur præſcriptum. 10 483
Orator Regij generis S. Ioannes. 72. alij ſancti viri nomen Oratorum viui & mortui habuere. 542
Ordinatio ante ætatem. 517
Oratio ad S. Ioannem. 61
Oreum. 527
Oſmundus Epiſcopus fit Monachus Fiſcani. 154
Oſmundus de Plaanei. 230
Oſmundus de Rubeo monte. 230
Otto Hugonis Regis frater Dux Burgundiæ vxorem habuit filiam Gilleberti. 149
Otto Guillelmus Adalberti II. Eporediæ Marchionis filius. 562. vocatus eſt Capriuus. 564. Comes Diuionenſis ab Henrico I. Duce Burgundiæ adoptatus. *ibid.* Gerberga eius mater, vel

natura, vel adoptione. *ibid.* Comes etiam Tranſſagonanus. *ibid.* à Monacho furtim ex Italia ad matrem adductus. *ibid.*

P

PARLAMENTVM vetus Burgundiæ. 317.671
Paſchalis Cerei ius quodnam Presbytero. 218
Patres pro Abbatibus. 503
Patricij apud Francos. 16
Patriciatus Romanis non perpetuus, Gottis perpetuus. 489
Patriciatus Romanis inferior pleriſque dignitatibus, Gottis ſolo Conſulatu. 489
Patronus à Clodoueo dictus ſanctus Ioannes. 29
Patroni nomen non mortuis tantùm, ſed etiam ſuperſtitibus ſanctis viris tributum. 508
Pedules. 289
Perinza mater Vvillelmi Abbatis. 563
Pernix. 535
Perſona authentica. 269.643
Petrus I. Abbas Reomaenſis. 191
Petrus II. de Aligny Abbas Reomaenſis. 350
Petrus III. de la Baume Abbas Reomaenſis & Cardinalis. 354
Petrus de Corbigny. 255
Petrus de Atheis. 289
Petrus de Roceio. 278
Petrus tertius Abbas S. Benigni. 617
Philibertus Cardinalis Bordeſerius Abbas Reomaenſis. 383. auo Philiberto Quæſtore largitionum, & domui Ludouicæ Regis Franciſci I. matris Præfecto. *ibid.* patre Regiarum ſubſtructionum magno curatore, matre Maria Gaudina genitus. 384. Latinis Græciſque litteris Pariſiis excultus. *ibid.* Encoliſmenſibus datur Epiſcopus primâ iuuentute, *ibid.* adſciſcitur ad Regis conſiſtorium. 385. Romam Legatus Regius pergit. *ibid.* Cardinalibus à Pio quarto accenſetur. 386. Reomaenſi Præfecturâ donatur. *ibid.* transfertur ad Epiſcopatum Autiſiodorenſem. 387. floret cognationibus. 387. moritur Romæ. 388
Philibertus Cardinalis Hugonetus Abbas Reomaenſis. 339. Stephani Epiſcopi Matiſc. nepos. *ibid.* Guillelmi Cãcellarj Burgundiæ frater. *ibid.* ſuccedit patruo Matiſcone, cùm eſſet antè Protonotarius Apoſtolicus. *ibid.* fit inde Cardinalis à Sixto quarto. Tiſiacum vniri curat Abbatis dignitati. 343. Ioanni Cuſſigniaco Præfectura Reomaenſi cedit. & Romæ obit. 340
Philippus Cardinalis Lenuncurius Abbas Reomaenſis. 389. Philippo patre, Ioanna Dinteuillia matre ortus. *ibid.* aui eius patruus fuit Robertus Turonenſis, mox Remenſis Archiepiſcopus, frater Robertus Cardinalis *ibid.* in oppido Coupuray propè Pariſios anno CIƆIƆXXVII. natus. *ibid.* Antonio Regi Nauarræ honorarius fit ephebus. *ibid.* Romæ à propatruo literis poſt hæc & moribus egregiè excolitur. 390. præficitur Monaſteriis Charitatis, Vngiaci, Reſbaci. *ibid.* Catalauno, mox Au-

tiſiodoro datur Epiſcopus. *ibid.* Regem Nauarræ in auita religione retinet. 391. ad Regis conſiſtorium aſcitus fit Reomaenſis Abbas. 392. inde Præceptori Ordinis S. Spiritus, & mox Cardinalis. 393. Romam viſit,& mox ad Comitia Bleſenſia redit. *ibid.* calumniis appetitus, & contumeliis Turoni moritur. 394.395

Philippus pulcher Rex. 215

Philippus Dux Burgundiæ extremus è priori ſtirpe. 323. moritur anno CIↃCCCLXI circa XXI. Nouemb. 674

Philippus de Monte medio. 273. 286

Piſcatio cum Lorra vel Leerra. 259.279

Plenaria Synodus. 190. ea erat ad quam vocati omnes, quorum ius eſſet vocari & intereſſe. 597

Pœnitere dies decem, quadraginta, aut plures dum iuſſi peccatores à Pœnitentiariis Presbyteris perinde fuit, ac ſi iuſſi eſſent ieiunare. 577. potuit eâ pœnitentia redimi oratione, vel eleemoſyna, potuit & per alium impleri. 578

Pœnæ contractuum. 605

Popo Abbas Stabulenſis. 165

Poſſeſſio rei corporeæ, vt prædij cenſus, & id genus donari ſolita culmo, vel ſtipula, vel ceſpite, cum ramo, vel ocrea terra repleta, vel lapide, vel cultello, vel chiroteca tradita, vel ſtola Sacerdotis prehenſa, ſuccenſo Altaris cereo, vel aliis modis. 660

Poſſeſſio rei incorporeæ, vt dignitatis, adita olim per annulum, enſem, lanceam, vexillum, virgam, librum,& panem,& id genus. 661

Poſſeſſio rei tam corporeæ, quàm incorporeæ per traditionem chartæ, ſeu litterarum, quibus conferebatur communicata. 325. 662

Præſtaria. 173. Precariæ ἀμοιβαία. 583. interdum tamen cum ea confuſa *ibid.* leges Præſtariæ ſucceſſu temporis diuerſæ. 584. differebat ab emphyteuſi, quòd in hac non plus rei priuatæ rependeretur Eccleſiæ, quàm eſſet acceptum Eccleſiaſticæ. In illa autem plus daretur Eccleſiaſticæ, quàm acceptum eſſet priuatæ. *ibid.* illa in tres hæredes traderetur, iſta in plures. 585

Præceptum Clodouei I. pro Reomaenſibus. 29

Præceptum Clotarij I. pro eiſdem. 71

Præceptum Caroli. 241.605

Præceptum Philippi Auguſti. 220

Precum Monaſticarum ſynaxi quandoque excluſi laïci. 12.485

Priuilegium Innocentij II. pro Reomaenſibus. 200. 605

Priuilegium Eugenij III. 200

Priuilegium Alexandri III. 208

Priuilegium Lucij III. 219

Priuilegium Innocentij III. 240

Priuilegium Gregorij IX. 265

Priuilegium Innocentij IV. 274

Priuilegium Nicolai III. 285

Priuilegium Sixti IV. 343

Purgationum vulgarium vſus, 193. quàm diuturnus in Burgundia, 601

Putei Reomaenſis aquam purgat S. Ioannes. 9. bibit S. Gregorius Turonicus. 57. & ægti multi, vt ſanentur. 58
Putei Orbiaci Virgines Abbati Reomaenſi, & ſuis ſubditæ. 189

Q

QVADRAGESIMO die, & primo expiatæ puerperæ, tam apud Græcos, quàm Latinos. 612
Quadraginta dies olim pœnituit, qui ſtillare in terram de calice Chriſti ſanguinem permiſiſſet. 577
Quatuor Ordines Religioſi in Cabilonenſi & Lingonenſi Epiſcopatu orti. 644
Quieta S. Ioannis Reomaenſis mater. 4. ſanctitatis nomine decorata. 471. laus eius ex Gregorio Turonenſi. 473. viſitatio filij. 10
Quinceium Vicecomitis. 306

R

RABVTINÆ gentis ſtemma. 675. nomen genti ex caſtro Rabutino ditionis Cadrelenſis. 676
Radulfus Abbas Fonteneti. 232
Raimbaldus Abbas de Alba ripa. 200
Raimundus Abbas S. Benigni Diuione. 256
Raimundus de Eſpiſſia. 232
Rainaldus I. Abbas Reomaenſis. 217
Rainaldus II. Abbas Reomaenſis. 268
Rainardus Abbas S. Apri Tullenſis. 187
Rainardus Abbas Ciſtercienſis. 205
Rainardus Rubei montis dominus. 194
Rainardus de Montebarto. 180. ex gente Comitum Montis barri fortaſſe fuit quæ breui in Burgundia deſiit. 588
Rainaudus de Vernei. 222
Reclamatio ad Reges. 29. quid eſſet. 509
Reconciliatio pœnitentium publica communi iure fuit Epiſcoporum. 600 in graui periculo fuit etiam Presbyterorum ea lege, vt periculo elapſi iuſta tempora implerent. 601
Regmundus de Cummines Abbas Reomaenſis. 300
Regula ſancti Macarij non ab ipſo ſcripta, ſed ex eius moribus hauſta. 481. laudata ab antiquis, qui eam ſcripſit poſterior fuit ſancto Hieronymo, quæ nunc extat eadem eſt quæ olim. 498
Relatio corporis ſancti Ioannis Reomaum circa annum DCCCCXI. 537
Reomaus Monaſterium S. Ioannis. 1. ea forma dictum, qua Gemblaus, & Stabulaus. 497. nomen duxit ab agro, in quo fuit conditum. *ibid.* is ager à parentibus ſancti Ioannis datus fuit ad inſtituendum id Monaſterium. 468
Reomaenſibus Præfecti, aut nulli, aut laïci annis LXXXV. 112
Reomaenſis Monaſterij incendium. 153
Reomao adiacens Eccleſia ſancti

Pauli. *ibid.*
Reomaenſis maior. 192
Reomaenſis Præpoſitus. 194
Reomaenſis iuriſdictio cum iure gladij. 671.212.607
Reomaenſes cenſuris Epiſcoporum exempti. 626
Reomaenſis Conuentus ſine ſigillo aliquandiu. 257 634
Reomaenſi aut alij Regulæ inſcripti. 225. erant qui in fratrum, ac benefactorum numerum admiſſi. 616
Reomaenſis Decanus & alij in ſigillo habuere imaginem Presbyteri ſacra ad Altare facientis. 642
Reomaenſis peculiariter ſigillo ſuo imprimere ſolitus lilium. 642
Reomaenſibus dignitatibus & officiis peculiares prouẽtus quando attributi. 286.649
Reomaenſium Cuculla & Frocus cuius coloris. 288.650
Reomaenſes conuerſi & conuerſæ vt veſtiti. 289. 651
Reomaenſis conuerſæ inſtituendæ formula. 347
Reomaenſibus ius attributum in bona illegitimorum. 318.671
Reomaenſi caſtro cuſtodiendo qui obnoxij. 328
Reomaenſes à procurationibus Lugdunenſis & Lingonenſis Epiſcopi extra ſtatutum Lateranenſe immunes 626.244.246
Ricardus Comes Normanniæ. 154
Ricardus Abbas Virdunenſis. 165
Robertus Rex. 157 165. 169. filij eius. 167. mors menſe Iulio. 168
Robertus Princeps Normannorum. 166
Robertus ſecundus Dux Burgundiæ, & eius obitus. 293.303.671
Robertus tertius Epiſcopus Lingonenſis. 267. Beronem ſe Lingonenſem dicit. 641. tranſlatus ad ſedem Leodienſem retinet nomen Lingonenſis. *ibid.*
Robertus Dominus de Larreio. 281
Rodulfus Abbas fit Monachus Diuione. 166
Rogerius de Anciaco. 149
Ruffus de Sulleio. 286
Ruffus color burrus. 651
Rupticia. 316.670

S

SALVAMENTVM. 194. quid eſſet. 601, quæ ratio nominis. 602
Samuel Abbas Reomaenſis. 76. cur cuſtos Regius. 544
Sancti ægros abs ſe ad alios mittunt ſanandos. 55.536
Sanctimonialium Monaſterium à Guillelmo primo inſtitutum. 160
Sanitas miraculoſa interdum imperfecta. 44. cur. 526
Sarraceni Fraxinetum occupant, & diu pòſt fugantur. 558.559
Sarraceni Hiſemo Rege ab Hiſpania refugiunt. 176
Satisfactio. 208. eſt pœna contractui addita, ſi certa die non ſoluatur.
Scarpſellæ, Carpſellæ, Sportæ, Peræ. 611
Scithis, Scita, Sceta, Scithiaca regio Ægypti. 494
Scholæ in Monaſteriis interiores, & exteriores. 572
Scholæ Hoſpitalis. 124
Schola, omnis artificij locus & cœtus. 567

Scholæ Cantorum quibus præeſt Caput, vel Prior. 567
Scholæ militum. *ibid.*
Scholares, ſeu Præſentales. 568
Sebaſtianus de Rabutin Abbas Reomaenſis. 353
Secundinus Patricius. 16. Legatus in Græciam. 490
Segeſtrenſis ſilua. 518
Septa Anachoretarum. 32. interdum opaca ſiluæ. 513. vel antra rupis. *ibid.* vel foſſæ. *ibid.* vel parietes ſine calce. 514
Sepulturæ iura Parochialia. 254
Sanctus Sequanus Magnimontenſis 20. inſtituitur à ſancto Ioanne. 21. condit Monaſterium 518. miracula patrat. 519.520
Serganteriæ hæreditariæ formula. 324 quid eſſet. 263.640
Sermones de S. Ioanne. 58.538
Serui corpore laicis in Burgundia nulli. 351. non item Eccleſiaſticis. *ibid.*
Seruorum confugium ad Eccleſias. 19. quibus legibus ex parte Eccleſiæ, 485. quibus ex parte Dominorum probatum. 486
Sicharius Abbas Reomaenſis. 74
Sigifredus Abbas Gorzienſis. 165
Sigillis tabulas munire non fuit olim mos in Burgundia. 186. ſed antè annum CIↃCXIX, moris fuit. 589
Sigilla authentica, 308. 616. nobilibus nondum militibus, aut ætatis militaris non vſitata. 221. 615
Sigilla Conuentuum Monaſticorum diſtincta à ſigillis Abbatum poſt Alexandri tertii conſtitutionem. 634
Sigilla Curiarum Burgundiæ, conſilij intimi, & Prætorum 313. 668
Sigillum Curiæ diuerſum à ſigillo Ducis Burgundiæ. 319
Sigillum Roberti Lingonenſis, & Decani Reomaenſis. 267.641
Sigillum Epiſcopi Eduenſis. 277 646
Sanctus Silueſter Abbas Reomaenſis. 70. dilectus à Clotario, & Childeberto Regibus. *ibid.* creatus octo annis ante mortem ſancti Ioannis ad annum DXXXVII. 540. claudum ſanat. 70. 71. præeſt annis circiter XXXV. 541
Simonetus de Aiſiaco. 297
Simon Abbas Reomaenſis. 334
Sinemurum Caſtrum. 11. 50. 56. fuit Epiſcopi Eduenſis. 50
Societates à Reomaenſibus initæ cum priuatis. 225. cum aliis Monaſteriis. 186. leges quæ eis dici ſolerent. 260.266.591
Sortilegia ex Cereo Paſchali, & Chriſmate. 254
Sponſalia à Latinis extra Eccleſiam, à Græcis intra celebrata. 612
Subimaginatio eſt ſigilli appoſitio. 590
Sueui nunc ſoli Alemanni. 563
Suenciacum Reomaenſibus primò quæſitum. 218. alia eius iura poſteà parta. 232 256
Sulpo Abbas montis ſancti Michaëlis, mox Fructuarienſis. 155
Stephanus de Raueriis. 216
Stephanus de Varennis Abbas Reomaenſis. 321.673
Stephanus Abbas Leodienſis. 165
Stephanus Abbas Bezuenſis. 181
Stephanus Hugoneti Epiſcopus Matiſ-

Matiſconenſis. 339
Stephanus Eduenſis Epiſcopus dedit nouem Eccleſias Reomaenſibus. 191. præerat adhuc CIↃCXXXIX. 192. vixit Monachus Cluniacenſis non plus anno. 599
Stephanus de Argentueil. 225

T

TABVLÆ tactu manus firmatæ. 189.596
Terræ libratæ non ſunt iugera, ſed reditus vnius libræ annuus. 656. 657
Terræ tertiales. 263 306.660
Terræ binales apud Burgundos. 660
Teſtamentum. 188. non extremæ tantùm voluntatis, ſed qualibet tabulæ teſtibus firmatæ. 188. 592
Teſtamentum Parocho ante omnes fecere moribundi. 254
Teuberto lingua à S. Ioanne reſtituta. 43
Theobaldus de Sanci Præpoſitus de Noers. 224
Theobaldus Rex Nauarræ.
Theobaldus de Griſigny. 205
Theodobertus Rex. 3 471
Theodoricus Rex. 3.471
Theodoricus Abbas Reomaenſis, 180
Theodoricus Epiſcopus Metenſis. 166
Theodoricus Abbas Gemeticenſis. 149
Theodoricus de Tanenniaco. 194
Theodorus de ſancto Chaumondo. 359
Theodoſius Imperator. 3
Theodulfus Aurelianenſis cum Bernardo Rege Italiæ contra Ludouicum Pium conſpiraſſe creditus. 547. cõiectus in carcerem iam Epiſcopus, ſed intra Monaſterium. *ibid.* annos XVIII. minimum ibi egit. 548
Thiolaiphus. 34
Tiuulgas Villa Reomaenſis. 153
Tonſura à Presbyteris quibuſlibet olim. 32. poſteà ab iis tantùm, qui Chorepiſcopi vel Abbates eſſent in Clericatum facta. 514. in Monachiſmum, vel Anachoreſim etiam à laïcis. 515
Tractus fluuij. 263. menſura decurſus eius. 640
Tranſlatio corporis ſancti Ioannis à Leopardino. 40. 524. altera à Beccone Epiſcopo Lingonenſi. 41. 524
Tres Barri Comitatus in Campania. 654
S. Trinitatis offi.ium. 177. confectum ab Stephano Leodienſi Epiſcopo anno circiter DCCCCXX. 586. publicatum à Richario ſucceſſore. *ibid.* ab Eccleſia Romana non admiſſum ante CIↃCC. 587. ad CIↃCCC. omnibus Eccleſiis accepium. *ibid.*
Turnonia gens Ducibus Burgundiæ, & Regibus inſerta. 357

V

VALDO Abbas Reomaenſis. 77
Valeriacum villa. 32
Valentinianus tertius. 32
Vallis Callium, vel Collium, vel Caulium. 273.643
Valonæ. 228

XXxx

Valterus Comes Barri Sequanici. 654
Vaſtinæ, ſeu Guaſtinæ. 671
Verbanus lacus, maior, & S. Iulij dictus. 564
Vetus caſtrum ad fluuium Serenum. 228.619
Vibo Sueuus. 562
Vicarij iidem qui Vicecomites. 29
Vicarius Epiſcopi Lingonenſis Abbas ſancti Benigni. 226.617
Victrij ciclus. 470
Vido Abbas ſancti Michaëlis Tornodorenſis.
Vigerius vel Vierius Eduenſis. 229. etiam Caſtellionenſis. 255
Vigilius Abbas Reomaenſis. 80
Villa Morini & Curtis Morini eadem. 313.607.669
Villa Iouis in Comitatu Autiſiodori, & in Epiſcopatu Eduæ. 647
Vir Dei cur dictus ſanctus Ioannes. 495
Virginum Monaſteria Epiſcopi abs ſe ad Monachos regenda transferunt. 189.595
Vulfardus Abbas Reomaenſis. 112
Vulferius Monachus Abbas Reomaenſis inſignis. 175.585
Vſufructuarij contractus de rebus Eccleſiæ. 276. 300
Vulpo Abbas Reomaenſis. 111
Vuormatienſis Synodus in qua Deidonus Abbas Reomaenſis. 543

X

XENODOCHIVM S. Bernardi in Alpium iugis. 610
Xenodochium Trenorchienſe. 416
Xenodochium Audricianum Pariſiis. 430

Y

Y Παιδρος βίος. 515

Z

Z Ευχάεια ieiunare. 501
Zœta. 52. pro Zeta, vel Cœta. 534

FNIS.

A01 1670705

7 42